EPISTOLARUM AB ILLUSTRIBUS & CLARIS VIRIS SCRIPTURARUM CENTURIAE...

Digitized by Google

6
39-b
25

6. 39. b. 25

Digitized by Google

XXXI. a. 5 •

h

EPISTOLARUM

AB

Illustribus & Claris

VIRIS

SCRIPTARUM

CENTURIÆ TRES.

Quas passim ex Autographis collegit ac edidit

SIMON ABBES GAB[illegible]

HARLINGÆ FRISIORUM,

Ex Officina HERONIS GALAMA.

CIↃ IↃC LXIII.

NOBILISSIMIS, AMPLISSIMIS,

E T

CONSULTISSIMIS VIRIS

D. D. D.

NICOLAO HEINSIO, D. E.

CELSOR. ET PRAEPOTENT.

D. D. ORDINUM GENERALIUM FOEDE-
RATI BELGII NOMINE APUD SERENISS.
ET POTENTISS. SUECORUM, GOTHO-
RUM, VANDALORUM QUE, REGEM
RESIDENTI, IN OMNIBUS MAGNO.

LEONI AB AITZEMA,

SOCIARUM HANSÆ CIVITA-

TUM, ALIORUMQUE PRINCIPUM NO-
MINE, APUD CELSOS ET PRAEPOTENT.
CONFOEDERATARUM PROVINCIARUM
BELGII ORDINES, RESIDENTI, LEGA-
TIONIBUSQUE AD DIVERSOS PRINCI-
PES ET RESP. INCLYTO, ILLUSTRI,

PIRONI A DOMA, I U D.

ILLUSTR. ET POTENT D D

ORDIN. PUBLICE, FLEVUM INTRA ET
EXTRA, A SECRETIS, CONSILIIS, ET
ADVOCAT. AD SALVTEM PATRIÆ NA-
TO, ET OMNIA EO DIRIGENTI.

NOBILISSIMIS, AMPLISSIMIS,

E T

CONSULTISSIMIS VIRIS,

D. D. D.

NICOLAO HEINSIO, D. F.
CELSOR. ET PRÆPOTENT.
D. D. ORDINUM GENERALIUM FOEDERATI BELGII NOMINE APUD SERENISS. ET POTENTISS. SUECORUM, GOTHORUM, VANDALORUMQUE, ETC. REGEM RESIDENTI, IN OMNIBUS MAGNO.

LEONI AB AITZEMA,
SOCIARUM HANSÆ CIVITATUM, ALIORUMQUE PRINCIPUM NOMINE, APUD CELSOS ET PRÆPOTENT. CONFOEDERATARUM PROVINCIARUM BELGII ORDINES, RESIDENTI, LEGATIONIBUSQUE AD DIVERSOS PRINCIPES ET RESP. INCLYTO, ILLUSTRI.

PIBONI A DOMA, I. U. D.
ILLUSTR. ET POTENT. D. D.
ORDIN. FRISIÆ, FLEVUM INTER ET LAVICAM, A SECRETIS, CONSILIIS, ET ADVOCAT. AD SALVTEM PATRIÆ NATO, ET OMNIA EO DIRIGENTI.

VIRIS MAGNIFICIS,

OPT. MAX.



HÆC

QVALIACVNQVE COLLECTANEA

C.C.C. L.L.L. V.V.V. EPISTOL.

EX VOTO

LITATA, SACRATAQUE

SUNTO.

VIRI

NOBILISSIMI, AMPLISSIMI,

ET

CONSULTISSIMI;

QUOTIES immenſam illam & ſingularem veſtram beneficentiam, qua ad invidiam uſque me obruiſtis, non minus ſuavi, quam aſſidua recordatione apud animum meum repeto, non ſolum, quid veſtri nominis AMPLITUDINI, ſummoque ſplendori debeam, memoriæ ſuccurrit, ſed & illud etiam, quam mihi domi meæ curta ſit ſupellex nominis minuendi. Studendum idcirco, ne

me

me beneficiorum immemorem ulla aliquando judicet ætas. Impræsentiarum gratitudinis meæ pro parte testes sint,

ILLUSTRIUM ET CLARORUM VIRORUM EPISTOLÆ,

hactenus spississimis OBLIVIONIS pariter atque IGNORANTIÆ tenebris involutæ, quas sub vestri potissimum nominis AUCTORITATE atque AUSPICIIS, publicæ lucis tuendæ gratia, lubens merito, publico terrarum orbis theatro infero. Si gratæ, acceptæque fuerint, ex voto oblatas, secundum cascam illam & inlibatam liberrimorum FRISIORUM FIDELITATEM & LIBERTATEM, qua cunctos mortalium ante-eunt, censebo.

DE-

DEUS OPT. MAX. Vos, omnesque ACTIONES vestras, prosperare velit, atque ORNAMENTA vestra tueatur semper, ac etiam augeat. In quo omine finem facio. Leoardiæ Frisiorum, XIV. Kal. Mart. CIↃ IↃC LXIII.

Amplitudinis Vestræ

Deditissimus atque Devotissimus

SIMON ABBES GABBEMA.

EPIGRAMMA

Laboribus

SIMONIS ABBES GABBEMA,

HISTORIOGRAPHI FRISIÆ,

Clarorum Virorum EPISTOLAS

edentis,

SACRUM.

SI juvat Heroum veteres cognoscere ceras,
Doctaque nobilium scripta manusque virûm:
Has tabulas tibi, Lector, habe: sub cortice nudo
Verborum Pallas prodigiosa latet.
Posteritas studiosa pium venerare laborem,
Exanimes iterum sunt paradoxa loqui.

Scribebat

Io. BOURICIUS,

Supr. Frisiæ Cur. Senator.

In Epistolas celebrium Virorum

ab Eruditissimo Viro

SIMONE ABBES GABBEMA

EDITAS.

IN lucem veteris monumenta recognita sœcli,
Ut nova, qui cultu sub meliore dabat;
Acrem alio curam conversus, & impiger ausi,
GABBEMA nunc ævo consulit, ecce, suo.
Per quem, fidereas, tineis damnata, sub auras
Prodit epistolicæ copia lecta rei:
Pignus amicitiis absentibus utile quicquid
Iussa dat alternas charta subire manus.
Hic ubi temporibus celeberrima nomina nostris,
In speculo mentem ceu referente, vides.
Hac senium detersa manu Petronia cedat
Hellespontiaco pagina sacra Deo.
Cedat & abruptos iterum quæ spirat amores,
Lesbia delicio passeris orba sui.
Cynthia amatoris pulcherrima cede Propertî,
Dives & assiduo culte Tibulle foco.
Adfectos sanasse parum est; nunc reddita luci
Se-

Sentit opem medicæ turba sepulta manûs.
O bene temporibus quod, *Gabbema* docte, vetustis
Invideant ne te sæcula nostra, facis.

NICOLAUS HEINSIUS. D.F.

In Editionem Epistolarum

Virorum Clarissimorum ad Clarissimos Scriptarum

AUCTORE

Viro Clarissimo, Doctissimoque Domino

SIMONE ABBES GABBEMA,

Illust. D. D. Frisiæ Ordinum Historiographo.

SEnsibus externis quid pervia pectora Mome,
Pellucidumque animi quid penetrale petis?
Occultos sensus interpres penna resolvit,
Et loquitur nobis officiosa manus.
Quin etiam, cum lingua silet, post fata superstes
Præcocia, has peragit penna manusque vices.
Quotquot erant veteris radiantia sydera mundi
Nunc etiam monitis consiliisque juvant.
Illis vocis iter clausit vis invida fati;
Ast iter hoc pennæ claudere non potuit.

De-

Doctorum calamus victa de morte triumphat,
Sermonisque vetat fida ministra mori.
GABBEMA te testor, veteris qui sydera sæcli
Heic collecta facis post sua fata loqui.
Heic lepor & cultæ quædam omnipotentia linguæ,
Doctrinæque scatent & pietatis opes.
Heic Phœbea domus patet, heic rediviva supellex
Musarum, & totus prodiit heic Helicon.
Quid petis innumeros, Lector, versare libellos?
Hic liber unus adest Bibliotheca Patrûm.

P. à DOMA.

Ictus. Illustr. D. D. Frisii
Ordinib. à Secretis & Advocat.

ODE
AD EUNDEM.

EN, plurimas Illustrium
Epistolas Virorum
Res utiles & nobiles
Quarum sinu latescunt
Densissimis fors invida
In-

Involverat tenebris:
Pædore tetræ, squalido
Situque diffluentes
Per longiorem temporis
Cursum fuêre blattis,
Ac tineis solummodo
Spolium, cibansque pastus:
Mortalibus sed commodi
Nil attulêre quicquam:
Quin omnium conspectui
Surreptæ, in æviternum
Ignobiles, ingloriæ
Silentio sepultæ,
Evanuissent penitus,
Opem nisi tulisset
E Radbodi Nepotibus
Vir Doctus atque præstans.
Quis ille? nostræ GABBEMA
Frisiæ decus perenne:
Hic namque tot κειμήλια
Tot scripta, digna cedro,
Malignitate supprimi
Sortis putavit esse
Togæ, sago, Reipublicæ
Damnum nimis dolendum.

Ar-

Ardore raptus enthei,
Et nescius morari,
Mentis vigorem vividæ,
Industriumque pectus
Excussit, acrisque institit
Huic improbo labori,
Ut litteratas litteras
Celebrium Virorum
Ab imminente vindicet
Oblitteratione.
Pulsâ ilicet caligine,
Situ procul remoto,
Dictoque bello timeis,
Blattisque luctuoso,
Hinc inde sparsas colligit
Chartas, suis latebris
Emittit in lucem, atque eas
In publicum theatrum
Producit Orbis, ut palam
Sint omnibus, cupido
Quibus fatigat pectora
Res utiles sciendi.
Olim Vetustas civicam
Illi dabat coronam,
Ab hostium furoribus,

Sub

Sub aleâ periclî
Qui strenuâ civis manu
Defenderat salutem.
Nunc ergo tantam copiam
Nobis Epistolarum,
Simulque tanta nomina
Illustrium Virorum,
Feliciter quum GABBEMA
Curâ, labore, penna
Conservat atque consecrat
Memoriæ perenni,
Nullas edacis temporis
Injurias timenti,
Ejus caput num Civica
Tantum corona cinget?
Pol, convenit præstantior.
Ipso arbitrante Pindo,
Hic Laurea donandus est
Omnino Apollinari.

Honoris ergò poneb.

F. O. E. L.

Clariſſimo, Ornatiſſimoque Viro,

D. SIMONI ABBES GABBEMA,

Illuſtrium Friſiæ Ordinum Hiſtoriographo fideliſſimo, cum Epiſtolas Clarorum Virorum in lucem ederet.

AUrea pulvereis nil proſunt ſemina venis
Clauſa, nec undoſo gemma ſepulta mari:
Sic neque ſecretis monumenta recondita ciſtis,
Quæ mordax vario ſtigmate blatta notat.
Ergò laboratas non unâ Pallade ceras
Eruis inviſo, GABBEMA docte, ſitu:
Heröaſque facis magico ſine murmure priſcos
Vivere, facundi dexteritate ſtyli.
Perge tuis Latios Friſiis donare labores,
Ægraque manſuris credere ſcripta typis.

POSUIT

F. ELGERSMA, E. L.

AD

Iniquum hujus operis *Aristarchum*

ET

temerè de eo judicantem *Momum*.

QUisquis es *Ægiochos* inter *Phalaresque* feroces,
Aut inter rigidos edite MOME *Scytas*.
Quisquis es aut *Sphynges* inter *Lemuresque* sequaces
Aut de *Taxicola* SCÆVOLA nate *Stryge*.
Siste gradum cæptis; sacris discede profanus
Nec sacra non sacro redde profana pede.
Sit carpsisse nefas CLARORUM scripta VIRORUM
Nomen & EDENTIS lædere MOME male.
Carpere si tentes quicquam, bene carpere discas,
Ut bene sed discas carpere, carpe tua.
Æquus ad ingenium transcendas scripta virorum
Scripta perennali non caritura fide.
Admiranda tibi post hæc imitanda feruntur
Ingenii captu vix adeunda tui.

Ascribebat

H. S.

SS. M. C.
E. S. H. C.

ELEGIACUM

Honori

Clarissimi, Literatissimi, Spectatissimique Domini

SIMONIS ABBES GABBEMA,

cum

Epistolas Amplissimorum ac Celeberrimorum Virorum N. N. N. N. *bono publico communicaret. Sacrum facit,*

JOHANNES GERLACUS WILHELMI

Marpurgo Cattus, &c.

NEJOMAGI antiquos studio sollerte labores
Collegit docta Smetius arte valens.
Vidimus incisas auro argentoque figuras,
Signataſque Ducum vidimus ære notas:
Vidimus innumeris veterum monumenta sepulchris
Eruta, ceu prisci signa relicta soli:
Vidimus inventas tumulis compluribus urnas,
Queis cineres clausit, post pia busta, Nepos:
Vidimus & lapides & acus & plurima, quæ non
Omnia carminibus sunt referenda meis.
Præ reliquis tamen unda fuit tenuissima vitro
Clara satis, qualis fontibus esse solet.

Hæc ſervata licet per ſecula plura fuiſſet,
Non tamen huic fætor, non odor ullus erat.
Credebant lachrymas; tamen admoviſſe palatum,
Ignotis noſtrum nemo volebat aquis
Dent Phyſici cauſas; mihi tum ridebat Apollo,
Et mihi tum ſummo jure beatus eram.
Aſt poſtquam vidi veterum tot ſcripta virorum
GABBEMA, quæ ſtudiis ſunt adaperta tuis,
Deſino mirari, jam jam mihi cœtera ſordent,
Enthea mens ſcriptis altius ire poteſt.
Quid muti lapides? quid me monumenta ſepulchris
Eruta? quid Regum priſca moneta juvat?
Quid prodeſt muliebris acus? non æra nec urnas
Æſtimo, ſed ciſtas, GABBEMA docte, tuas.
Hic ubi ſexcentas videoque proboque lituras,
Doctorumque manus annoto mille Virûm.
Hinc avidas avido ſatiamus pectore mentes,
Hinc oculi fructus hinc quoque corda petunt.
Hinc velut Hiblæa dulcedine Martia Pallas
Paſcitur, Aönils officioſa choris.
Hinc ſtudiis addicta ſuis mens ardua ſurſum
Fertur, honoratis aſſociata Viris.
Huc Orthodoxæ Fidei vos prima tenebris
Lumina, vos primi Religionis Avi.
Hic vos poſt cineres, poſt condita membra ſepulchris
Vivitis, hic veſtrum Sæcula nomen habent.
Huc quotquot Muſas, Parnaſſum quotquot amatis,
Hic decus, hic laudem doctior orbis habet.
GABBEMA deliciæ juvenum, non infima ſæcli
Glo-

Gloria, totius maximus orbis amor.
Omnia sollicitè Magnorum scripta Virorum
Colligit, hinc laudem posteritatis avet.
Nomina non memoro, nec enim memorare necessum
Sidera ne numeris sint ineunda meis.
Hoc unum laudare decet quod non tibi soli,
Aſt aliis etiam vivere scripta velis.
Non tibi delicias soli non gaudia servas,
Das aliis etiam, quæ placuere, dapes.
Hoc satis ostendis, dum nunc feliciter edis
Hoc opus, ingenii signa benigna tui.
Gratulor, & meritas referet tibi Frisia grates
Dum rapis ex ipsis talia scripta rogis.
Quæ nisi Tu vitam curâ meliore dedisses,
Cuncta sub æterna nocte premenda forent.
Perge velut pergis doctas conquirere chartas:
Perge decus patriis asseruisse locis.
Et tua flammigerum jam jam conscendet Olympum
Gloria, quæ Frisios lata pererrat agros.
Quin tibi post cineres, post contumulata sepulchris
Corpora, perpetuo fama superstes erit.
Quod veluti toto Tibi pectore fervidus opto
Sic addo votis & mea vota tuis.

I-n G-ottes W-il.

INDEX
AUTORUM
Iuxta seriem paginarum.

A.

Aggæus Albada
Deputatis Frisiæ. 557. 561. 565. 568. 570. 576. 579.
Remberto Ackema. 762. 763. 767. 775. 777. 779. 780.
Burmaniæ. 770.
Albertus Pighius
F. Gherardo. 31. 33. 177.
Allard. Amstelredamus
Melchiori Novesiano. 96.
Andreas Alciatus
Viglio Svichemo. 525. 572.
Andreas Friccius Modrevius
Ioanni à Lasco. 19.
And. Schottus
Theodoro Cantero. 719.
Arnoldus Bonnus
Suffrido Petro. 432. 353.
Augustinus Kockertus
Suffrido Petro. 441. 450. 455. 462. 474.

Bal-

B.

Baldazar Schneyder
Ioanni à Lasco. 128.
Beatus Rhenanus
Ioanni à Lasco. 9. 10.
Boëthius Epo Rhordahusius
Suffrido Petro. 227. 228. 231. 233.
Bonifacius Amerbachius
Ioanni à Lasco. 7.
Bon. Vulcanius
Adriano Vander-Burchio. 656.
Theodoro Cantero. 712.

C.

Carolus Langius
Suffrido Petro. 245.
Carolus Sigonius
Gulielmo Cantero. 357.
Cælius Secundus Curio
Ioanni à Lasco. 135.
Caspar Cruciger
Ioanni à Lasco. 54.
Christannus Entfelder
Ioanni à Lasco. 49.
Christiernus, Rex Daniæ, &c.
Carolo, Reg. Hispan. 1.

Conradus Pellicanus
Ioanni à Lasco. 101. 105.
Conr. Goclenius
Hectori Hoxvirio. 517. 519.
Cornelius Crocus
Officiali Trajectensi. 94.
Cunerus, Episcop. Leovardiensis
Ioachimo Axonio. 179.

D.

Decanus & Professores facultatis Theologicæ in Academia Archi-palatina
Petro Plancio Amstelredamensis, & Ioanni Becio Dordrecht. Ecclesiæ Past. 747.
Dionysius Lambinus
Suffrido Petro. 250.
Dominicus Baudius
Ioanni Uitenbogardo. 346.
Sibrando Lubberto. 724.

E.

Elizabeth, Reine d' Angleterre
à l' Estats de Frize. 585.

F.

Franciscus Dryander
Ioanni à Lasco. 37.

Fra. Eberhardo Galen
Ambrosio Spinola. 725.
Fr. Iunius
Ottoni Grynradio. 608.
N. N. 610.
Henrico Corputio. 694.
Franc. Nansius
Theodoro Cantero. 706
Fredericus, Archiepiscop. Trajectensis
Ioanni Hogelando. 262.
F. Lindenbruch
Theodoro Cantero. 655.
F. Sylburgius
Theodoro Cantero. 709.

G.

Georgius Dousa
Iano Dousa Parenti. 343.
Iano Dousæ F. Fratri. 345.
Georgius Major
Ioanni à Lasco. 43.
Glareanus
Ioanni à Lasco. 11. 14.
G. Rataller
Lud. à Flandria. 546.
Guljelmus Gnaphæus
Ioanni à Lasco. 25.

H.

Had. Iunius
Philippo Moro. 639.
Hayo Camminga
Auſonio ab Hoxwier. 537. 540.
Hector Hoxvirius
Auſonio Hoxvirio. 180. 182.
Æſgoni Hoxvirio. 183.
Henricus Bullingerus
Ioanni à Laſco. 45. 98. 111. 133.
Ioanni Calvino. 46.
Henricus Geldorpius
Ioanni Tiara. 189. 190. 192. 193. 195. 196. 198. 199. 200. 203.
Dialogus Epithalamicus. 205.
Henricus Gerdovius
Suffrido Petro, 472.
Henricus Paulinus
Georgio Heloandro. 185.
Hermannus van Zanthen
Huberto Duifhuis. 263.
Hieronymus Frobenius & Nicolaus Epiſcopius
Ioanni à Laſco. 23.
H. Kyllygreus
Dom. Gulielmo, Comiti de Naſſauw, Gubernatori Friſiæ, & Deputatis ejuſdem Provinciæ. 588. 589.

Hub. Giphanius
Theodoro Cantero. 715.
Guljelmo Cantero. 641.

I.

Iac. Aug. Thuanus
Ioanni Druſio. 300. 302.
Iacobus Arminius
Ioanni Druſio. 364. 369. 371. 373. 375. 376. 379. 380.
Ianus Douſa Pater
Iano Filio. 604
Lamberto Burchio. 315. 330.
Ianus Douſa Filius
Iano Douſa Patri ſuo. 338.
Iano Grutero. 335.
Ianus Gulielmus
Suffrido Petro. 402. 419.
Theodoro Cantero. 665.
Ioachim Camerarius
Petro Medmanno. 83.
Ioachimus Hopperus
Ruardo Tapper. 534.
Buchoni Montzima. 700.
Io. Hipere
Ioanni à Laſco. 116.

Ioannes Acroni
N. N. Populari. 14.
Ioannes Cæsarius
Ioanni à Lasco. 131.
Ioannes Acronius
Mensoni Alting. 298.
Io. Davenantius Episcop. Sarisburiensis
Festo Hommio. 758.
Ioannes Goropius Becanus
Philiberto Bruxellæ. 267.
Ioannes à Lasco
Petro Medmanno. 117.
N. N. 493. 500.
Philippo Melanthoni. 495.
Ioannes Meursius
Lamberto Vander-Burchio. 658. 659.
Ioanni Cantero. 717.
Theodoro Cantero. 653.
Ioan. Oporinus
Ioanni à Lasco. 139.
Ioannes Piscator
D. Pastoribus Ecclesiar. Gallicarum. 731.
Io. Placotomus
Ioanni à Lasco. 127.
Iohannes Rainoldus
Ioanni Drusio. 350. 359. 363.
Io. Tumerius Bossisius
Volfgango Mayero. 752.

Ioannes Wamesius
Suffrido Petro. 219.
Ioſephus Scaliger
Sibrando Lubberto. 385. 387. 389. 721.
Iſaacus Caſaubonus
Ioan. Druſio. 392. 393. 394. 369. 399. 400.
Ioſepho Scaligero Iul. Cæſ. F. 401.
Sibrando Lubberto. 722.
Isbrandus Harderwijk
Suffrido Petro. 225.
Iulius Epiſcopus Herbipolenſis
Adriano vander-Burch. 693.
Iuſtus Lipſius
Adamo Leemputio. 282. 283. 286.
Erneſto, Archiepiſcop. Colonienſi. 296.
Hadriano vander-Burch. 276. 277. 288. 289. 290. 293. 294. 297.
Ioanni Druſio. 273. 274.
Iano Douſæ. 281.
Ioanni Heurnio. 281.
Ioanni Miræo. 294.
Lamberto Cantero. 692.
Lamb. vander-Burch. 276. 278. 285. 290.
N. N. 280. 291.
Theod. Cantero. 678. 680. 681. 682. 683. 684. 685. 686. 687. 688. 689. 690. 691.

L.

Livinus Torrentius
Suffrido Petro. 412.

Lucas Fruterius
Gulielmo Cantero. 615. 629.
Ludovicus Hungariæ & Bohemiæ Rex
Carolo Rom. Imper. 3.

M.

Martinus Crovitius
Ioanni à Lasco. 125.
Menso Alting
Ottoni Chelidonio dict. Swalue. 702.
M. Carlis Stæ Crucis
Alberto Pighio. 36.

P.

Paulus Manutius
Aniano Burgonio. 65.
Paulus G. F. P. N. Merula
Theodoro Cantero. 652.
Paulus Venetus
Danieli Heynsio. 753.
Petrus Molineus
Festo Hommio. 744.
P. C. Bockenbergius
Lamberto Vander-Burchio. 660.
Petr. Paul. Vergerius
Ioanni à Lasco. 120

Philippus Mornayus
Festo Hommio. 751.
Sibrando Lubberto. 750.
Philippus Melanthon
Alberto Hardenbergio. 90.
Ioanni Æpino. 71.
Ioanni Sturmio. 74.
Iusto Ionæ. 93.
Martino Bucero. 77.
Nicolao Buscoducensi. 78. 91. 92.
Petro Medmanno. 72. 73. 79. 80. 81. 82. 84. 85. 86. 87. 88. 89.
Polidorus Vergilius
Erasmo. 5.
Pontus Heuyterus
Ioanni Axelio. 258.

Q.

Q. Sept. Florens Christianus
Gerardo Tuningio. 307.
I. Douzæ à Nortwic. 309. 313.

R.

Rector, Decani, Doctores & Magistri Universitatis Erphurdiensis
Rectori, Doctorib. & Magistris Academiæ Lovanienſis. 223.

Rector & Universitas Academiæ Lovaniensis
Decano & Capitulo divæ Mariæ Trajectensis. 255.
Reg. Car.lis Polus Leg.
Ruardo Tappero. 119.
Regnerus Prædinius
Gerardo Campio. 167.
Iacobo Mylio. 175.
Renatus vander Duyn
Suffrido Petro. 484. 488. 593. 599. 601.
Richæus de Postella
Hesselo Aysma. 583.
Robertus Bellarminus
Henrico Kuykio. 708.

S.

Steph. Pighius
Thomæ Persols. 110.
Suffridus Petrus
Arnoldo Bonno. 404. 445. 466.
Augustino Kockerto. 443. 458. 480.
Boëthio Eponi Rhordahusio. 416.
Cælio secundo Curioni. 236.
Carolo Langio. 243.
Dionisio Lambino Monstrolienſi. 248.
Gerardo à Groisbeek. 426.
Henrico Gerdou. 464. 465. 467. 482.
Iacobo Cujacio. 417.

Iano Guiljelmo. 422.
Levino Torrentio. 252. 410.
Rectori ac Doctoribus Iuridicæ facultatis almæ Universitatis Duacensis. 413.
Thomæ Guarino. 238. 247.

T.

Theodorus Beza
N. N. 214.
Martino Lydio. 216. 218.
Sibrando Lubberto. 303. 306.
Theodorus Bibliander
Ioanni à Lasco. 56. 63.
Theodorus Canterus
Adriano Burchio. 710.

V.

Udalricus Zazius
Viglio Suichemo. 529.
Viglius Zuichemus
Ausonio ab Hoxvier. 530. 533.
Georgio Hermanno. 554.
Hayoni à Camminga. 552.
Hectori Hoxvirio. 521. 549.
Nicolao Perrenoto Granduellano. 625.
Ruardo Tappero. 543.
Theophilo ab Herema. 184.

W.

Wolfgangus Musculus
Ioanni à Lasco. 132.
Will. Damasi Lindanus
Gulielmo Cantero. 640.
W. Heda
D. D. Decano seu Vice-Decano Capituli D. Mariæ Trajectensis. 29.

BIBLIOTEKA ... VITTEBERGENSIS

EPISTOLA I.

Illustrissimo ac Potentissimo principi,

D. CAROLO,

D.G. Catholico Hispaniarum, &c. Regi, fratri & affini nostro charissimo,

CHRISTIERNVS,

Eadem gratia, Daciæ, Norwegiæ, Sclavorum, Gotorumque Rex, electus in Regem Sueciæ, Dux Slesvicensis, Holsatiæ, Stormariæ, & Ditmersiæ, Comes in Oldenborch, & Delmenhorst, salutem cum perpetuo gloriæ, regnorumque incremento.

ILLUSTRISSIME, & potentissime princeps, affinis & frater charissime. Manifestum & recenti memoria teneri non ambiguus nos sæpius missis Oratoribus nunciis & literis nostris promissam cum Inclytissima principe Domina ELISABETH, vestræ Majestatis sorore, conjuge nostra amantissima, dotem

expostulasse,& vestram Excellentiam admonuisse & incitasse, quatenus datas nobis desuper à Cæsarea Majestate & vestra Celsitudine obligatorias literas observari & adimpleri curaret, quibus tamen hactenus (in non modicum nominis & Majestatis nostræ contemptum damnumque inæstimabile) nulla ex parte est satisfactum : quanquam confidimus V. Celsitudinem arbitrari nos integram dotis solutionem jamdudum recepisse : meruisset hoc fides nostra, qui tam patienter constitutos solutionis terminos priores prætervolare sustinuimus, quique cum vestra sublimitate fraterno fœdere constanti, perpetuâque amicitia (modo ne nimium æquâ & debito fraudamur) vivere & optabamus semper optamusque ; proinde fraterno affectu summopere rogamus & commonefacimus quatenus V. Majestas adhuc conetur & efficiat, ut patentes obligatoriæ literæ nobis datæ observari & adimpleri mereantur, hoc est, ut promissam nobis literis & debitam dotem hîc in regno nostro Daciæ omnino ante principium mensis proximi nobis absque ulteriori dilatione integram exolvi curet. Quod si adhuc exspectatione inani deludimur, cogemur certe ob multiplicem nominis & honoris nostri inexistimationem contemptumque, obque passa jam subeundaque ejus occasione damna irrecuperabilia, alio rem consilio aggredi, conarique, quanquam, DEUM testamur, inviti adversus regna, dominia, & subditos vestros, quomodocunque, quaque arte id per nos, nostrosque expedite magis fieri poterit, quo promissam nobis

bis & debitam, quæque dudum exolvenda fuisset, dotem assequamur, damnaque per ejus solutionis dilationem passa, subeundaque recuperemus. Rogamus præterea, quatenus præsentem nostrum nuntium continuo intra octo aut decem dies à præsentatis nostris literis, ad nos cum responso & literis remittere velit, quibus confirmari, & nostris commodius providere poterimus rebus. Ex arce nostra regia Hafnienſi vigesimâ primâ mensis januarij. Anno nostræ salutis millesimo quingentesimo undevigesimo, nostro regio sub signeto.

CHRISTIERNUS.

EPISTOLA II.

Sereniſſ. & Excellentiſſ. Principi,

D. CAROLO,

Divina favente clementia E. Romanorum Imperatori semper Augusto, ac Germaniæ, Hiſpaniarum Regi, &c.

Fratri sororio nostro chariſſimo,

LVDOVICVS,

Eadem gratia, Hungariæ, & Bohemiæ Rex, &c. Salutem & fraterni amoris continuum incrementum.

SEreniſſime & Excellentiſſime Princeps, frater sororie noster chariſſime. Ex literis Majesta-

tis vestræ Cæsareæ XXVIII. mensis julii præteriti ad nos datis, quas magnificus Andreas de Burgo, Orator ejusdem nobis reddidit, intelleximus Majestatem V. C. difficillimis esse bellis implicitam, & hoc esse in caussa, quod nobis in his rerum nostrarum tempestatibus periculosissimis opem ferre nequiverit, de quibus idem Orator plura nobis coram locutus est, & licet aliter, quam sperabamus, evenerit, responsionem tamen V. C. Majestatis quieto animo accepimus, non dubitantes vel uno vel alio modo futurum esse, quod fieri huc usque non potuit, dolemus autem vehementer, & quam possit explicari vehementius, tum humanitatis U. Cæsareæ, tum nostra caussa, quod in has bellorum difficultate Majestas U. C. eodem tempore, quo nos, inciderit: nam qui Majestatis U. C. fraternus in nos est animus & propensissima ad tuendam Christianam Rempublicam voluntas, non dubitamus, quin opes viresque suas in hostium nostrorum, immo communium excidium collatura libentius fuerit, nisi illam hi, quos minimè decuit, ab optimi, sanctissimi sui propositi cursu revocassent: Sed DEVS omnipotens, qui solet malorum consilia dissipare, speramus ita providebit, ut Majestas U. C. sublatis rerum suarum difficultatibus, brevi quod de nobis juvandis, de Christiana Rep. salvanda, instituerat, facta liberior liberalius, ac pleniore manu præstare possit; quam plurimum rogamus, nostri memor esse velit. Quæcunque Majestas U. C. præfato Andreæ de Burgo, oratori suo

in

in mandatis ad nos referenda dederat, prudenter, ut solet, explicuit, nosque illi fusius respondimus, eumque hortati sumus, ut quæ à nobis sunt dicta, quæque ipse certa quotidie de statu & conditione rerum nostrarum præsens audit & videt, Majestati V. C. perscribat diligentissimè, quam felicissimè valere optamus, eidemque nos & regna nostra commendamus. Ex Castris, juxta Adon, die XVII. Augusti. Anno Domini Millesimo Quingentesimo vigesimo primo, Regnorum nostrorum Hungariæ & Bohemiæ, &c. Anno sexto.

LUDOVICUS REX

Manu propria.

EPISTOLA III.

Reverendo Domino,

ERASMO,

Amico charissimo.

Basileam.

MI ERASME salve. Nudiustertius noster ZACHARIAS salutem mihi tuis verbis nunciavit, significavitque te meorum libellorum famæ profuisse, ac de me postremo quæsivit, an illud sciissem. Ego ad ea respondi, me certum habere studium erga me tuum, & id esse, ut perinde tu mei, ut ipse tui & amantissimus

& ſtudioſiſſimus ſum. Poſtea heri ille duxit ad me puerum tuum, à quo particulatim intellexi quonam pacto tecum ageretur, id quod ſummæ mihi fuit voluptati, nam quod vivis, quod vales, illud maxime ex Republicâ noſtrâ literariâ eſt, cum perſpicuum ſit, naturam te omnium unum ad eam locupletandam peperiſſe. Quod tua in me officia continenter confers, ago gratias, ita reſpondes amori, ita jus neceſſitudinis, quæ jampridem mihi tecum interceſſit, naviter ſervas. Ego itidem facio, qui tuæ maximæ laudis haudquaquam detractator exiſto, id quod teſtatur Epiſtola noſtra ad noſtrum CUTHEBERTUM Londinenſem Epiſcopum, cui nuper duas ſacrorum adagiorum centurias dedicavi. Scripſi item, poſtquam hinc proximè diſceſſiſti, ad te literas, easque noſtro MORO dedi, ſed quia nihil reſponſum eſt, poſtea mihi eatenus tacendum putavi, quoad uſu veniret, ut uſpiam una eſſemus, quod tandem aliquando fiet. Interim ſi tibi uſui eſſe poſſum, utere POLYDORO tuo, qui te etiam pecunia juvare cupit, cujus rei cum poſthac periculum feceris, ſpes non fallet, uti de puero tuo ſcire poteris. Vale Londini. III. Nonas Iunias. CIↃ. IↃ. XXIII.

Saluta quæſo meis verbis IOH. OECOLAMPADIUM, *ſi iſtic agat. Et noſtrum* BEATUM RHENANUM.

Tuus

POLIDORUS VERGILIUS.

EPI-

EPISTOLA IV.

Viro Generosiſſ.

D. IOANNI à LASCO, &c.

NIhil tam præter expectationem accidit, Comes generosiſſ. quam nuncii tui adventus, ac ſubitus ad vos reditus, quorum altero, ut mirum in modum ſum gaviſus, nihil enim mihi jucundius optimi mei patroni literis, nihil magis deſideratum, ita altero non parvum accepi dolorem, eam ob cauſam potiſſimum, quod iniqui temporis anguſtia excluſus, in exemplo Lucubrationum Sadoleti ac Vidæ mittendo, tibi morem gerere non potuerim. Verum, qua humanitate es, te æqui bonique hanc moram conſulturum ſpero, qui nihil durius à clientibus exigere ſoles. Curabo bona fide, ut libelli diligenter exſcripti, proximis nundinis Francofordienſibus ad te deferantur. Deſtrage, quod ſcribis, cum Schytis ædita, memorabile profecto eſt, & non minus certum raræ gentis veſtræ fortitudinis documentum, quam & ſingularis fuit novum illud Senatuſconſultum, quo δημοφόρων imo παμφάγων vulturum præda ſit diminuta. Utinam tantum noſtri Principes ſaperent, qui dum τῶν πρεσπόντων ignari, in diverſas ſecedunt ſententias, & pro ſe quiſque ſua tutantur, fit ut omnia apud nos cum publica tum privata una cum bonis diſciplinis ad πανολεθρίαν tendant. Felices vos, qui ſub tali Principe vivitis. Cui

CHRISTUS ſervator noſter adſit, ut tam claro ſuo inſtituto adaugendæ, illuſtrandæque Reip. ſuæ finem imponere poſſit. Dignus certè, à quo optimi quique κανόνα Princeps tanquam à Canone liniamenta prudentiæ ac dexteritatis, velut à lege quadam, petant. Eius certe effigies apud me ſacro-ſancta habetur, pro qua tibi gratias ago immortales, ſicuti & pro laboribus in inquirendis M. Ciceronis de Legibus libris mei cauſâ inſumptis. Poteram in hoc nimis improbè impudens videri, qui te tantum Virum his fatigare ſuſtinuiſſem, niſi non tam mea, quam publico omnium ſtudioſorum nomine hoc petiiſſem. Commendat ſe tibi *Frobenius* de meliore nota gratias agens, quod Moſchytos libros, ſi quos recepturus es, tam candidè offers. Hoc etiam adjiciens, ſe ſummâ curâ adnixurum, ne ingratus fuiſſe comperiatur. Cætera, ſi quæ fuerunt, præteritis nundinis ſcripſi. Quanquam de meo in te ſtudio nihil dubitas, tamen omnibus literis conceptis verbis teſtatum volo, nihil mihi eſſe prius tuo in me favore, cui me in totum dico; ſi modo vires ſuppetant, polliceri poſſis. Bene vale. Clariſſ. Comes, Patrone incomparabilis. Baſileæ XIIII. KL. JUN. Anno CIↃ IↃ XXVII.

T. D.

Ex animo cliens

BONIFACIUS AMERBACHIUS.

EPI-

EPISTOLA V.

Clarissimo

D. IOANNI à LASKO

Præposito Gnerensi.

S. P. D.

EX literis, quas ad *Erasmum* nostrum dedisti, jucundissimum mihi fuit audire, non solum rectè valere te, sed & literarum ac pietatis, istic agere negocium. Quid enim aliud faceret & literatissimus, & CHRISTO deditissimus. Quod si sic pergas, spero brevi futurum, ut in Polonia tua bonæ literæ feliciter efflorescant, quemadmodum coepere, & quæ ad religionem pertinent citra tumultum componantur. Ego nunc versor in laboribus maximis. Nam editur denuo *Septimius Tertullianus*, cujus scripta non te latet esse depravatissima, quum ob antiquitatem & quod ab hinc annos sex me primum prodente legi cœperint, tum quod in his est mira styli obscuritas, perplexitasque. Videbis quàm bene me gesserim. Nam innumeras mendas castigavi, difficiliora loca quædam aperui. vocabula autori peculiaria, loquendique formulas annotavi. Poterit, ni fallor, deinceps propemodum inoffense legi, qui prius nemini satis percipiebatur. Bene Vale, vir *Præstantissime*. Basileæ. xv. die Decembris. An. CIↃ IↃ XXVII.

BEAT. RHENANUS

ex animo Tuus.

EPISTOLA VI.

C L. Viro

D. IOANNI à LASKO,

Præpoſito, &c.

S. D. P.

SIc eſt, Cl. V. quemadmodum tibi indicavit ERASMUS noſter; auſus ſum ſummo heroi humile opuſculum dicare. Sed deſine queri quod nullo me tibi officio devinxeris, qui toties, quod ego magnum amicitiæ ſignum exiſtimo, ad menſam tuam me vocaris, ac ſubinde me compellaris humaniſſimè, amoremque quendam ſingularem erga me ſemper præ te tuleris. In modo noli ſuccenſere, quod huiusmodi nugas tibi nominatim inſcripſerim, cui non niſi abſolutiſſima conſervare conveniebat. Rogo, ſi D. STANISLAUS TURZO Olomucenſis Epiſcopus adhuc in humanis eſt, adquem anno ſuperiori longiſſimas literas ſcripſi, illi me commendes occaſionem ac oportunitatem nactus. Bene vale, V. CL. & me perpetuo tuum futurum ſcias. Sletſtadij decimo ſeptimo die May. An. CIↃ IↃ XXVII. cum ſim,

BEAT. RHENANUS.

ex animo tuus.

EPIS-

EPISTOLA VII.

CL. ornatissimoque

D. IOANNI à LASKO.

Gneznens. & Lanaciens. Præposito, Custodi Plocens. & Canon. Cracovien. Viro integerrimo, Mecænati nostro summè colendo.

D. IOHANNI à LASKO, CL. POLONIAE BARONI, GLAREANUS S.D. Quam vellem, generose Comes, vel nos tibi propiores essemus, vel tu nobis non adeo longe abesses. Sæpius profecto & scirem, quam valeres, quam placide viveres, & nostram vicissim fortunam cognosceres. Basilea funditus ab OEcolampadiana procella eversa est. Quare ego cum universa familia totaque supellectile cessi, identidem cantillans, *Veteres migrate Coloni.* Erant qui canerent; *Omnibus idem animus scelerata excedere terra, Linquere pollutum hospitium, & dare classibus austros.* Friburgum Brisgoiae concessi ibi benigne susceptus cum à civibus, tum ab Universitate, ac donatus lectione publica Poëtices. Sed nunc Livium lego annuente Universitate. D. ERASMUS, Parens ac Præceptor noster, non ita multo post secutus est. Inque regiam domum receptus Friburgi, degit meliore longe valetudine, quam Basileæ. Id quod non credidissem, nisi in me ipso idem expertus. Totum Collegium Basileensium Canonicorum summi templi Friburgum concessit. In Helvetijs perpetuo tumultuatur. Cæsar in Italiam feli-

cissimè

cisimè venit. Pax inter eum ac Francum certa est: nam ob hoc, publicè factis ignibus hîc triumphatum est. D. ERASMUS epistolarum volumen in XXIV. libros digestum, nunc edidit, in quo tui honestissima, ut decuit, mentio est. Rerum novarum nihil admodum est, nisi quibus nuntius gravandus. Cæterum ad quod benignitas tua olim me hortata est, ut in Arithmeticam atque Musicam simile quiddam, quod in Geographiam feci, ederem. Id à me nunc perfectum. In Arithmeticis sex species compendiolum. Ubi latini græcique sermonis numerandi rationem explico, exorsus à grammaticis præceptis, quæ tamen à Laurentio Valla homine doctissimo tractata serio videmus. In Musicis longe alia ratio mihi inita, quam olim. Duplicem eam institui, planam alteram, adeo familiarem, ut quanquam summa ac intima negotii hujus principia tracto, videar tamen vulgatam scribere Musicam. Ideo feci, quod videam multos rei difficultate terreri, quare opus erat hac illecebra. Alteram mensuralem, rem novam; novis item authoribus ac certe priscis rationibus compositam, ut nunc etiam à doctis citra nauseam & legi & intelligi queat, quod hactenus, mirum quam neglectum fuit. Expecto autem, imo circumspicio diligentem alicubi Bibliographum, qui id laboris suscipiat. Mecænatem ante annum, cui Arithmeticam dedicarem, monstraverat, nominaveratque Zebrzidonius Decanus Lancicienſis, at ego illius nomen non teneo. Et de animo Decani etiam-

nunc

aum dubito. Ideoque malim, si non hoc impudentiæ meæ adscribendum; hoc te monstratore fieri ex regno vestro cui dedicarem. Sed pudor obstat, ne videar ob lucri gratiam magis hoc facere, quam ob publicè invanda studia: Quanquam qui eos juvant, qui suis laboribus authores instaurant, novaque opera edunt, ut locupletissimè abs te erga me factum, nulla delebit oblivio. ij profecto videntur mihi non minus promovere studia, quam ij qui operum authores sunt. Martinus noster optimus juvenis, modestissimæque vitæ, reliqua meæ vitæ studia enarrabit omnia. Is ait ad calendas januarias rediturum nuntium. Tu interea, si non gravaberis, mihi nomen alicuius honesti viri indicato, qui non ægrè ferat meam impudentiam, aut audaciam potius. Arithmeticam uni inscripturus sum, alteri musicam mensuralem. Priorem enim Musicam, hoc est, planam FALCONI Cos. Oppidi Friburgi in Helvetijs, quondam Mecænati meo dedicaveram. Is tametsi mortuus sua laude post fata non frustrabitur, ab quo præter amorem nihil unquam habui; Rhodi sepultus est, cum è Syria secundò rediret. Neque enim sat habuit semel invisere sepulcrum DOMINI. Si non invenias, non moror, ad Lectorem scribetur. nisi aliter interea in mentem veniat. Ignosce mihi, generose Comes, nam rem nunc fabor oblitus mei. Sed GLAREANUM nosti; hoc unum me minus sollicitum facit. DEUS OPT. MAX. benignitatem tuam quam diutissimè nobis incolumem servet.

Saluta

Saluta nomine noſtro D. ANTONIUM Medicum & ANIANUM noſtrum optimæ ſpei juvenem. Denique, ſi videbitur, RAPHAELEM, ſed non Archangelum. Vale. Friburgi ex Lacydio nōſtro, Anno à Chriſti natali CIↃ IↃ XXIX. Pridiè Nonas Octobreis. Annotationes in omnes Livij decadas paro. Sed intra biennium vix perfecero. Primam prope dimidiam abſolvi.

EPISTOLA VIII.

Generoſo ac vere illuſtri Viro

IOANNI à LASKO.

GLAREANUS S. D.

Iliada quam ſcriberem, haberem ſane, Ornatiſſime Generoſiſſimeque Baro, ſed nunc neque tantum fuit ocij, neque viſum operæ pretium diutius, quam oporteat, te obtundere. Quare ut in buccam venient, huc adpingere placet. Tu, qua es humanitate, ac præcipui in me candoris, boni conſule. Mitto ad te novam faeturam laborum meorum, quam opto omnibus ſtudioſis Romanæ Hiſtoriæ tam fructuoſam, quam à me eſt infinitis prope laboribus conquiſita, Regum Romanorum, Coss. Decemvirorum, Tribunorum militum conſulari poteſtate, ac iterum Coss. usque ad aliquot Tiberij Cæſaris annos Nomenclaturam, rationem temporum, bellorum ordinem omnium Livij decadum, cum collatione ad Olympiadas Græ-

Græcas. Quæ ratio autem me commoverit, tibi satis liquere potest, vel ex hoc, quod toties legimus apud Latinos, *Hoc gestum est Coss. Gn. Manlio Volsone ac M. Fulvio Nobiliore.* Item, *Hannibal mortuus est M. Claudio Marcello & Q. Fabio Labeone Coss.* Item mille talia & tamen si quis quærat, Ecquando illi fuere Coss. nihil respondere possumus. Quare mihi ab Urbe condita incipiendum fuit, ab ipsoque Romuli imperio, ac deinceps texenda tota temporum ratio. Ut in ipso volumine videbis. Nam de opere non unum verbum addam, nisi quod quædam interim mihi melius animadversa, sed ea pauca admodum, quæ proxima editione, cum Annotationes publicavero, emendabo. Adorno autem in totum Livium Annotationes, quarum nunc habeo plures mille & quingentis. Dij boni quantum hîc sudoris exhaustum mihi, intra annum autem, si Deus faverit, absolvero. Nunc Dionysii Halicarnassei libros de Antiquitatibus Romanis emendavi, cum Annotationibus plus minus quadringentis, & Chronologia à Troia capta usque ad primos Tribunos Militum Cos. potestate. qui liber à Frobenio nunc est absolutus, & his nundinis Francivadanis publicatur. Edidi præterea in Horatij omneis libros Annotationes adhortatore Dn. Erasmo; quas ego proximo anno publicabo, in quibus nodi in Musicis ab nullo commentatore intellecti, de modis explicantur. Facit eorum mentionem sæpius Horatius, ut od. nonâ Epodon. *Has Dorium, illis Barbarum.* Item od. xi. lib iii.

Tuque

Tuque testudo resonare septem Callida nervis. Ostendam enim septem illas Diapason species apud veteres significari, in quibus tonorum tota ratio constat. Quod ante aliquot annos de Arithmetica ac Musica doctè ac humaniter admonuisti, Id mihi tentatum. Sed in Arithmeticis facile destiti, postquam Tonstalli doctissimum de Arithmetica opus publicatum est. At in Musicis non desistam, donec mundo ostendam, quam hæc disciplina foedè hodie negligitur. Dodecachordon in animo est edere, sed duo nunc impedimento sunt, Livii Annotationes, ac quod nullus hic bibliographus formas habet ad eam rem necessarias. sed cum tempore tamen, CHRISTO bene favente, inveniemus, faciemusque tui nominis in his aliquot voluminibus honestam mentionem, ut viri de nobis optimè meriti. Chronologiam in Livio cui dedicavimus, is bonus vir fuit, & apud Maximilianum Cæsarem olim meus examinator, ut vocant, sed tamen videre non potuit nostram in eum gratitudinem, antea è vivis cessit. Sed non pœnituit me instituti tamen mei. Quando autem video nostra ætate tot libellos ineptos à quibus libet absque omni prodire judicio, longe mihi alia fuit ratio visa. videlicet ut authores antiquos illustrarem, adduceremque ad eorum lectionem plureis ab ineptis istis novis deliramentis, quo exemplo præluxit studiosis omnibus D. ERASMVS: & mihi reliquum vitae pro instaurandis vetustis desudabitur. Sic enim pluribus profuerimus, & si non est tantum præsentis gloriæ, sperandum tamen est

est plus meriti apud DEUM. Quo propius omnibus intuendum, quanquam quid vetat, una cum optimis authoribus, ejus qui eos aliqua ex parte à situ ac squalore defendit, non esse aliquam etiam gloriam? Sed nunc de his satis. Nova audire cupis. Nova scribam, & quæ mihi certò comperta. Hæc nova Religio sive Secta potius, postquam in Helvetiis augeri cæpisset, ut tibi notum est, ex civitatibus XIII. Helvetiorum, Tigurum, Berna, ac Basilea majorem partem Municipiorum ac Clientium in suam partem adduxêre, ita ut quinque duntaxat partes civitatesve in antiqua manserint religione, Luceria, Uria, Suicia, Sylvania ac Tugium: Tres interceſſere, Clarona patria mea, Abbatis-cella, ac Friburgum Helveticum. Cæterûm, ut scis, Spiritus ille non quiescit; Zvinglius undecima die Octobris anni triceſimi primi, collectâ decem millium hominum manu, præcipuè Tigurinorum, invadit terram quinque partium sive civitatum. Illi enimvero non segnes, coacto exercitu octo millium, invasores aggressi, magnam Tigurinorum multitudinem trucidarunt, ibi Zvinglius una cum XVI. suæ sectæ prædicantibus, periit, quem inter reliquos cœsos inventum, per lictorem publicum in quatuor sectum parteis statim eo in loco combusserunt. Huic cladi cum succurrere Basileienses Scaphusianique ac reliqua in Helvetiis municipia vellent, in montem quendam octo eorum millia, castris positis concessere, ibi à Christianis non plus sexcentis ac XXXVI. viris

pulsi ac de monte præcipitati, omnibus impedimentis exuti, magna parte cæsi, captique. Ibi OEcolampadii Titus, insignis eius sectæ Præco cecidit. His duabus cladibus Christiani Boardas curules triginta, Unciatas quadringentas nacti, insignem victoriam CHRISTO favente obtinuerunt. Affinguntur huic rei miracula, ut fieri solet. Sed id mihi visum sat miraculi, quod IↃC XXXVI Viri ausi sint octo hominum millia in acie etiam ordinata invadere. Sed scilicet DEUS dator est cordium animorumque. OEcolampadius tanto afflictus mœrore, deinceps raro visus, vicesima tertia Novembris die mortuus est ac sepultus. Res nunc itaque quiescit. Nemo enim non pertimuerat harum civitatum potentiam, at nunc ridentur cum res in nervum abijt. Hic satis quiete vivimus D. ERASMUS & ego, una cum ZASIO sene & multis alijs honestis viris. AMARBACHIUS adhuc hæret Basileæ, eius ratio hactenus habita est, sed timeo illi. Ita variabilis est hic Spiritus, ne non servent promissa. Hæc cum ad te minimè pertineant, volui tamen te aliquo obtundere modo. Tu vale, optime Mecænas, ac ornamentum regni tui, & me ama. Friburgi Brisgoæ. Anno à CHRISTO nato, CIↃ IↃ XXXII. Quartò nonas Martij.

EPIS-

EPISTOLA IX.

CL. Viro

D. IOANNI à LASKO,

Domino & patrono suo.

ITa quidem literis Sbignei ad me datis cognoveram, te Vitebergæ esse debere. Sed quia ille me quoque illic esse suspicabatur, paucis de te scripsit. Tantum mihi gratulatus est quod te illic consecutus fuerim. Verum quia hesterno vesperi forte in quendam Jurisperitum insideram, Germanum quidem illum, sed qui te & fratres omnes nosset, ex eo audivi te illi visum esse diebus May in nescio quo oppido Poloniæ: non poterat enim nominare nomen Polonicum homo Germanus; & ego sane facile passus sum mihi id persuaderi, cum & te ille potuerit mihi ita depingere, ut certò potuerim cognoscere, eum, videndo te, errare non potuisse; & tantum jam temporis, posteaquam Sbigneus ad me scripsit (scripsit enim die XXIII. Martii) effluxerit, ut interea vel consilium mutare potueris, de profectione, vel si etiam profectus fuisses, iterum redire. Misi autem acceptis Sbignei literis nuncium meum Vitebergam, sed quantum jam cognosco sumptus perdidi. Hac itaque re permotus non dubitavi ad te scribere, cum hac multi proficiscerentur ad mercatum Uratislavienſem, ut illinc iterum ad te remittantur Cracoviam: & tamen ne quid incautè agamus inscripsi literas Sbigneo, si tu fortasse abesses à Polonia. Nam puto eum jam à me accepisse lite-

ras, ut & fasciculos priores à me missos, te absente ad se acciperet. Idem ipse quem dixi jurisperitus attulerat secum Cracoviâ duos panes, siligineum alterum, alterum robeum. Hos miraculi loco nobis exhibebat super cœnam. Signum erat omnibus, maximam caritatem annonæ esse Cracoviæ. Sed idem longè majus miraculum narrabat, Cracoviæ idem esse si quis justam causam habeat atque iniquam: nec illic justitiam valere sed munera & largitiones. Deferebat se lucrum vel duorum millium in anno facere potuisse, si omnium à quibus postulabatur causas in foro agere voluisset: sed sibi conscientiam rectam & æquitatem magis cordi esse quam totum orbem. Narrabat & alia multa de Magistratibus & Sacerdotiis, sed illa memini passim ab omnibus spargi atque jactari apud nostros. Quæ huc afferuntur ea tibi duxi significanda esse. Convenerant, uti prioribus literis tibi significavi, Vitebergam, sacramentarii, qui erant nominis alicujus, ab Argentina VOLFGANGUS CAPITO, MARTINUS BUCERUS: ab Augusta BONIFACIUS UNDFHARD, MUSCULUS: ab Ulma MARTINUS FRECHTUS: à Constantia Io. IUUICK: à Francfordia Io. BERNHARD: ab *Esling* IACOBUS OTTERUS: à *Reut-ling* MATTHÆUS ALBERUS, Io. SCHRADINUS; à Memminga GERVASIUS SCHOLASTICUS; à *Veifeld* MARTINUS GERMAN. ex reliqua Helvetia multi aderant, nempe ex his civitatibus, *Basel*, *Zurich*, hoc est Tiguro, *Schaffhausen*, *Beren*, *Sanct-gallen*, *Biel*, *Mulhausen*, *Eysenach*: à Gotha FRIDERICUS MI-

MICONIUS. IUSTUS MOENIUS ab Erfurdia, qui concionem habuit die ascensionis DOMINI. Hi per octiduum cum Lutheranis seriò disputabant de Sacramento, non publicè quidem sed in ædibus Lutheri. Post longam tractationem sic BUCERUS suam & omnium quos dixi sententiam explicavit. Constare juxta Irenei sententiam Eucharistiam rebus duabus terrenâ & cœlesti, hoc est, cum pane & vino, verè & (ut loquuntur) substantialiter, adesse, exhiberi & sumi corpus Christi & sanguinem. Extra usum vero, negant adesse corpus CHRISTI ut cum asservatur in pyxide, aut in publicis supplicationibus ostenditur. Confessi etiam sunt hanc institutionem Sacramenti valere in Ecclesia, nec pendere ex dignitate ministri aut sumentis; & juxta Paulum, indignos etiam manducare, & eis porrigi verè corpus & sanguinem CHRISTI, ubi servantur verba & instituta CHRISTI; sed tamen tales ad judicium sumere, ut qui abutantur, sine pœnitentia & fide manducantes. Hæc ferè summa est concordiæ. Tametsi autem nihildum de eâ est æditum aut scriptis promulgatum: necesse enim habuerunt ii quos scripsi de omnibus ad fratres & Ecclesias suas referre. Tamen confessi sunt omnes perpetuo se & sentire velle & docere, quemadmodum jam in hac ipsa Synodio dixissent. BUCERUS verò qui doctissimus omnium habetur inter eos ipsos sacramentarios concionem habuit ad omnem Vitebergensem Ecclesiam xxviii mensis May. Ibi homo doctus & copiosus cum ingenti omnium & ad-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA

miratione & lætitia testatus est palam, se & omnes qui venissent secum de Eucharistia & omnibus articulis sentire cum Vitebergensibus doctoribus, quos in cœlum ferebat, affirmans eos purè docere Euangelium, & primos authores esse hac tempestate renovati Euangelij. Sed concionis summam descriptam habes in charta. A concione usi sunt sacramento corporis & sanguinis BUCERUS CAPITO & multi alij. Ita coiit concordia de sacramento. Nam spreta laude sua viri illi non dubitaverunt errorem suum publicè confiteri.

Rex Angliæ, si nondum nosti, Reginam alteram (nam prior mœrore mortua est, de cujus divortio misi tibi proxime judicium singulare) in adulterio cum Fratre illius deprehensam, extemplo inspectantibus omnibus plecti jussit capite, die xix. May. Fratrem vero adulterum in partes quatuor partiri. Talem exitum habet matrimonium illud execrabile.

Anabaptistæ plurimi tenentur captivi à Landgravio, fortasse daturi pœnas capitis, nam Princeps ille non solet seditiosis parcere. Inter Saxoniæ Principem & Misnensem exortæ erant inimicitiæ, ut res jam spectaret ad arma: sed utriusque subditis intercedentibus in concordiam redierunt. Dux Geldriæ inferiorem Frisiam depopulatur; oppugnat jam validissimam eius gentis urbem Groningam. De Bello Danico hæc accepi. Convenit inter Lubecenses & Ducem Holsatiæ ijs conditionibus, ut utraque pars ab armis post multas acceptas calamitates discedat;

Dux

Dux regno potiatur : Lubecenſes veteri libertate & privilegijs utantur. Itaque totum regnum Dux occupat præter metropolim eius Regni Haguniam, quæ à Duce Mechelburgenſi defenditur, etſi mari & terrâ obſidetur. Cætera omnia pacata & tranquilla. Dux & concitator belli eius Conſul Lubecenſium *Wulbencreut* ferè per menſes octo in graviſſimis vinculis detentus à Duce Brunſuicenſe, tortus & in quæſtionibus habitus eſt: rumor eſt eum extinctum eſſe. Talis ſolet eſſe ſeditionis exitus. Hæc habui quæ tibi nunc ſcriberem. Addidi neſcio quos paſquillos, & prophetiam de Cæſare; quem aiunt Gallo hæc ſua manu ſcripſiſſe. *Tu qui pacta non ſervas; ſi victus fueris, ulciſcar in tuo ſanguine.* Vale. Proximè miſeram tibi allegoriam Divi Chriſtophori quam Philippus mihi miſerat, ſed neſcio quomodo per oblivionem non impoſueram in faſciculum Divi Georgij allegoriam. Eam nunc mitto. Vale. Crotovij die xx Junij, CIↃ IↃ XXXVI.

ANDREAS FR.

EPISTOLA X.

Maiorum imaginibus ac eruditione illuſtriſſimo Viro,

D. IOANNI à LASCO, Baroni, &c.

Domino ſuo plurimum colendo.

S. D.

EX D. *Amerbachii* literis tuam inſignem in nos cognovimus benevolentiam, qua aureos centum

tum in subsidium universis *Erasmi*, patroni nostri unici, lucubrationibus unico corpore imprimendis, nobis offers, quapropter innumeras tibi & meritas habemus gratias, imo nec minores, quam si accepissemus. Atqui quum id opus plura requirat florenorum millia quam nostræ possideant facultates, nobis non temerè tale quid, nisi opulentiorum fretis auxilio, est tentandum: undè benignam adhuc aliquam expectamus occasionem moliminis nostri adjutricem quam DEUM speramus ἀπὸ μηχανῆς alicundè per singularem aliquem *Erasmi* sacrosanctæ memoriæ amicum præstiturum nobis. Quantum ad typographicam operam ac industriam attinet, nobis nihil deesse scimus, imò nemo melius aut æquè poterit benè atque nos excudere, quibus multa adhuc ab ipso autore recognita & luculenter aucta sint reposita, quæ vi reservantur æditioni. Quapropter si serius quam multi velint, atque item nos ipsi, Erasmi opera isthoc prodierint modo, non nostrum animum, sed exiguitatem tanto conatu inferiorem ac imparem accusent, volumus, quæ etiam apud Tuam Celsitudinem facile nobis patrocinabitur. Optimè vale Vir Clarissime, ac tuis nos clientibus amicis annumera. Basileæ postridiè Natalis JESU, qui ipsi S. Stephano Protomartyri sacer fuit. Anno CIↃ IↃ XXXVI.

T. D. devotissimi

HIERONYMUS FROBENIUS, &
NICOLAUS EPISCOPIUS.

EPIS-

EPISTOLA XI.

Generoso & verè nobili Viro,

D. IOANNI à LASKO,

Ecclesiarum Phrysiæ orientalis inspectori vigilantissimo, apud Æmdenses agenti, domino & patrono meo imprimis observando.

Æmdam.

GAudeo, Vir Præstantiss. ternas meas literas, tibi, quod scribis, redditas, magis vero gaudeo, quod iisdem respondere vel tandèm, non sis dedignatus. Imo, cum videam te multo cum fœnore, meum in te qualecunque officium rependisse, non possum, quin, simul justam tuam excusationem accipiam, simul, pro tanta tua erga me benevolentia, gratias agam. Quod vero adductis rationibus, nescis, deploresne magis, an gaudeas acceptam conditionem, vehementer doleo. Etenim sic constitutum iri sperabam, illius Ecclesiæ vestræ faciem, per fidele tuum ministerium & sedulum ipsius populi obsequium, ut exteris quoque Ecclesiis in quibus ecclesiastica disciplina & bonis omnibus desideratur, ea exemplo esse posset. Cur enim dignum & optabile non judicarem, ut, quæ tam in recipiendo verbo, & eradenda missarum idololatria, quam explodenda monasticorum hominum hypocrisi cum superstitione conjuncta, prima esset Ecclesiarum, eadem etiam testatæ resipiscentiæ, & plantatæ in Do-

MINO Disciplinæ luculentissimum imprimis specimen ederet. Sed cum videam, ex Ecclesiæ tuæ descriptione, me spe mea penè prorsus falli, jure optimo istos, qui jugum DOMINI tam contumaciter detrectant, & aversantur, iis similes facio, qui neque ad tibiarum cantum saltent, neque ad lugentium næniam plorent. Quid reliquum est igitur, nisi ut excusso pedibus pulvere testeris palam, judicium DOMINI illis imminere, qui pedes Euangelizantium pacem, prædicantium bona, vel aversantur, vel pro ludibrio habere non verentur. Quid autem foris quero quod deplorem, cum domi habeamus affatim, in quo superos omnes inclamemus? Nam si nostrorum hominum ingenia propius intuear, si pastorum nostrorum mores & vitam, ut de doctrina taceam, expendam, verear, ne operam ludas, si ecclesiasticam disciplinam nobis inferre studio habeas. Obstiterint enim vel animorum ferocia, vel philautia, vel consuetudinis tyrannis, ut ne luxum & pervicaciam addam. Adeo hic insolens sit & nefarium *Auriculas teneras mordaci radere vero*. Adeo durum est, consueta relinquere, & Dei gloriæ suam cupiditatem, suique amorem posthabere. Quod eô dico, non ut te ab hac provincia nemini bono pœnitenda, deterream, sed ut ostendam, mundum ubique sui similem esse, & non minus hîc, quam isthîc, jugum DOMINI detrectaturum, si quis nos ad iustam disciplinam ab effreni quidlibet agendi licentia revocare studeat. Quo minus consilium videtur, ut hoc

tuum

tuum ministerium temerè ponas, quin potius si urgebis virtutem tuam, ut vocationem hanc certam facias, non dubito, quin DOMINUS messis respiciat aliquando, te operarium suum fideliter in domo sua versantem, & euangelizanti verbum donet virtute multa, ut nihil minus, quam in vanum curras. Quod vero de Euangelicorum quorundam tyrannide quereris, justus quidem dolor est, & rem ita habere ipsi quoque experti sumus. Siquidem non ob aliud quidam nostratium hominum hinc ejecti fuere, quam quod ab istis fidei nostræ dominatoribus, alicubi dissentiant. Quanquam hoc unum Ecclesiæ huic plausibile nuper accidit, quod sublata modo sit, elevationis idololatria, idque ex Principis longè optimi, & publico primorum Patriæ decreto. Cæterum hoc dolendum exiſtit, quod nulla hîc Ecclesiasticæ disciplinæ ratio habeatur, nihilque ex receptis, & longo usu confirmatis ceremoniis mutatum aut restitutum sit, quum expediret sacram synaxin quam simplicissimè peragi ad CHRISTI institutum. Quin Paulo religio fuit, quicquam hîc tradere Corinthijs, quod à DOMINO non accepisset. Jam verò animum tuum exosculor, quem ad ferendam facultatum direptionem, si qua tibi in patria incidat, confirmasti. Macte virtute, Vir optime, & stationem tuam gnaviter tueare. Si enim fideliter certaveris, reposita tibi manet corona illa immarcessibilis, quam pastores gregis dominici reportaturos edixit Apostolus. De libello nostro quidquid T.P. visum fuerit statue-

re,

ere, non improbavero utpote quem tuum fecerim, & commodum istuc nescio quo fortunæ casu, appulisse mihi videtur SARTORIUS meus, ut, si quid de hujus historiæ fide vel vacilles, vel de ejus martyrio (PISTORIUM loquor) certius aliquid & compertius scire cupias, testem habeas locupletissimum, qui bona etiam pars ejus tum persequutionum mecum fuit, concaptivus nimirum nobis frater, qui utinam rerum suarum statum mihi veteri suo & constanti amico perscriberet, ut ipsius vel dolore doleam vel bono gaudeam. Quod porro D. JOANNEM PRYSÆUM attinet, ex syngrapha nobilis illius, qui in aëre PRYSÆI sese esse conscripsit, facile liquit, quantum illi pecuniæ debeatur. Gratam vero rem Viro bono feceris, si quicquam, hoc est debiti ex syngraphæ inditio, cujus ad te exemplum mitto bona fide exscriptum, ad te receperis, atque hîc postea creditori suo rescribi jusseris. Commendo tuæ humanitati cochlearium quendam IACOBUM HAGEUM, loripedem, concivem meum, qui tua potissimûm opera in civitatem ab exilio revocatum se scribit, non deprehendi hominem, quandiu nobis convixit, seditionis quippiam unquam vel spirasse, nisi quod ab Anabaptismi religione non ita potuerit revocari, hypocrisi quorundam potius quam vera pietate fascinatus. Salutabis mihi PETRUM TRAJECTINUM, & Doctorem nostrum VESTERBURGUM, cui dices, principem nostrum clementissimum æquiorem in nostrates animum pridem induisse. Sed quod

penè

penè oblitus eram, instruitur hîc magnis sumptibus Academia. SABINUS designatus est ejus Rector; accersuntur multi Professores, sed desiderantur Auditores. Summus Pontifex, quemadmodum SABINO per literas pollicitus est BEMBUS, confirmaturus est Principis institutum. Theologus quidam Lithuanus auspicatus est Psalterii interpretationem, & disputaturus est, quæ T. H. hîc mitto axiomata. Vale ex ædibus nostris Regiomonte. XIV. Julii. Anno CIↃ IↃ XLIV. Nuncius ille tuus coactus hîc fuit ex meo simul & D. CHRISTANNI nostri consilio, totam septimanam exspectare. Hoc volui nescius ne esses, ne quid suspiceris fortasse, hominem bonum negligentius sua curasse.

Præstantiæ tuæ studiosissimus

GULIELMUS GNAPHEUS.

EPISTOLA XII.

Reverendis ac Egregiis

D. D. DECANO

Seu

VICE-DECANO,

& Capitulo Ecclesiæ beatæ Mariæ Trajectensis, Dominis & Præceptoribus honorandis.

REverendi ac Egregii Viri, Domini ac Præceptores mei plurimum observandi; post debitam commendationem. Literas Dominat. V. in profesto Mathiæ Apostoli scriptas, lator præsentium mihi existenti Antverpiæ exhibuit. Qua-

Quarum tenori satisfaciendo mitto copias potestatis transferendi theolonea Episcopo Trajectensi dudum concessæ: de quibus ad eum solum finem feci mentionem, ut si pro voto nostro literas juxta minutam alias conceptam nequeamus obtinere. Quod tunc pro simili potestate possemus instare. Et quamvis habeam literas clausas hujus Curiæ continentes avisamentum Curiæ Hollandiæ, & similiter hujus curiæ (quas mihi aperire non licet) directas Cæsari in effectu sonantes, sicuti ex amicis secreto edidici, quod Cæsar possit complacere petitioni V. Dom. confirmando eis de novo theoloneum pro quanto actu utuntur & hactenus pacificè usi sunt: Attamen persisto adhuc pro alijs literis ad Cæsarem ut commendetur, quod concedere dignetur suas literas per omnia juxta minutam conceptam, quarum Dom. V. habuerunt copiam: & prout habere desiderant. Et quia materia hæc concernit directè Imperatorem, & non hanc Burgundiæ Domum, sic isti non possunt concedere sigillum imperii. Quare voluerunt hoc committere Illustrissimo Principi D. Ferdinando tamquam Vicario generali & Principibus Imperii. Sed, uti edoceor, formidarem graves expensas, quas Camera pro taxis suis & Dominus Moguntinus & alii Principes pro juribus sigilli exigerent. Sed visum est consultius per amicos id temptare apud ipsum Cæsarem in Hispaniis, qui similiter penes se habet principale sigillum; quas autem expensas ilhic oporteret subire, incertum habeo: sed decreveram illuc om-

omnia mittere, experirique prius, an gratioſo modo obtineri poſſit, antequam aliqua fieret expeditio, & habito reſponſo Dom. V. deſuper aviſare; niſi forſan eis placeret, quod ſcriberem, ſi in forma petita pro quadraginta aut quinquaginta aureis obtineri poſſet, & pro x. aut xii. aureis pro bibali ſecretarii, qui conficiet literas & ſollicitabit, hoc poterint cum aliquo occurrente nuntio, qui ex caſu venturus erit, mihi ſignificare. Expenſæ autem uſque modo factæ paucæ ſunt & modicæ, & ſi obtinuero literas clauſas magis favorabiles, pro quibus ſollicitat etiam D. Audienciarius Dublioul, & qui eas tunc conficiet pro maiore auctoritate illi forſan dandi forent angelotus vel duo ducati propter honorem, quia pro collegio vel communitate. Si vero non obtinuero, nihil dabo. Sed tamen ſcribam ad Hiſpanias & mittam literas aviſamentorum ad videndum, quid obtinere licebit. Et ſi in aliquo alio potero Dominationibus V. inſervire, præcipiant ac feliciter valeant. Ex Mechlinia ii. Martij. CIↃ IↃ XXIII.

U. D. Deditus Servitor

W. HEDA.

EPISTOLA XIII.

Reverendo Religioſoque Patri

F. GHERARDO,

Priori Carthuſiæ Colonienſis, ſuo velut patri in CHRISTO cariſſimo.

REverende pater plurimum ſalve. Hac ipſa penè hora, cum jam accinctus ad iter nuncius

cius hic ad te flagitaret literas, commodius supervenit, qui istinc tuas attulit, una cum exemplari nostræ responsionis adversus Angli blasphemias, quod mox exscribendum dedi, ut quamprimum rediret ad vos.

Periarchon, quod cum hoc cupis mitti; perscriptum non est, nec absolutum integre, crescit enim opus sub manibus, tametsi in illo noctes diesque pene absque intermissione, etiam cum amanuensis adjutorio, desudem: sed mox à Paschate absolutum, perscriptumque fore non dubito. Quod si Melchior velit imprimere, mihi placet. Vellem tamen elegantioribus, nec tam pressè imprimi, quam *Hierarchia* nostra impressa est. Quod si vellet, ad justi pene voluminis magnitudinem creseeret. De quo, oro te, ut voluntatem ejus scisciteris. Nam si consentit, exemplum, correctè, eleganter, diligenterque scriptum, mox aderit à festis Paschalibus, absque ullo dubio, & forte ego una. Quod ille queritur, adhuc sibi à me deberi quippiam, haud intelligo quale sit. Ego ad præscriptum vestri quondam vicarii illi persolvi; in quo si quid peccatum sit aut factum minus, illius culpa est, qui ad me scripsit, ut certam summam mitterem, addidit, cum disjunctionis clausula, vel tantum, quæ erat summa paulo minor, & si recordor, in uno aureo coronato. Ego vero, ut nunc malè nummatus ob persequutiones & damna gravissima, quæ passus sum, dum Ecclesiæ prodesse studeo, acceptavi summam minorem, quam ipse ita scribendo innu-

nuebat sufficere. Amadeum, quem sæpe ad te mitti postulasti, misissem jamdudum, nisi certa mihi persuaderet ratio, tutum non esse, ut communicetur quibuslibet. Tamen, si tanto ejus teneris desiderio, vel ipse illum afferam mecum, vel ad te mittam cum *Periarchon* excudendum misero. Interim Vale DEO commendatus, cui & me, quæso, tuis tuorumque orationibus diligenter commenda. Raptim Trajecti ad Rhenum. Die III. Marty. CIↃ IↃ XL.

Tuus uti filius,

ALBERTUS PIGHIUS.

EPISTOLA XIV.

EIDEM.

Coloniam.

S. P.

REverende, Religioseque Pater. Probari tibi & piis, eruditisque cæteris labores nostros, quos pro CHRISTI Ecclesia susscepimus, mihi gratum est, nec minus grata tua diligentia, qua earundem impressionem promoves. Articulus de Purgatorio, sub articulo de Pœnitentia & Satisfactionibus pro dimissis etiam peccatis, virtute mihi satis tractatus videtur: de quo ideo non egi specialiter, quod Confessio adversariorum Augustana, quæ excutienda proposita fuerat in celebratis

bratis nuper conventibus, de eo nihil propriè contineat. Mihi probatur tuum in impressione consilium. Vehementer cupio, ut ille M. Jo. Neomagus liberè expungat, sicubi quæ verba offenderit, quæ proba ipsi, aut Latina moneta excusa non videntur, sententiâ tamen eâdem atque incolumi: quandoquidem in verbis nihil laboravi, in quibus libenter admitto aliorum & censuram & perpolitionem, qui in iis versantur accuratius. Habeo adhuc quippiam in manibus, quod cœpi ante dies quatuor aut quinque ob Bucerum libellum, quo Acta Ratisponensia suo more explicat, & ad suum commodum detorquet, atque in nos universam culpam non conciliatæ illic in Religione concordiæ transfert. Unde mihi visum est, veram qui mihi videatur rationem explicare conciliandæ, statuendæ & conservandæ concordiæ. Ex qua evidenter pateat, cur illic sancita concordia non fuerit, in quo etiam laboramus clarè explicare & demonstrare, quopacto quisque certò possit cognoscere, *quis sit hæreticus*, religiosæ societatis desertor, & quis verè Orthodoxus & Catholicus. Quem ego libellum, intra dies octo aut decem ad vos mittam, ut etiam ad nundinas veniat. Cupio autem illum dupliciter imprimi, primum per se in forma folii medii, aut quarto, & præterea, ut adjungatur operi controversiarum, cum quibus cognationem habet maximam. Erunt quaterni pauci, quatuor aut quinque. De hoc cupio, ut impressorem admoneas, atque illi dicas, mihi

hi curæ fore, ut provideatur ejus filio de Sacerdotio Eccleſiaſtico, cujus fac nomen ad me mittas. Sum miſſurus cum eodem errata, quæ obſervari curavi in impreſſa jam priori parte controverſiarum, ut adjungantur calci operis, quod ipſum cuperem etiam iſtic diligenter fieri in parte altera. Cuperem quoque indicem addi materiarum in locos communes digeſtarum, ſed ab erudito ac diligenti aliquo. Alterum opus noſtrum, quod expectas ipſe afferre decrevi, vix enim ſpero, ut me abſente rectè poſſit imprimi: quod ſi fieri poſſe in operis progreſſu reipſa invenero, domum revertar. Cupio impreſſum ipſum eodem charactere, quo controverſiæ nec juſtam magnitudinem excedet, immo, controverſiis ipſis paulò majus fore exiſtimo. Conjicio vix fieri poſſe, ut ipſum inchoet ante feſta Paſchalia, quando nundinæ ad Dominicam Palmarum ferè impeditum Melchiorem detenebunt, undè Paſchalibus feriis venire ad vos, jam penè conſtitui, niſi tu aliud ſuaſeris. Vehementer cupio commendari tuis & tuorum orationibus, & vos rectè valere in CHRISTO. Raptim Trajecti. Dominica in Quinquageſima CIↃ IↃ XL. Non vacavit relegere epiſtolam.

Tuus in CHRISTO filius,

ALBERTUS PIGHIUS.

EPISTOLA XV.

Reverendo ac Doctissimo Viro

D. ALBERTO PIGHIO.

Præposito Ecclesiæ S. Ioannis Trajectensis, tanquam fratri.

REverende Domine, tanquam frater, &c. Ex tuis literis Cal. Septemb. dat. cognovi te ex incommoda valetudine, in quam jamdiu incidisti, nondum plane emersisse, id quod mihi molestissimum fuit. Quamquam spero, cum ex eo die, duo ferè menses sint elapsi, te jam pristinas vires recuperasse, quod quidem si non esset, pro mea in tuos benevolentia, te hortarer, ut tam Præposituram S. Ioannis quam cætera Sacerdotia tua, in tuos nepotes, transferri curares: qua in re si mea opera apud S. N. D. egueris, satisfaciam, spero, omnibus. Quantum vero attinet ad æs alienum tuum, si ejus dissolvendi facultas in mea potestate esset posita, non laborares, & tamen quanvis S. D. N. multis; magnisque hoc tempore impensis, simul gravetur, non deero, tua merita, atque necessitates commemorare, & juvare rem tuam familiarem, quantum potero: ad summam nostrum studium in te tuaque, semper idem, qui fuit, extabit. Libellos tuos cum accepero, dicunt enim ad Cal. Ian. comparituros, libenter legam, ut facio tua omnia. Tu cura valetudinem tuam. Dat. Romæ. VI. Cal. Novemb. CIↃ IↃ XLII.

Uti frater

M. Car.lis S.tæ Crucis.

EPISTOLA XVI.

IOHANNI à LASKO,

Baroni.

TAm efficaci charitatis vinculo Divinus ille Spiritus ſuorum animos conciliare ſolet, ut remotiſſimos etiam & à nobis quam maximè ſejunctos, atque adeo eos, quos nunquam nec vidimus, nec audivimus mirando quodam divinæ providentiæ conſilio arctiſſimè conjungat. Id quod ſæpius in aliis cum norim, tum in me ipſo veriſſimum eſſe experior. Uſque adeo enim inſignes animi tui dotes, quas penè divinas & agnoſco, & veneror, me in amorem tui inflammarunt, ut ſi hujus pectoris æſtus aut tu propius pernoſſe, aut ego tibi pro dignitate calamo depingere poſſem, non ſolum audaciam iſtam meam boni conſuleres, verum etiam animum plus æquo formidoloſum, & imperitiæ conſcientiâ proſternatum, acrioribus pietatis candoriſque tui ſtimulis erigeres, & tam diuturnum ſilentium vehementer increpares. Si quidem affectus iſte non heri, aut nudiuſtertius mihi inſitus eſt: Sed jam inde à tuo conſpectu alta illum mente repoſitum ſervo, tametſi diſpari menſurâ. Nam cum te primum Lovanii viderem, tametſi magni quippiam præſagiebat animus, & divinum neſcio quid mihi coram oculis habere viderer, cum gravitatem illam vultus pari ſuavitate conjunctam, & totius corporis majeſtatem verè heroicam

præsenti animo contemplarer, leviter tamen (quæ mea crassa divinandi peritia erat) afficiebar: ut qui dignitatem illam animi, & thesauros in penetralibus mentis latentes neque agnoscerem neque intelligerem. Postea verò quam ex ore ALBERTI mei eximiam pietatem, germanam religionem, humanissimam deinde morum facilitatem, denique liberalium omnium disciplinarum admirandam cognitionem: ut interim taceam accuratam linguarum peritiam, & copiam beatissimam, quibus omnibus divinitus donatus es præ cæteris mortalibus intellexi: tantum pristino accessit amoris, ut tunc demum seriò amare, antea verò dilexisse viderer. Nec amare modo cæpi, sed certè scintillula ignis, quam in præcordiis internis reconditam gerebam, tam altè progressu temporis radices egit, atque incrementum dedit, ut totum ferè pectus conflagrare videretur. Porro verò cum totus in hoc essem rationem aliquam seu potius pharmacum præsentaneum invenirem, quo incendium istud extinguerem, & desiderio meo aliqua saltem ex parte satisfacerem, præter colloquium, aut literarum vicissitudinem, reperio præsentius nullum. Ad te properare rationes meæ non sinebant, & quæ Lovanio tunc temporis abesse non permitterent, nisi magnam meo nomini invidiam, plus satis alioqui invidioso, conflare voluissem. Sæviebat enim impunè rumor percruentus, impiorum quorundam opera sparsus, quibus, cum non nisi in rebus pessimis exulare soleant, erat odiosissimus, mihi verò, nullius cri-

criminis conſcio, longè gratiſſimus, ut cui contigerit, quantumvis indigno, propter verbum DEI aliquas impiorum pati contumelias. Literis vero meum animum tibi aperire, negabat, atque etiamnum negat craſſa Minerva. Ridiculum enim foret, & non niſi impudentiæ tribuendum, nugamentis (ut ita dixerim) ineptiſſimis tantum virum, negotiis alioquin graviſſimis intentum, interpellare. Quid igitur hîc faciundum erit, inter Scyllam & Charibdin conſtituto? Pereundumne dolore priuſquam vulnus coram medico reſerare ſit integrum? An potius contra decorum aliquid ſupra vires tentandum? Cum in mentem revocarem candorem animi tui minimè vulgarem, humanitatem incredibilem, qua univerſos humaniter amplecteris, imprimis autem Religionem illam ſtupendam ac verè divinam, toties mihi à viris fide dignîſſimis, præſertim ALBERTO meo, qui te intus & in cute (ni fallor) exploratum habet, depredicatam, animum recipiebam, & calamum extemplò corripiebam, ut cogitationes meas tibi literis indicarem. Rurſus, ubi ad me redeo, etſi chartas neſcio quas atramento obleveram, imperitiæ tamen meæ terrore perculſus, protinus manum de tabula ſemovebam. At cum ſæpius tentanti ne ſemel quidem ſuccederet, ante duos menſes itineri ſum accinctus, ut tuam Amplitudinem inviſere, & coram variis de rebus alloqui, liceret. Jam Antverpiam perveneram, cum malus quidam genius, (ut nunquam phanatici ſpiritus deſunt,

qui pia meditantibus oblatrare audeant) ab incæpto curſu pedem reflectere coëgit. Itaque cum propter negotiola quædam, quæ meam præſentiam deſiderabant: tum ob tempeſtatem ſubitò exortam, quæ ſuo impetu & ſævitia facilè ab itinere vel ferreum hominem repuliſſet, Lovanium redire cogor. Interim tamen meam infelicitatem non poteram non vehementer deplorare atque ægrè ferre. Iam penè deſperaveram id quod optabam unquam impetrare poſſe, cum DEUS quiſpiam ἀπὸ μηχανῆς animum alioqui labaſcentem bona ſpe fulcire cæpit. Nunciavit enim quidam ex fratribus heri uxorem tuam ante dies octo fuiſſe Lovanii; cæterùm ignorare utrum jam profecta eſſet in Friſiam. Hoc audito ad illam totus exanimatus accurro. Domum ingreſſus longè majora reperio, quam voto expetere, nedum ſperare auſus fuiſſem: Nempe matrem & filiolam pignora chara tui. Protinus ut parvulam viderem parentem ipſum coram mihi intueri videbar. At quo ſuavius erat puellam intentis oculis contemplari: quod in ea patrem renatum animadverterem, hoc acerbius erat adverſam patris valetudinem ex ore matris audire: quod in eo ſpem atque ſalutem, non modo privatæ familiæ, ſed etiam multarum animarum repoſitam eſſe non dubitem. Iam vero cum illa profectionem adornaret, ne tantam occaſionem, tam optatam, tam inſperatam amitterem, humanitate ſua fretus auſus ſum facinus audax. Quod ſi (ut ſpero) benè verterit, & FRANCIS-

CUM

cum tui ſtudioſiſſimum clientelæ tuæ adſcribere non gravaberis, adnitar omnes ingenioli nervos intendere, omnem tentare venam, ut indies magis ac magis agnoſcas, quanti te faciam. Cæterum vitæ meæ rationem ab ineunte ætate ſuſceptam in præſentia non recenſebo: tum ne ſupervacaneo ſermone aures humanitatis tuæ onerare videar, tum etiam quod Doctor noſter Albertus non ſecus omnem vitæ meæ curſum pernovit, atque ego ipſe: cui ſanè malim fidem adhiberi, quam meis literis. Nunc vero, etſi ſciam totum ferè mundum contra me arma ſumpturum, quod ſtudia literarum, viris alioquin graviſſimis reluctantibus, perſequi decreverim, non tamen committam, ut in gratiam hominum veritatem in injuſtitia detineam, neque Dei dona, quæ gratuita ſua bonitate manifeſta Dominum in me, licet immerentem, contuliſſe ſentio, indignè contemnam. Quin potius veritatem Dei divinitus patefactam pro virili propagare conabor. Hoc ut per gratiam Dei aliquando fiat, Captivitatem hanc Babilonicam fugiendam mihi imprimis eſſe ſentio, atque in eum locum emigrandum, in quo ſynceram pietatem & verè chriſtianam religionem cum honeſtarum diſciplinarum ſtudiis colere ſit integrum. Wittembergam itaque adire conſtitui, quod ea urbs tum ſtudiorum exercitio, tum doctiſſimorum Profeſſorum copia, in omni diſciplinarum genere, bonorum omnium ſuffragiis ſit florentiſſima. Deinde Philippi Melanchthonis

doctrinam, judicium, docendi dexteritatem tanti facio, ut vel hujus unius gratiâ cuperem vel ad extremum orbem advolare, quo tanti viri colloquio & disciplinâ domi foriſque uti poſſem. Quare te vehementer oro per chriſtianam charitatem, ne graveris tuo conſilio, favore, atque autoritate meum juvare conſilium. Id fiet, ſi (qua polles apud omnes doctos viros autoritate) tuis literis apud LUTHERUM, PHILIPPUM, & alios eruditos mihi favorem conciliaveris, & quaſi aditum paraveris. Ego verò ſedulò curabo ne hoc beneficium in hominem ingratum contuliſſe videare. Tu interim, quicquid officii fratri dederis, communi charitatis jure deberi exiſtimabis. Viciſſim in nominibus tuis nos quoque ſemper erimus, non defuturi officio, ſi quando caſus aliquis feret. Quod ſi meum iſtud ſcribendi officium non omnino tibi ingratum fuiſſe ſenſero, gratiſſimum mihi poſthac erit de variis gravibuſque Religionis articulis, qui me non nonquam urgere ſolent, per literas commentari, & totum pectus coram te profundere. Cætera quæ in præſentia hîc agantur ex uxore tua cognoſces. Nactus ſum ante menſes aliquot à nobili quodam viro Hiſpano nobilem gladium, quem ab antiquitate & nobilitate materiæ magnopere commendabat. Etſi autem munuſculum ſit exiguum, tuaque Celſitudine indignum, eum tamen ad te mitto. Cupio enim extare apud te monumentum aliquot tanquam μνημοσύνον amoris erga te mei. Splendorem muneris non ſuis anguſtiis, ſed animi

mei

mei magnitudine metiare velim. Quid mihi cum gladiis, inquies? fateor sanè alio te armatum esse gladio, isto longè præstantiore, quamvis etiam alio ancipiti penetranciore, nempe verbo DEI. At in hoc tantum mitto, ut intelligas me dignitatem utramque & corporis & animi, vel potius DEI munera in te & agnoscere & suspicere: Nempe natalium splendorem, clarissima stemmata, atque adeo regium sanguinem: Deinde synceram animi Religionem, doctrinam raram, totius denique probitatis & pietatis perfectissimum exemplar. Quare animi mei promptitudinem amanter amplecti, ne quæso, dedigneris, etiamsi muneris *ὀυδενιαν* despicias. Vale, Vir Clariss. & FRANCISCI tui nomen in eorum catalogo, qui tibi deditissimi sunt, adscribere dignum duxeris. Lovanii x. die May. CIↃ IↃ XLI.

Humanitati tuæ quantulusçunque est addictissimus

FRANCISCUS DRYANDER.

EPISTOLA XVII.

Cl. ac Doctiss. Viro

D. IOANNI à LASKO,

Domino & amico observando suo.

S. D.

ALBERTUS HARDENBERGIUS FRISIUS, Vir gravis & egregia pietate & eruditione præditus, Generose Baro, dixit mihi tuo nomine salutem, ac significavit te meam a-

mi-

micitiam expetere. Fuit igitur mihi gratissimum intelligere me à te Domino Amplisſ. & Viro doctisſ. cujus & nomen & eruditio ante multos annos ſæpe mihi celebrata fuit, amari. Sed cur meam ducas tibi expetendam amicitiam, plane nihil in me agnoſco. Studia literaria & præſertim ſacra colo ac veneror, ſed nullam mihi ſingularis eruditionis laudem tribuo nec vendico. Amplector tamen Viros excellenti doctrinâ præditos, qualem & te eſſe ex plurimis audivi, à quibus cum & me amari intelligo, magna in parte felicitatis in hac vita hoc pono. Quid enim in hac miſera vita poteſt homini contingere optatius ac jucundius, quam habere voluntates & ſtudia gravium ac bonorum Virorum? Quare gratulor mihi quoque me à te tali & tanto Viro amari. Nos hîc publica pericula exercent. Sunt enim multi ex adverſariis noſtræ Dominæ, potentes, qui ex bello Iuliacenſi Victorem Cæſarem dicuntur in nos incendere. Quod ſi ad arma res deducta fuerit, miſera non tantum Germaniæ, ſed Eccleſiarum & ſinceræ Religionis vaſtatio futura erit. CHRISTUS tamen Eccleſiæ Caput, conſervabit corpus ſuum, uſque ad glorioſum adventum ſuum, quem ut acceleret precamur toto pectore. Bene vale, Generoſe Baro, Domine & Patrone obſervande. Wittemberga. v. cal. Oct. CIↃ IↃ XLIII.

T. C.

addict.

GEORGIUS MAIOR.

EPISTOLA XVIII.

CL. Viro

D. IO. à LASCO, Baroni Polono,

Iam Æmdæ in Frisiâ agenti, Domino colend.

Æmdam.

GRatiam & vitæ innocentiam à DOMINO. Scripsi tuæ humanitati, Vir Cl. mense Iunio, ac spero illas te recepisse. Misi enim Argentoratum ad D. BUCERUM, tantum non obsecrans, ut bona fide ad te perferri curaret. Colligaram tuis & alteras ad venerabilem patrem D. IOANNEM RECAMP, Abbatem Advardiæ, quem inhortor ad reformandas Frisiæ Ecclesias. Utrique chartaceum misi munusculum. Tibi *responsionem* meam *ad* D. IOHANNIS COCHLÆI *lib. de authoritate scripturæ & Ecclesiæ.* D. Abbati eundem dedi libellum, sed adjeci tamen COCHLÆI, & *duos alios libros* meos *De authoritate scripturarum & Functione Episcoporum*, Regi Angliæ inscriptos. Quod si ista non curavit BUCERUS, nihil aliud cogito, quam illum negligentius mea expedire, quod hactenus non potui probare *Compositiones* & *Retractationes*, quibus ille sane cupit prodesse Ecclesiæ, ego vero arbitror obesse plurimum. Certe apographum epistolæ meæ ad D. Abbatem hîc mitto, ut si quid illius negligentia peccatum sit, per te, hoc exemplo, pueri mei manu descripto, farciatur. Tuas non curavi describi, nullum itaque apo-

gra-

graphum dare potui. Respondi autem ad tuas illas longè gratissimas, nempe Martio ad me datas. Cæterùm omnia bona fide reddita spero, sin secus, fac obsecro ne ignorem.

Plura quæ in præsenti scribam non habeo, nisi quod hoc mense fuit apud nos doctus quidam Juvenis ENNO FRISIUS civis Æmdanus, qui tuam fidem & diligentiam in Euangelio CHRISTI, valde commendavit ministris & fratribus Tigurinis. Sed vix horam unam atque alteram apud nos mansit. Habebat enim itineris comites, qui admodum accelerabant. Scripsi & D. HERMANNO AQUILOMONTANO Ecclesiæ domus senum prope Æmdam ministro, amico & Fratri veteri. Cui si has reddideris, rem feceris longè gratiss. jussi ut eas quoque tuæ humanitati exhibeat. Si ergò fatis cenceſſerit, tibi putabis inscriptas. Vale Vir CL. & meam rusticitatem boni consule. Tiguri in Helvetiis XXIIX. Augusti. Anno CIↃ IↃ XLIV.

Tuus ex animo

HEINRICHUS BULLINGERUS.

EPISTOLA XIX.

CL. Viro

D. IOANNI CALVINO,

Domino honorando & Fratri chariſſimo

Genevam.

S. D.

PRæstiti quâ potui fide id quod pollicitus sum, Domine colendissime & Frater chariſſime, ac

ac quod Religionis nomine debui. Contuli enim negotium, quod scis, cum delectis aliquot, nec aliud possum elicere responsum quam tale: *Favemus Ser. R. A. ex animo propter præclaram illam ejus indolem, excellensque in Religionem sinceram studium, sed nihil polliceri possumus, quod fœdus attinet vel auxilia, idque innumeras ob causas*: Addunt iidem, *An vero legatio in A. religionis causa impetrari possit mittenda nequivimus divinare, cum quod bona Senatorum pars aliquot territi exemplis semper suspicantur aliud latere sub istis legationibus, tum quod hujusmodi negotia non possunt perfici nisi per suffragia Ducentorum, apud quos est summa potestas. At cum inter ducentos diversissima sint ingenia, stultissimum foret de his aliquid statuere certi. Pollicemur tamen omnem nostram operam, si quando R. A. aliquid postulaverit, quod ad Religionis consensum puræ, ejusque propagationem duntaxat pertineat.* Quinimo, ut certi aliquid haberent, noluerunt negotium hoc, ut ab amicis, non ut à R. aut R. Consil. propositum, aut adumbratum referre ad senatum. Ego vero modis omnibus obstiti, territus casu non ita veteri. Cum enim D. Montius hujus aliquid proposuisset, ut mysterium aliquot in Helvetiæ urbibus, protinus id rescivit Reg. Rom. apud Constant. Locum tenens, hostis crucis CHRISTI, qui & frustrationem mirè exagitavit. Non quod putem nostrorum aliquem vel Schaffhusianorum aut Sangallorum, quibus eadem ille proposuit, malicioso prodidisse, sed imprudenter effutivisse. Ne ergo id nunc quoque eveniret, modis omnibus obstiti,

ne

ne senatus mysterium hoc resciret. Accessit ad hæc consultatio de Concilio Tridentino, quæ ne quas suspiciones excitaret, aut bonum negotium prorsus disturbaret timui. Si quid ergo peccavi, solicitudine peccavi non maliciâ. Nam Pont. Rom. missis ad comitia Badensia Nunciis & Brevi Apostolico, ut vocant, postulat ut Helvetii Prælatos & Pastores suos mittant in Concilium Tridentinum. Idem à Sangallorum & aliquot urbibus Cæs. missis literis postulavit. Ubi ergo Legati nostri Badena redeunt, proponunt negotium Senatui. Senatus jubet exponi Concionatoribus sive Ministris, ut excussa propositione, quid agendum sit scripto commendent. Scripsimus ergo demonstrationem, ostendentes indignum esse Pont. cui respondeatur, deinde Concilium Tridentinum non esse tale ad quod viri pii debeant accedere, &c. Isti, intellectâ omnium nostrorum sententiâ, Comitia conscribunt ac Tigurum vocant ad XXVI Iulii, Bernam, Basileam, ac Schaffhusium, idque hodiè factum est. Confœderati nostri Papistici arbitrantur æquum esse, ut urbes se Concilio subjiciant. Res ergo gravis inter nos jam vertitur. Spero DOMINUM nobis non defuturum. Tu semper ora pro nobis DOMINUM. Ista autem te Domine & Frater mi ignorare nolui. Fac tu pro tua prudentia, quod è re CHRISTI & Ecclesiarum fore putaveris. Ego hîc omnem meam tibi impendero operam. Vale æternum. Salutabis omnes in CHRISTO Fratres, Gallasium imprimis. Tiguri VIII. Iulii CIↃ IↃ LI.

BULLINGERUS *Tuus.*

EPISTOLA XX.

Magnifico ac verè nobili

D. IOANNI à LASCO,

Domino suo imprimis observando.

PRimis illis tuis ante sesqui-annum ferè ad me datis literis, Magnifice D. à Lasco, quibus non gravatus es, me quamvis obscurioris loci atque ordinis hominem, ad amicitiam prior provocare, citra omnem cunctationem eodem nuncio respondi, ipso facto contestans, oblatam tanti Viri benevolentiam, mihi neutiquam esse vulgarem. Quod autem proximè superioribus tuis literis tardius nunc respondeam, quam vel ego debeam, vel tu etiam fortasse expectes, in causa fuit, quod Principis Celsit. Tuo nomine compellare non liceret: obstitit enim hactenus vel id præcipuè, quod hyberno hoc tempore raro egerit domi; Nam à Posonia reversus, ubi cum sororio suo Duce Lignicensi & plerisque aliis, super certis negotiis consultavit, venationi perpetuò vacavit. Ea vero nondum absoluta, insperatum ecce & tristem admodum, de germani fratris sui *Georgij Marchionis* obitu, nuncium accepit, quo factum est, ut ejus Cels. serius tandem nobis restitueretur; nactus igitur his diebus opportunitatem conveniendi Principis, suæ Cels. ex literis tuis omnia exposui, quæ mihi videbantur bona fide proponenda, auspicatus meam narrationem, ab animi tui gratitudine,

quâ ejus benevolentiæ tam erga te quam fratres etiam tuos multifariè oſtenſæ, non parum multa debere fateris. Cætera deinde eo ordine ſubjeci, eâque modeſtiâ propoſui, quâ ſperare potui, me gloriam CHRISTI, & tuam apud Principem exiſtimationem promoturum. Exoſculabatur autem Princeps optimus, & ſerena admodum fronte acceptabat propenſum illum tuum in ſe animum, quem & ſibi jam dudum perſpectum & exploratiſſimum eſſe dicebat, nec obſcuris comperi argumentis, in tam ſtudioſa tui commendatione, memorem monuiſſe me, ut cui dudum, ob eximii ingenii dotes, & heroicas animi virtutes, quas etiam ipſe mihi tum prædicavit, ſic commendatus fuiſti, ut commendatior per me, tam obſcurum laudum tuarum preconem, fieri neutiquam poſſis: quin & altis ſuſpiriis pientiſſimus Princeps apertè teſtabatur, ſe non parvo tui deſiderio teneri, utpote cujus opera in Eccleſiaſticis negotiis, ſi res ita ferat, quam commodiſſime uti poſſit: Quid quod ipſius Celſ. nequaquam etiamdum excidit; qua alacritate, quo ſtudio, tum aliquando officium, per LUDOVICUM DECIUM ipſi obtuleris, cui nec tum quoque diſſimulanter habuiſſe memoravit, quam gratum ſibi foret, ſi quando ad ipſius aulam te invitari adducique patereris. Verum quid poſt eam commendationem inter vos ultro citroque ſcriptitatum ſit, id quidem Princeps optimus huc uſque ignoravit. Quod reliquas epiſtolæ tuæ partes attinet, commendavit ſua Celſ. & hunc animi tui candorem,

quem

quem in patriam, tibi etiam parum æquam, tuoque adeo sancto instituto infensam, constanter retines, pariterque non potuit non laudare prudens tuum consilium, qui habenas Ecclesiastici regiminis moderandas, non diutius istic susceperis, quam dum hîc tua opera opus foret. Speramus autem & Borussiam, patriæ tuæ ut loci vicinitate, ita & fide conjunctam, tibi cum primis etiam charam esse, cui gratificari non detrectes, si qua contingat, ut huc voceris, tantum abest ut speremus te Frisiam istam, his regionibus chariorem habiturum. Jam nec illud te latere velim, quod Princeps opt. jucunda simul ac diserta antithesi, te cum tuo fratre acerrimo pugile composuit. Etenim admirationi ejus Ce situd. fuit, quod ex unis parentibus, tam diversæ indolis fratres uterini ederentur; obiter interim pacis ac pietatis studium in te laudabat, ac muneris Ecclesiastici tum accommodum tum dignum magnificè prædicabat: Illius contra animum verè militarem, irrequietum, & in despiciendis periculis fortissimum admirabatur. Quod deinde scribis, de injecta tibi spe, relligionis in patria restituendæ, facile ex tuo animo metiri potes, quibus votis Princeps opt. id ita evenire optet, quanquam adhuc nihil satis firmi sit, cur non potius id, ex tua sententia optandum, quam sperandum sit. Non desunt quidem, qui feliciora ominantur auspicia, sub regimine Iunioris aliquando obventura, ex eo præcipue, quod optimates regni, quos seculares vocant, saniori doctrinæ tam impensè faveant,

veant, ex parte tamen regis, nullum hactenus apertum vidimus specimen. Interim teguntur omnia, ut apparet, data opera, Studioseque curatur, ne Princeps noster, quicquam harum rerum, quæ ad veritatis Euangelicæ propagationem pertinent, resciscat. Et procederet fortasse quorundam studium auspicatius, nisi Bona illa Iesabelis, malarum persuasionum sagacissima auctrix, una cum suis prophetis, summis viribus contra niteretur, assiduèque præcaveret ne veritatis euangelicæ lux alicundè eluceſceret: Cujus si vel scintillam aliquam micare conspiciat, non conquiescit, donec illam, quo ad potest, extinguat. Quare timendum, ne si maximè etiam velit prudentissimus Rex, quædam in his rerum fluctibus mutare, vix possit: nam ita jam regnum hoc constitutum videmus, ut *non audiat currus habenas*, ut inquit Ille. Hæc eò dico, non quod diffidam, DEI OPT. MAX. misericordiam, quâ terra plena est & cœli abundant, & Polonis aliquando affulsuram, potens siquidem est DOMINUS, ex novissimis facere primos. Sed ut, quid mihi tandem videatur in hoc rerum statu sperandum, ex me intelligas. In summa, de patria illa tua nihil certi promittere possum, at de Principe nostro Clementiss. id tibi persuadeas velim, quod de tui studiosissimo & fideli patrono, qui nunquam non honorificam tui mentionem, etiam apud tuos faciat, & quid præterea possit, libens præstet. Ut vero ad Te mea nunc recurrat Oratio, Magnifice Do-

Domine, hoc unicum abs te impetrare me sinas quæso, ut novam illam, ex veteri & apostolica institutione sumptam, Ecclesiæ tibi commissæ, ordinationem ad me mittere digneris, neque hujusmodi pium laborem nobis invideas. Quam & ea lege ad me recipere paratus sum, ut nulli, nisi id jusseris, communicetur. Sunt etenim & hîc, qui in Ecclesiasticis cæremoniis mutationem quandam meditantur, ne elevatione illa papistica, panis dominici corporis, adorationi deinceps tam periculosæ prostituatur, quod si fiet, paratiores erunt fortasse hi, qui sectarii putantur, è quorum consortio nonnullos publico mandato hinc ejectos audivisti. Sed pius Princeps, haud alios quam factiosos quosdam Anabaptistas profligatos existimavit, quo fit, ut hanc calamitatem, Amoni potius nostro, cujusmodi aulæ fere habent, quam Principi Opt. acceptam feramus. Neque enim novum est, id genus turbas, propter cæremonias excitari, quandoquidem ab initio nascentis Ecclesiæ, cæremoniarum controversia viguit, quanquam non tam cruente pro legalibus illis, per CHRISTUM abolitis, olim sævitum est traditionibus, quam modo pro papisticis, à CHRISTO eo ordine, quo ipsi utuntur, nunquam institutis. Sed hujusmodi mala debemus iniquitati novissimorum temporum quo juxta CHRISTI vaticinium, immodicè abundabit. His cogor vela complicare, Magnifice Domine, ne te virum, ut maximis, ita molestissimis negotiis occu-

cupatum, nugis meis diutius detineam. DEUS OPT. MAX. Te nobis quam diutissime incolumen felicemque conservet. Regiomonte, v. Nonarum Martii. Anno CIↃ IↃ XLIV.

Tuæ Magnif.

deditissimus

CHRISTANNUS ENTFELDER.

EPISTOLA XXI.

Nobilitate generis, doctrinâ & pietate præstanti Viro

D. IOANNI à LASKY,

Ex nobili familia Baronum, inspectori & gubernatori Ecclesiarum in Frisia Orientali, domino suo multis nominibus observando.

S. D.

CUm mihi Vir optimus HALO AMSUIRUS sæpe pleno ore prædicaret excellentes virtutes tuas cum singulari laude humanitatis conjunctas, etsi mihi de iis jam ante de fama constaret & aliorum præclaris testimoniis constabat, tamen HALONIS oratione non mediocriter incensus sum cupiditate conciliandæ alicujus tecum notitiæ, & aliqua occasione insinuandi me in amicitiam talis Viri, quem propter summas commendationes non possum non mirifico amore complecti, præsertim cum mihi antea visi & cogniti sint viri præstantes fratres tui HIERONYMUS & LADISLAUS, quorum cum ex ipsa specie singularis vis ingenii eluceret, &

tu

tu ab illis nativis tui generis dotibus nihil discesseris. Sed ad illud decus excellentem doctrinam & singulare studium pietatis adjunxeris, longè majorem tui admirationem mihi conciliasti, qui præ cæteris hoc tanquam peculiare DEI donum, merito & eximiè prædicandum duco, quod illa ipsa præclara ornamenta ad propagationem doctrinæ cœlestis & celebrandam gloriam DEI contulisti. Sed cum mihi & occasio deesset quæ aditum ad te patefaceret, & verecundia obstaret cupiditati meæ, in utroque pulchrè me adjuvit HALO, cum discessurus à nobis, literas à me, quibus ad te rediret commendatior, postularet. Nam & occasio idonei temporis utraque manu arripienda videbatur, & quo minus vererer ne quid offenderem, animum mihi idem addidit sua fide interposita, confirmans, hanc significationem mei erga te animi tibi non ingratam fore. Itaque hoc ipso autore & sponsore de voluntate tua, ausus sum ad te scribere, ac valde te oro ut qualemcunque commemorationem mei studii & amoris erga te in optimam partem accipias, & me tui studiosum vicissim benevolentiâ tuâ complectare. Reliquum est, ut tibi HALONEM commendem, qua gratia ipse à me literas flagitavit. Sed egi priores partes meas, ut per hunc ipsum me tibi potius commendari voluerim. Nam de ipso minus mihi laborandum esse videtur, ac ne opus apud te quidem accuratiore commendatione esse. Sed tamen quia aliquod testimonium vitæ hîc actæ auferre voluit, hoc ipsi ut

honorificè detur, virtus hominis meretur. Erant hoc prolixè confirmaturi suis literis ad te D. Doctor LUTHERUS & PHILIPPUS MELANTHON, Sed casu accidit, ut nunc cogeretur iter ingredi illis absentibus, cum una essent ad aliquot dies exspatiati. Sed de illorum judicio interim mihi testi, ut spero, credes, ac HALONEM revertentem ita recipies, ut qui eam commendationem eximiæ probitatis ac studii, doctrinæ, pietatis, quam istinc ad nos attulit, non mediocri accessione auxerit. Audivimus hominem tua in se beneficia sæpe perhonorificè & cum prolixa mentione gratitudinis commemorantem. Quare non dubitamus eum porro etiam pro tuis erga ipsum meritis memorem & gratum fore, præcamur autem DEUM Patrem Domini nostri IESU CHRISTI, ut & te ad utilitatem Ecclesiæ suæ servet incolumen, & vestras Ecclesias regat ac tueatur: ita ut vicissim à vobis vota pro nobis fieri scimus. Benè Vale. Wittebergæ die ... Octobris. CIↃ IↃ XLV.

CASPAR CRUCIGER.

EPISTOLA XXII.

Ornatissimo Viro

D. IOANNI à LASCO,

Antistiti Eccles. Frisiæ Orientalis, domino suo imprimis observando.

S. P.

QUum temeritatem meam scribentis ad te Virum excellentissimum ea humanitate accepe-

peris, ut beneficium tibi datum esse interpreteris, ubi mihi potius impôrtunitatis aut etiam impudentiæ culpa deprecanda esset, præterea me in numerum amicorum tuorum reponere dignatus sis, nihil aliud facere possum, quam tibi agere gratias quantascunque possum, & admirari tuas virtutes, easque apud alios predicare: non quod meo præconio major possis fieri; sed ut plures exemplo pulcherrimo excitentur ad modestiæ Christianæ imitationem. CHRISTUS Princeps gloriæ & Dominus atque Servator noster indies augeat in te sua rara & inæstimabilia dona tum ad amplificationem sui nominis, tum ad Ecclesiæ suæ præsidium, & consolationem & verum ornamentum. Cæterùm ut Patri Cœlesti meritô gratias ingentes agimus pro suis beneficiis inæstimandis, qui per electa organa Ecclesiam hoc gravissimo tempore tum rigat, tum plantat, tum ædificat, tum defendit non modo contra insidias & versutiam occultiorem satanæ, verum etiam contra vim apertam antichristi & membrorum ipsius: ita censeo precibus ardentiss. supplicandum, ne dominus offensus nostra ingratitudine eripiat nobis viros, quibus indignus est mundus. Et D. quidem LUTHERI obitus tantum mihi justi doloris adtulit, quantum antichristianis gaudii & tripudii peperit: quorum tamen judicium propterea non cessat, neque manus & gladium bicipitem Vindicis CHRISTI, effugient. Nam ea quæ nemo cordatus in LUTHERO

unquam probavit facile condonavi ei ob eximia charismata, quibus Remp. christianam plurimum adjuvit. In multis offendimus omnes, & ut ethnicus ait, *Vitiis nemo sine nascitur, Optimus ille, qui minimis urgetur.* Jubetque lex Apostolica & Christiana, ut alter alterius onera portemus. Quod si paulò acerbior forsitan fuit responsio ministrorum Ecclesiæ Tigurinæ ad scriptum LUTHERI, par est, ut nobis quoque venia detur, præsertim quod eam responsionem plurimæ causæ non levis momenti extorserint. Si posthac illi Eruditissimi Viri, qui proceres & columina Ecclesiæ CHRISTI videntur, ita se gesserint, ut appareat eos esse per omnia Veritatis Catholicæ assertores constantes, & nomini divino amplificando devotos hostiumque Ecclesiæ oppugnatores & sanctæ pacis atque concordiæ studiosos, ut decet filios DEI & discipulos ac fratres & membra CHRISTI, spero vicissim Tigurinos per CHRISTI gratiam se tales præbituros, ne in hoc pulcherrimo & divino certamine postremas partes tenere videantur. Porro quæ sapientiss. simul & veriss. scribis de servanda simplicitate atque libertate christiana in discutiendis dogmatibus & pronuntiando & monendo mutuum, in iis tuæ sententiæ per omnia subscribo. Etsi enim parum sum peritus rerum, parumque valeo judicio, animadverti tamen, si ea res cordi fuisset olim plerisque Patribus Ecclesiasticis, nostraque ætate majori studio culta fuisset, nos & doctrinam fidei sinceriorem & minus turbarum in Ecclesia habi-

bituros fuisse. Equidem ut non majus beneficium à quolibet homine præstari mihi posse judico, quam si quis admonendo & redarguendo ab erroribus asserat, ac in viam veritatis & consensum Ecclesiæ Catholicæ reducat: ita liberè te admonerem, etsi non ignoro, quantas opes veræ sapientiæ in te contulerit Dominus, si aliquod dogma sacris literis apertè repugnans in tuis scriptis deprehendissem: nam rationem disserendi & explicandi fidei dogmata insolitam mihi non temerè damno aut rejicio; sed ἐπίκαν aliquantisper, & sententiam ἔσ ἐντῦ in scriptis eruditorum hominum pervestigare diligentius, modestiæ & candoris christiani esse duco. Cujus generis mihi videntur ea, quæ scribis *De discrimine peccati diaboli & Adæ*, *De vi originalis & hæreditariæ noxæ*, *De peccatorum pœnis atque differentia inter mortem & gehennam*, & quod adjicis, *Nullam esse redemptionem in inferno*. Inquibus etsi non dubito te Virum exercitatissimum in divinis scriptoribus, & præditum acerrimo judicio, præterea veritatis simul & pietatis inter primos studiosum, orthodoxè sentire, fateor tamen ingenuè, me nondum etiam perlecto tuo noviss. scripto videre sententiam quam assensu firmo amplecti, profiteri, defendereque possim ceu disertè Verbo DEI traditam. Et quia ex aliorum literis cognitum habes, quid hisce de rebus doceamus in Ecclesia Tigurina, & ut confidimus, edocti Verbo DEI, nolo eadem scribendo supervacaneè negotium facere tibi, multis alioqui curis Ecclesiarum occupatissi-

tissimo. Præsertim quum nihil dubitem jam redditam esse epistolam meam, quam superiori anno *Gerardo* nostro ad te dedi, in qua sententiam meam tibi aperui, quanta potui simplicitate. Unum illud attingam, ut sentiam, atque, ut spero tecum & cum Ecclesia tota sentiam, *Redemptionem nullam esse in inferno:* quo veluti fundamento nititur discrimen inter mortem & gehennam, nec non *discrimen inter peccatum diaboli & Adæ.* Nempe inferorum nomine haud vis intelligi sepulchrum, quod noviss. die reddit mortuos suos, quando in pulvere dormientes resurgent: non eam sedem atque domicilium & conditionem, in quam Sancti migrarunt ante passionem CHRISTI. Sed eum locum & conditionem intelligi oportet, de quibus loquitur Dominus in parabola euangelica, qua ostendit diviti epoloni sepulto in inferno à patre Abraham negari omnem recreationem subdita ratione, quod bona sua perceperit in terris. Eum infernum intelligo tenebras exteriores, & mortem æternam, & ipsam gehennam. Undè nemo redimi potest, qui excedens è vivis eò damnatus fuerit. Quemadmodum contra obdormientes in Domino, & in vera fide decedentes, in sinum Abrahæ, in paradisum, in cælos, absolutam beatitudinem obtinent, quæ metu vicissitudinis caret. Tantumque expectant corpus etiam suum superindui immortalitate: ut glorioso corpori CHRISTI confirmati, corpore pariter & animo divina felicitate fruantur. Qui enim crediderit in filium DEI,

&

& perſeverat in finem, in judicium non venit, ſed tranſit de morte in vitam. Qui non crediderit, jam condemnatus eſt, ac niſi reſipiſcat, dum animus etiamnum agit in corpore, in altero ſeculo immutabili ſententia obnoxius eſt, ut neque pœnitentiæ neque veniæ locum habeat reliquum, ſed ira DEI manet in æternum ſuper infideles. Nam *arbor in utramque partem ceciderit, in ea manebit*, ut ait Salomon. Et Dominus CHRISTUS ait, *Tempus eſſe*, nimirum poſt ultimum hujus temporariæ vitæ diem, *quando nemo amplius poteſt operari, ſed tantum quiſque percipit, quod geſſit in hac vita.* Itaque longiſſimè abſum à delirio Machometiſtarum & Origeniſtarum, qui hominibus mortuis in ſua impietate & peccatis atque adeo ipſi diabolo pollicentur liberationem à pœnis inferni, quum Dominus pronunciet æternum ignem paratum diabolo & angelis ejus & impiis hominibus. Rurſum vero expendens ampliſſ. promiſſiones Euangelii, quæ omnibus peccatoribus pollicentur veniam, omnes invitant, hortantur, incitant, ut ad opera & miſericordiam DEI confugiant freti merito filii DEI incarnati & paſſi pro ſalute totius mundi, totus abhorreo à Novati & Catharorum doctrina, quæ veniam negans lapſis, deſperationem & odium DEI mentibus inſtillavit atque Euangelii & CHRISTI Servatoris gloriam obſcuravit. Certe flagitia enormia Sanctorum, ut Davidis, Petri, Pauli & exempla mulieris, ex qua Dominus ſeptem ejecit dæmonia, & latronis alte-

alterius, cui petenti opem CHRISTUS statim promittit paradisum, & alia innumera, persuadent mihi, ut toto pectore credam, fores divinæ clementiæ patere iis etiam, qui aliquoties revocante illos sua ipsorum conscientia ruerunt in scelera, qui capitalia & mortalia peccata commiserunt, qui suo merito se gehennæ sempiternis suppliciis obstrinxerunt, quando resipiscunt, atque fiducia promissionum DEI conjiciunt se in mortem & salutiferam crucem salvatoris CHRISTI. Neque existimo aliquod scelus tam atrox, ne peccatum quidem in SPIRITUM SANCTUM, quod non in hoc seculo remittatur, si homo recedat ab impietate, si desinat repugnare SPIRITUI SANCTO, si nomen DEI invocet, asseraturque homo ex gratia DEI immensa propter CHRISTUM ab æterno gehennæ suplicio, quod suis peccatis sibi accersérat. Præterea intuens tum alios locos divinæ scripturæ, tum formulam pœnitentiæ saluberrimam, quam Daniel regi Babylonico dictat, sentio resipiscentibus ab impietate atque flagitiis per ardentes preces, & beneficentiæ in proximum exercitio mitigari etiam pœnas temporarias. Hæc volui ad te scribere, ornatissime Domine à LASCO, ut desiderio tuo satis indulgerem. Quæ spero pro tua inusitata & rara modestia æqui bonique consules. Et si qua in re nos Tigurinos mèque imprimis errare animadvertis, pro tuo jure liberrimè admonebis & castigabis, quo nihil vel utilius vel gratius esse poterit. Opto teatque totam

totam Ecclesiam vestram, imprimis verbi Divini administros rectissimè valere in CHRISTO, meque piis eorum precibus apud DEUM adjuvari. Tiguri, pridiè Kal April. CIↃ IↃ XLVI.

Tibi deditissimus cliens

THEODORUS BIBLIANDER.

EPISTOLA XXIII.

Clarissimo Viro

D. IOANNI à LASCO,

Ecclesiæ Christi Antistiti, sibi observandissimo Domino.

S.

QUum *Iacobus* noster tibi notus, Ornatissime Domine à LASCO, ire ad vos constituisset, volui per eum & literis & voce viva testificari longè gratissimum fuisse mihi, quod libellos Westphali ad nos pervenerint, hominis inepti & importuni, qui rectius farragines in agro jumentis colligeret, misceretque, nisi multum erro quam ut sacrosancta mysteria unionis, & fidei christianæ, ac salutis humanæ sacramenta tractaret. Ei responsum est à D. *Calvino*, ita ut confidam, pios viros tum in tota Inferiori Germania, tum Hamburgi, ubi docet *M. Ioachimus* iste *Gigas* imperterritus, non offensum iri. Ego ne deessem officio meo pro Grammatici provincia, missam ipsam, quid dicam mi Domine à LASCO? arcam ne Domini, an arcam Simonis Magi & Iudæ Iscarioti locu-

loculos excutiendos esse putavi. Tibi vero & omnibus piis judicium defero, an rectè an secus egerim. Vide quam præclarus missator existam non factus nuper ac repentè, ut poëtæ subitò fiunt, qui semel in Parnasso monte dormirent, suaque labra poëtico illo poculo proluerent: sed à puero educatus in istis mysteriis, & non modo spectator, sed administer quoque, sed admirator eximius mysteriorum istorum. Ac ne parum essem audaculus, in ipsa etiam legum & canonum & decretalium adyta penetravi, & protuli sacrosancta mysteria in conspectum Christianorum Principum, & populi: ut pateant nunc vulgo Christiano, nisi vult perpetuo cœcum esse cum detrimento suo maximo, quidquid sanctitatis, & impostura plus quam satanicæ papatus Rom. continet. Putavi audendum esse tandem aliquid Gyaris & carcere dignum: ut Papam in fortalitiis suis firmissimis grammatista Germanici Imperii civis aggrederetur, non exercitu Xerxis, aut Darii aut Cyri, sed papyro, penna & atramento. Faciat autem Dominus, quod bonum videtur in oculis ipsius. Obsecro te, Vir Observandissimè, ut legas aliquando libellos istos, & mihi rescribas non ut amicus indulgentior, sed ut censor, & qui est cum magna potestate spirituali in Ecclesia DEI, quid putes rectè aut secus à me factum esse, & quid porro faciam. Poëta dicit; *In nova fert animus mutatas dicere formas Corpora.* Ego autem τὸ πᾶν & illam rerum universitatem, de qua scripsi olim

lim ad te in Angliam, disponо in certum ordinem. Rideo equidem summos illos optimos max. Reges & imperatores, qui nequeunt pauculas provincias tranquillas retinere. In amplissimo illo regno Domini exercituum ego componendo versor, ac ne leo quidem mihi contra rugit, aut μυ dicit⌣. Sed desino, quia charta deficit. Optimè valeto cum Ecclesia tota.

Tui studiosiss.

THEOD. BIBLIANDER.

EPISTOLA XXIV.

PAULUS MANUTIUS ANIANO BURGONIO.

S. D.

SI mihi per negotia licuisset, respondissem literis tuis & citius & uberius. Nunc etsi non minus premebar iisdem occupationibus, tamen cum & veterem nostram consuetudinem essem diligentius mecum recordatus, & viderem alienum ab institutis meis, si ego diuturniori silentio tecum uterer; præsertim à te ad scribendum humanissimè invitatus, putavi mihi faciundum, has ut ad te literas quoquo modo conficerem⌣. In quibus illud erit primum, quod erat propè extremum in tuis, hoc est de studiorum meorum ratione, quæ quidem ejusmodi est, ut eam facilius ipse tu tecum cogitare possis, quam ego perscribere. Nam cum hujusce provin-

ciæ, ad quam ego, summis viris hortantibus, me contuli, naturam & rationem facilè videas, idemque optimè intelligas, quam magnam hoc tempore propter memoriam clarissimi patris, expectationem sustineam: omnino potes tibi persuadere, hanc ipsam curam, unam esse, in qua totos dies, & noctes invigilem. Atque ego tamen, ne semper idem agam, aliquid quotidiè subcisivis horis vel scribo, vel lego. Nudiustertius Euripidis Medeam in manus sumpseram: ecce tibi statim Cicero & Ovidius interpellatores, honesti illi quidem, & glorioſi, sed interpellatores tamen, & à quibus imprimendis ægrè mihi quicquam vacui temporis concedatur. Ovidii, cum hæc scriberem, tristium libros excudebamus. Ciceronis autem epistolarum, quas familiares appellant, quinque libri jam erant confecti. Quæ ubi primum erunt absolutæ, dabo me recognoscendis iis, quæ sunt ad Atticum inscriptæ. Locos emendatos habeo supra bis mille, & exemplaria vetustissima quatuor exspecto. Interim in Catullum quæro: in quem item habeo non parum multa. De Themistio vero quod scire vis, spero fore, ut eum (nisi Deus aliquis obstiterit) exeunte mense prælo demus. Habes jam plus etiam fortasse, quam postularas, non modo præsentis meæ vitæ rationem, sed etiam futuræ divinationem. Tibi felicitatem istam, mi ANIANE, gratulor, qui assiduè cum Philosophis & Oratoribus in summo otio vivas. Quam consuetudinem ne desineres, hortarer ego te pro nostra conjunctione, pro-

proque ea voluntate, quam ego jampridem erga te contuli: nisi & te viderem tua sponte satis incitatum, & me cognoscerem ad id faciendum minus accommodatum. Quare hanc partem omitto. Quod reliquum est, de me velim tibi omnia constanter pollicearis, quæ ab amicissimo homine exspectari & solent, & debent. Ego omnem meam operam, curam & diligentiam ad te defero. Tu nullum officium neque gratius, neque jucundius præstare mihi potes, quam si & creberrimas, & eas longissimas ad me literas miseris. Id quod eo libentius (ut puto) facere debes, quod hæc ipsa scribendi vicissitudo non mediocrem fructum utrique nostrum est allatura. Mihi, quod ex tuarum literarum lectione semper aliquid memoria dignum excerpam: Tibi, quod assidua scriptione consequeris, ut si qua interdum festinantius legeris, ea revocata animo diutissimè permaneant atque perdurent. Vale. Venetiis. VIII. ID. Sept.

EPISTOLA XXV.

Reverendo Domino Decano, ac Cancellario, Magistro nostro eximio, & hæreticæ pravitatis Inquisitori acerrimo.

RUARDO TAPPERO.

Lovanium.

TRahit me bonus odor celeberrimi nominis tui ad scribendum Reverendæ Dominationi tuæ, licet nullis sim præviis meritis aut officiis Amplitudini tuæ commendatus. Non solum autem ad scribendum, verum etiam ad commendandum Pietati tuæ, Latorem præsentium,

adoleſcentem haud infelicis ingenii, IOANNEM GUNTHERUM, Diœceſis Miſnenſis, qui aliquot annis parvitati meæ ſervivit, Uratiſlaviæ, Miſnæ, Hagenoiæ, Vormaciæ, ac bis Ratisponæ; qui in Philoſophiæ ſtudiis aſſecutus eſt Coloniæ quidem Baccalaureatus, Ingolſtadii vero Magiſterii gradum, verumtamen cupio eum ſolidiora in Philoſophiâ jacere iſtic fundamenta, ea quidem lege, ut principale ejus ſtudium ſit in ſacris literis, ſucciſivis autem horis det operam Philoſophiæ, Hiſtoriiſque & Chronographiæ ac Coſmographiæ ſtudiis, ut per ea ad concionandum & Eccleſiæ miniſtrandum paratior fiat. Multa mihi dixerunt de præclaris in te donis DEI, eruditioniſque & probitatis tuæ virtutibus R. D. PETRUS MALVENDA, R. P. EVERHARDUS BILLIK Carmelitarum Provincialis, Cæſ. Majeſt. Confeſſor, & filiorum ſereniſſ. Regis noſtri FERDINANDI Præcepter M. JO: HASENBERGIUS. In primis vero R. P. THEODERICUS LOHER Carthuſianus, qui præcipuus mihi auctor fuit mittendi adoleſcentem iſtuc potius, quam ad Pariſios. Nihil vidi equidem intra multos annos, quo fortius ſuccinctiuſque aut gravius, majorique cum auctoritate confutata fuerint hæreticorum noſtri temporis dogmata, quam factum eſt per XXXII. articulos Lovanienſium Theologorum, quorum te præcipuum fuiſſe dicunt authorem. Quid Teuthoniæ

niæ in eos expuerint (salva reverentia) Argentinenses novi Theologi, scio Rev. Dom. T. compertum esse, ex interpretatione Doctiss. Viri BILLICHII supradicti. Furiosas LUTHERI in eosdem propositiones & Latinè & Germanicè sæpius editas LXXV. numero, credo R. D. T. non latere, sed jam pridem visas esse. Alias vero ejusdem propositiones non impressas, sed scriptas, communicavit mihi nuper Ratisponæ Vir Egregius D. JOANNES OBERNBURGER, Cæs. Majest. in Germanica Cancellaria Secretarius. Quas nunc mitto, si forsitan R. D. tua eas antea non viderit. Operum illius editus est Wittenbergæ primus tomus, volumen benè magnum; in quo varia continentur scripta, trium duntaxat annorum, nempe Annorum Domini XVII. XVIII. & XIX. ferunt enim Islebii in cistula quadam habuisse librum, in quo scripserit nescio quid, quoties aliquid ocii nactus esset, quando erat ibi propter Comitum de Mansfelt componendas discordias. Dolet mihi maximè, propter unius Apostatæ furores & insanias, ita confundi, atque in extrema non solum corporum & rerum temporalium; verum etiam tot millium animarum pericula impelli totam ferè Germaniam. Benè tamen spero. Cæsaris nostri virtute, pietate & potentia hanc rerum turbationem in prosperum, DEO propicio, finem perductum iri. Accedet Sanctis ejus conatibus Generalis Concilii auctoritas ac strenua diligentia: de cujus quinta sessione he-

sterno vespere literas è Tridento recepi, quod prorogata sit usque ad feriam quintam post festum S. Iacobi. Decrevit jam dudum Reverendissimus D. meus, Episcopus *Eystetensis* illuc mittere parvitatem meam, mox post æstivos calores, si DEO placuerit, quanquam nullius ibi momenti esse queat mea præsentia. Sed prolixior sum quam ad R. D. T. decet. Ignosce obsecro, & hanc meam confidentiam boni consule, Vir Clariss. Ex Eystet civitate, Die xv. Julii. CIↃ IↃ XLVI.

R. D. T. *ad quævis obsequia devotus ac promptus*

IOANNES COCHLEUS,

Canonicus Uratislavienſis, &c.

ACta Colloquii posterioris Ratisponæ habiti, credo R. D. T. jam dudum cura R. D. Malvendæ recepisse Latinè impressa. Quorum nullum adhuc recepi exemplar, quod ex certis causis & respectibus Illustris Dominus GRANVELLA noluit ea evulgari aut divendi: ego illum in Germanicum ex scripto quodam exemplari transtuli, quæ Typographo tradidi Ratisponæ antequam abivi, ut Ingolstadii excudantur in eadem officina.

Dixit mihi R. P. Theo: LOHER, esse istic aliquot Collegia, in quibus minori sumptu & sanctiori studio agere queant Scholastici; Tuæ fuerit pietatis atque humanitatis huic adolescenti fideliter consulere, ut in ADRIANI VI. Pontif. Max. collegio aut consimili locum inveniat oblata oportunitate. Quicquid ergo consilii aut be-

beneficii in eum contuleris, in me collatum existimabo. Indicavit nobis prædictus pius Pater LOHER plærosque alios Theologos, autoritate ac eruditione florentes; sed R. D. T. una pro millibus nobis est.

EPISTOLA XXVI.

Reverendo Viro eruditione & virtute præstanti

D. IOHANNI ÆPINO,

Doctori Theologiæ, gubernanti Ecclesiam DEI in inclyta urbe Hamburga, amico suo charissimo.

S. P.

REverende D. ÆPINE, gratiam tibi habeo meritam propter benevolentiam erga Me perpetuam, & nunc hospitium deferenti. Me fortassis fatum aliquod hîc alligat, amplius mense ægrotavit mea neptis, quæ nobiscum vivit. Nunc ægrotat uxor. Ego igitur & publicam salutem DEO commendo, nec me valdè velim superstitem esse, ac spectare calamitates mearum Ecclesiarum, si Aquilæ DEUS permittet in eas exercere sævitiam. Habeo decretum Tridentinæ Synodi, in qua damnatur vox divina de Iustitia fidei sonans in Ecclesiis nostris. Telam igitur exorsa est Synodus damnandæ veritatis, & in aliis multis articulis. Sed si vivam, edam refutationem adjunctis testimoniis docentium in nostris Ecclesiis. Etsi autem terribilis est Aquilæ adventus, tamen spero DEUM gubernaturum esse hos metus, & ut gubernet toto pectore oro. Benè Vale VIII. Idus Aprilis.

PHILIPPUS MELANTHON.

EPISTOLA XXVII.

Clarissimo Viro, eruditione & virtute præstanti

PETRO MEDMANNO,

fratri suo carissimo,

S. D.

CLarissime Vir, & carissime frater, Nunc mihi prolixæ epistolæ argumentum Cometa præberet, si ad scribendum satis temporis esset. Accenduntur Cometæ vel prope solem, vel in opposito loco. Hic Cometa, quem vidimus primùm die Quinto Martii, existimatur accensus esse in Libra oppositæ Arieti, in quo fuerunt Sol, Saturnus, Mars & Mercurius; profecto horum positu non minus terreor, quam ab ipso Cometa quem nos Vicinum vidimus. πρὸ ἀρκτουρικῆς, postea Arcturo, postea Cynosuræ, cauda intuebatur Belgicum. Ante mortem Philippi patris Caroli Imp. etiam conspectus est Cometa, accensus conjunctione Saturni & Martis. Hoc ipso tempore in Pannonia filius Iohannes obsidione cinxit Cassoviam, & in Franconia nostra rursus bella futura esse, ostendunt apparatus. Marchio Albertus habet auxilia. Sed oro Filium DEI custodem Ecclesiæ, ut nos protegat, & si vetus illud metuo πῆμα κακὸς γείτων. Si procedit conventus principum Germaniæ, spero futurum ut coram colloquamur. Benè Vale, Carissime Frater, die Cœnæ in Bethania.

PHILIPPUS.

EPISTOLA XXVIII.

Egregiâ Virtute, fide & doctrinâ prædito

D. PETRO MEDMANNO,

Coloniæ in domo Illustriss. Domini Comitis Stolbergii Decani,

S. D.

ET Agrippinam vestram videre *Hieronymus* noster, & salutare senem optimum *D. Cæsarium* voluit. Quare istuc expatiari constituit. Eò autem consilium ejus etiam probavi, quia cum istinc sint myropolia, curationes experiri commodius ibi poterit. Deduces igitur eum ad Doctorem *Echriam*, quem non dubito juveni versanti in iisdem Philosophiæ studiis libenter gratificaturum esse. Audire etiam aliquos professores *Hieronymus* cupit, seu Philosophiæ, seu aliarum honestarum artium, quare cum vel *Richvicio*, vel alicui nostri ordinis amicè commendabis, qui auditoria non gravatim hospiti monstret⌣. Meministi Homericum illud: *Ulyssem non modo urbes, sed etiam sensus multarum urbium cognovisse.* Non igitur tantum vetera Romanorum monumenta, sed etiam studia & doctrinam urbis celebratissimæ, quæ & vetustissima literarum sedes in Germania, considerare cupit. Hanc honestissimam ejus cupiditatem te adjuvare velim⌣. Benè Vale. die VII. Maji. Bonnæ. D. Longolio dices salutem meis verbis meque ei commendabis.

PHILIPPUS MELANTHON.

EPISTOLA XXIX.

Clarissimo viro & Excellenti virtute & eruditione ornato

D. IOHANNI STURMIO,

Amico suo carissimo.

HÆc cum scriberem nondum advenerat, quem spero & literas à te adferre & de Rep. multorum sermones ac divinationes narraturum esse. Moto enim bello Gallico, magnæ rerum humanarum conversiones impendent. Rex Gallicus cum filiis duobus in castris est, quæ nunc in Nervijs esse dicuntur. Brabanti adhuc tenent oppidum Hensberg, ad quod cum accessisset alius exercitus Brabanticus, statim revocatus est, ut Gallis occurrat. Ajunt & Anglorum copias vagari in extrema ora regni Gallici. Hæc jam ferebantur, nec dubito famam atrociora nunciaturam esse, priusquam hæ literæ ad te perveniant. Arbitror autem te ut alios bonos Viros ubique terrarum magno in dolore esse propter Remp. Ecclesias, literas, multa etiam de futura Vastitate, & victoris iracundia cogitare. Quare si quam consolationem in tantis publicis malis aut παράμυθιον ad te scribere possem, non aliud argumentum aptius huic tempori arbitrarer. Ego quidem etsi & lugeo Remp. & lugendam censeo: tamen eò moderatius hæc mala fero, quia bellum non ex nostris controversiis, sed ex stultis Principum cupiditatibus καὶ πολυ πραγμοσύνη exarsit. Deinde si fato Caroli

roli potentia creſcet, ut multi augurantur, etiamſi erit μοναρχία Domini lenitate mitigabitur. Denique etſi ruinæ imperiorum ſæpe duriter quaſſarunt Eccleſiam; tamen ſcimus Deum ei quædam hoſpitia ſervare, ac fortaſſis in Germania in urbibus, quæ & æquiſſimis imperiis reguntur, & munitiſſimæ ſunt, propter hos ipſos Regum tumultus, qui impendent, Eccleſias collocavit, ut latebras habeant tranquilliores, ne ſtudia literarum penitus deleantur. Sæpe igitur duplici nomine vos beatos eſſe judicavi, & quia à Principum negotiis procul abeſtis, & quia in illa urbium tranquillitate literarum ſtudiis uberiùs frui poteſtis. Noſtræ Scholæ quoties ſubitis κοὴ πανηγεῖς tumultibus Principum turbantur? Deinde quo jam me animo eſſe cenſes de Turcica irruptione cogitantem, quæ vaſtitatem minatur toti huic Germaniæ lateri in quo Academiola noſtra ſita eſt. Quid in altera Europæ parte de Lutetia futurum cenſes? Si Hispani Gallias deripient. Nos quidem, dum licet, ſtudia literarum colimus, ut poſteritas ſeminaria Eccleſiarum habeat, teque id magis facere convenit, qui & ingenio me multoſque alios ſuperas, & in Ariſtocratia tranquilliſſimè vivis, ubi etiamſi fortaſſis quadam communi Germaniæ ruſticitate, noſtræ literæ minus ſunt in honore quam decuit, tamen alia commoda multa ſunt, quæ nos non habemus. Non premunt vos Aulicæ Tyrannides, non impediunt diſciplinam, non fallunt pacta, valet legum authoritas, retinetur tranquillitas; poſſem alia multa reci-

recitare, quæ omitto. Etsi igitur quædam istic desideras, ut in proxima tua epistola significas: tamen te adhortor, ut hoc præsertim tristissimo tempore, sapientiam esse statuas τὰ παρόντα φέρειν, & domicilium illud quod contigit, boni consulas, & magno animo docendi laborem profuturum posteritati perferas. Vidi aulas verè, ut Lucianus inquit, similes esse tragicis libris, qui foris pulchrè ornati sunt, intus continent tristissimos casus. Minus est splendida scolastica vita; sed revera melius de genere humano meretur. Quid est enim utilius, addo etiam quid glorioſius est, quam teneras mentes salutari doctrina de Deo, de Natura rerum, de bonis moribus imbuere. Id lumen est unicum vitæ. Nec tu eas scholas aut cœtus vestro sodalitio anteferas, in quibus magis ostentationi ingeniorum quam utilitati juventutis ac posteritati servitur. Quodque in his nostris conventibus, quod sæpe deploro, disciplinæ vincula nimium laxata sunt, vos vestrum gregem facilius, & regitis & coërcitis, & hac in re legibus & authoritate gubernatorum adjuvamini. Scriberem ad te de vita scolastica prolixius, nisi scirem me ineptè facere, si longam declamationem homo infans apud eloquentem instituerem, tantum animi mei judicium tibi ostendere volui, quod in proxima epistola significare visus es, quædam in tuo munere βαρέως φερεῖν. Sed expecto à te & longiorem & dilucidiorem epistolam. Benè Vale & ignoscito meis ineptiis. Salutem opto *D. Gerbelio*, *D. Sapido* & *Cratoni* nostro.

PHILIPPUS MELANCHTON.

EPISTOLA XXX.

Clarissimo Viro, eruditione & virtute præstanti

D. MARTINO BUCERO,

Euangelium in Ecclesia Argentoratensi piè & feliciter docenti, amico suo carissimo,

S. D.

REm omnium longè optimam ac maximè salutarem, & conventui & Germanicæ Nationi, vobis mitto concordiam. Utinam quidem hanc mittat Deus. Ego tamen *Versiculos de Concordia* mitto, quibus *Ioachimus* reddidit Psalmum, *Ecce quam bonum.* Et, cum genero meo *Sabino*, ad vos ituro, literas darem, boni ominis causa hos versiculos addidi, quos *Iohanni Sturmio*, & cæteris literatis amicis imperties. Tuas literas expecto, imo & *Medmanni & Richwini.* De conventu jam silentium hîc erat cum hæc scriberem. *Medmanno* dicas, ut Comitem Novæ Aquilæ oret meo nomine, ut curet plus pecuniæ mitti *Hermanno* adolescenti. Est enim honestus, & præclarè proficit in literis. Benè Vale. die Paschatis. CIↃ IↃ XLIV. salutem opto *D. Iacobo.*

PHILIPPUS MELANTHON.

EPISTOLA XXXI.

Reverendo Viro, eruditione & pietate præstanti,

D. NICOLAO BUSCODUCENSI,

Docenti Euangelium in Ecclesia Dei in oppido Wesalia, cariss. amico.

S. P.

CAriss. D. NICOLAE, etsi magno in luctu ac dolore sum, evocato ex hac Specula LUTHERO, in qua annos jam amplius triginta Ecclesiam rexit, tamen de ejus morte scriberem tibi copiosè, nisi nimis magna occupationum mole impedirer. Sed historia vera de ejus morte intra paucos dies edetur in lucem. Et ego pagellam vobis mitto à *Iona* ad Electorem scriptam, in qua pars est historiæ. Non apoplexiâ mortuus est, sed humorum motu ex vitio ventriculi, qui pectoris tantas compressiones fecerunt; ut tandem natura corporis superata sit. Medici veteres putarunt ἀφωνίαν. Ipse aliquoties eum sic periclitantem vidi. Decessit autem integris sensibus inter precationes usque ad extremum habitum. Mitto tibi & D. *Conradi* pagellas paucas. De *Iohanne à Dietz* non solum te oro, sed etiam propter DEUM & amicitiam nostram, ut contendas autoritate & precibus, ac perficias, ut ære alieno liberetur. Bonum ingenium est adolescentis & erit usui Reip. Ideo à suis adjuvandus est, & cum ipsius tum vero mea fides apud OEconomum publicum periclitatur, nisi ei satisfactum fuerit. Et frugaliter vixisse *Iohannem* arbitror: debet circiter vigenti duos daleros. Benè Vale. die Martii XIV. CIↃ IↃ XLVI.

PHILIPPUS MELANTHON.

EPISTOLA XXXII.

Clarissimo Viro, prudentia, virtute, & eruditione praestanti

PETRO MEDMANNO,

Consuli inclytæ urbis Embdæ, id est, Veritatis, seu Constantiæ, fratri suo carissimo,

S. D.

INtegerrime Vir & cariss. Frater, scriptum est de Vero Deo æterno Patre Domini nostri Iesu Christi, Creatore generis humani: *Ipse est* VITA TUA *& longitudo dierum* tuorum. Hunc verum DEUM vitæ fontem oro, ut tibi vires animæ & corporis confirmet. Mitto tibi libellum cujus lectionem tibi non insuavem fore arbitror, & te oro, cum scribere poteris, ut mihi de valetudine tua scribas. Me si quis casus hinc expellet, si vivam, ad te recta proficiscar DEO juvante. Volo enim inter nos æternam amicitiam esse, qua in cœlesti consuetudine dulcius fruemur. Sed tamen colloquemur, & in hac vita coram, aut per literas, donec poterimus, quia Cives Ecclesiæ ostendere conjunctionem suam, & conferre cogitationes & vota utile est. Hodiè ritu publico ministerium Euangelii commendatum est *Isebrando Embdano*, qui se tibi commendari petivit. Rectè doctus est, & mores sunt honesti, quæso, ut eum complectaris, & consiliis paternis gubernes. Benè & feliciter vale. die. III. Septemb.

PHILIPPUS MELANTHON.

Frater tuus.

EPISTOLA XXXIII.

Clarissimo viro eruditione & virtute præstanti

D. PETRO MEDMANNO,

Colonienſi amico ſuo integerrimo & cariſſimo.

S. D.

DEo æterno Patri Domini noſtri IESU CHRISTI gratias ago, quod repreſſa Lycaone Eccleſias & Politias harum regionum defendit. Utinam autem eventus etiam aliis pericula mitiget. Mihi non ſunt nota principum conſilia: Et nunquam fui ſuaſor ſumandi, niſi neceſſe eſſet, ſicut judico in reprimendo Lycaone verè neceſſariam & juſtam defenſionem ſuſceptam eſſe. *Franciſco Vinarienſi* ſcripſi, ut petiiſti; nec obſignavi literas. Quare prius eas legito: &, ſi videbitur, exhibe. Magnopere te oro, ſignifices mihi per hunc noſtrum tabellarium, quæ ſit opinio prudentum de conventu, quæ Ratisbonæ menſe Decembri inchoandus dicebatur. Mitto tibi oratiunculam habitam, cum nuper hic eſſes. Benè & feliciter Vale: die 11. Novemb. Epiſtolam illam veterem à te ſcriptam, cujus hic mentionem faciebas, nuper accepi.

PHILIPPUS MELANTHON.

EPISTOLA XXXIV.

Cariſſimo Viro, eruditione & virtute præſtanti

D. PETRO MEDMANNO,

in Friſia Fratri Suo cariſſimo.

S. D.

CAriſſ. Frater, ut de ſe Æneas inquit, ita *Paulus Unicornis* dicere poſſit

Nam me jam ſeptima portat
Omnibus errantem terris ac fluctibus æſtas.

Tot jam annos non ſolum exulat, ſed etiam ſuſtinet odia ſuorum, tantum propterea, quod Filium DEI Dominum noſtrum IESUM CHRISTUM rectè invocare ſtudet, & abhorret ab Idolomania. Te igitur oro, ut hominem honeſtum & eruditum, tibique notum complectaris, præſertim cum tu quoque propter eandem cauſam in fortuna ſimili vivas procul à patria. Uſui eſſe nobis hic *Paulus* in docendo poterit in templis aut in ſcholis; Mihi ejus oratio Latina nunc magis placet, quam ante annos aliquot. Et Eccleſiæ doctrinam rectè tenet, didicit & forenſia jura, ſed mavult DEO ſervire in docenda Eccleſia. Hanc epiſtolam dedi *Paulo* prius ituro Francofordiam, quam ad te proficiſceretur. Ideo de cæteris negotiis nihil jam ſcripſi. Non enim certò accipies hanc epiſtolam. Benè vale, cariſſ. Frater. Die VII. Auguſti. Anno CIↃ IↃ LI.

PHILIPPUS MELANTHON.

EPISTOLA XXXV.

EIDEM

D. PETRO MEDMANNO.

S. D.

CAriſ. Frater, *Meppum* ad te perveniſſe ſpero, virum honeſtum & eruditum, & tibi exhibitum eſſe ſcriptum *de conjugio*, in quo præfatio eſt ad te ſcripta; cujus lectionem honeſtis & doctis viris ſpero non inſuavem fore. Literas igitur à te expecto. Acceſſit ad me hic noſter amicus, qui de te valde amanter locutus eſt, cum ex noſtra Academia ad Anhaltinum ſeceſſiſſem, ut ſcriptum pertexere poſſem, quod ad Synodum Tridentinam, ſi procedet, mittendum eſt: Et exemplum tibi mittam. Lego jam in ſeceſſu Clementem Alexandrinum qui recitat definitionem juſtitiæ, δικαιοσύνη ἐστὶ κοινωνία θεῷ μετὰ ἰσότητος. Exiſtimo hanc definitionem ab iis traditam eſſe primis illis temporibus qui voluerunt oſtendere, aliud eſſe juſtitiam Euangelii, aliud juſtitiam legis. Et verum eſt, juſtitiam, de qua concionatur Euangelium, eſſe κοινωνίαν θεῦ. Poſtea aſſuta eſt particula νομικὴ, μετὰ ἰσότητος. Scio nos conjunctos eſſe τῇ κοινωνίᾳ θεῦ. Volo etiam perpetuâ nos benevolentiæ æqualitate copulatos eſſe. Idem ſcio te virum colentem juſtitiam velle. Benè Vale. In Deſſa v. Idus Maji.

PHILIPP. MELANTHON.

EPISTOLA XXXVI.

Dignitate, virtute & sapientia præstanti

D. PETRO MEDMANNO,

V. Cl.

amico observ.

S. D.

UNus ex popularibus vestris adolescens, ut mihi visus est, & eruditus & perhumanus me salutavit hic, & si quid literarum ad te mittere vellem, operam perferendi suam mihi officiosè obtulit. Quod mihi gratissimum ab illo accidit. Etsi autem nihil erat cujus gratia literas ad te dandas magnopere arbitrarer, sine his tamen vestratem hinc nullo modo dimittendum putavi. Atque ei, ne frustra me salutasset, libellum modo hîc editum donavi, quem & tu, si videretur posses legere. Est autem jam majusculum quoddam opus in manibus; quod absolutum si erit fortè, cui rectè tradi possit, & ipsum studebimus ad te mitti: Quod reliquum est, te benè valere & rectè esse apud te omnia ex animo cupio. Vale. Lips. XI. Kal. Feb.

IOACHIM. CAMERARIUS. *T.*

EPISTOLA XXXVII.

Clarissimo viro, eruditione & virtute præstanti

D. PETRO MEDMANNO,

Amico suo carissimo καὶ ἀδελφῷ γνησίῳ.

S. D.

ETsi nostræ epistolæ non possunt opitulari Reip. tamen hæc colloquia privatos dolores leniunt. Ideo tibi gratiam habeo, quod sæpè scribis. Vicissim à me literas haberes crebriores, si certos tabellarios haberem. Etsi autem atrocissimo Caroli Imp. edicto moveor, tamen spero DEUM æternum Patrem Domini nostri IESU CHRISTI servaturum esse Ecclesiæ suæ reliquias in his ipsis locis ac regionibus, quibus tam atrociter minitantur edicta. Turci nunc populati sunt Stiriam, & dicuntur abduxisse circiter sex millia hominum. Hunc adolescentem Geldrum *Mathiam Erdensem* tibi commendo. Tantum quærit Scholasticam functionem: qua in re posse ei in vestris oppidis consuli arbitror. Quæso ut bonum juvenem exulantem propter veræ doctrinæ amorem complectare & juves. Benè vale. Die XIV. Maji. Mitto tibi versiculos.

PHILIPPUS MELANTHON.

EPISTOLA XXXVIII.

Clarissimo Viro, eruditione & virtute præstanti

D. PETRO MEDMANNO,

Fratri suo carissimo,

S. D.

CArissime frater. Etsi prudentiam & fidem tuam agnosco in ea quoque parte literarum tuarum, in qua de Synodo scribis, tamen videris nimium sollicitus. Nunquam enim οἱ ἀρχιερεῖς ῥωμαῖοι ullam Synodum, ne quidem fucosam convenire sinent. Sciunt secutura esse, motis disputationibus inter suos majora certamina, etiam alibi ut accidit, post exiguum illum conventum Tridentinum, qui fuit ante quinquennium: dissentire inter se monachi in Italia de re maxima cæperunt. Scripsi tamen repetitionem confessionis, quam viri docti ex aliis regionibus, qui legerunt hactenus, probarunt: & probaturum quoque te esse arbitror. De publicis negotiis nihil habeo ἀξιόλογον & tibi notiora esse arbitror, quam mihi sunt. Paginas meo more tibi mitto, quæ utcunque studia Academiæ ostendunt, etsi & alia philosophica, utilia adolescentiæ edita sunt. Tempus etiam Borsiacas calumnias refutabit. Ego certo consilio nondum respondi, nec tantum supereſt vacui temporis. Benè Vale, & rescribe. Pridiè Cal. Iulii.

PHILIPPUS MELANTHON.

EPISTOLA XXXIX.

Clarissimo Viro, eruditione & virtute præstanti

D. PETRO MEDMANNO,

Fratri suo carissimo,

S. D.

Bremam.

CAriss. PETRE. Nos igitur ut in ventre cæti Ionas, ita in medio hujus regionis sumus, in qua ingens bellum subitò exarsit; in quo ut pœnas mitiget DEUS, toto eum pectore oro. Nondum dissipata est Academia. Sed si exercitus in hæc loca accesserit, qui jam in littore vestro colligitur, hæc nostra studia, quæ profectò non malè instituta fuerunt, in omnibus disciplinis perterrita conticescent. Me si quis casus opprimet, leniet mihi dolorem hæc vera conscientia, quod scio me doctrinam utilem juventuti tradidisse, & explicatam, cum magna esset opinionum confusio. Te quæso, ut, donec colloqui possumus, ad me scribas. Benè Vale. XIV. Novemb.

PHILIPPUS MELANTHON.

EPISTOLA XL.

Egregia eruditione & virtute ac fide praedito

D. PETRO MEDMANNO,

amico suo carissimo,

S. D.

ETsi multa ad te de meis periculis scribere cupiebam, tamen quia non erat certum, rectâ ad te profecturum esse hunc *Valentinum Iscmiacensem*, non volui his literis committere res arcanas. Memoriam amicitiæ tuæ mecum circumferam, ubicunque ero. Nam, hic quamdiu esse possum, ignoro. *Valentinus* hic functus est munere famuli communis in collegio. Fecit officium suum satis fideliter. Nunc quærit aliam conditionem, ac me rogavit, ut se tibi commendarem. Nam si in patria non inveniet locum in schola aliqua, decrevit ad te proficisci. Ego tibi nihil oneris impono. * Sed tamen erit humanitatis tuæ, quam scio esse eximiam adolescenti confugienti ad tuam fidem & benevolentiam. Scriberem plura, si certò scirem, literas ad te perventuras esse. Sed brevi de me audies, ut Aristidem Athenis, ita hinc me dimissum esse. Benè vale. die natali B. Mariæ Virginis.

PHILIPPUS MELANTHON.

* *Hic nihil deest eorum quæ sunt in autographo.*

EPISTOLA XLI.

Clarissimo viro, eruditione & virtute præstanti

D. PETRO MEDMANNO,

In aula Electoris Colonienſis amico ſuo.

S. D.

ETſi ſilentium tali tempore moleſtè fero, tamen non ſuſpicor te voluntatis alienatione tacere. Scio enim ſummum eſſe pectoris tui candorem & conſtantiam dignam viro bono. Sed tamen dolore aliquo impediri te metuo, quo minus ſcribas. Liberabis ergo me magnâ moleſtiâ, ſi aliquid literarum miſeris. Hodiè Lipſiæ ſunt deliberationes de Epiſcopo Mersburgenſi, de quibus pauca Bucero ſcripſi: nondum enim plura ſciebam. Mitto tibi pagellas, quarum lectio fortaſſe jucundior eſt, quam hiſtoria conventus, quam audio paulatim fieri perturbatiorem. Impendent fatales pœnæ generi humano, quas ut DEUS mitiget, oremus. Clamemus ad DEUM, ut Propheta, cum iraſceris DEUS recordare miſericordiæ tuæ. Benè Vale. & reſcribe. Die ultimo Aprilis.

PHILIPPUS MELANTHON.

EPISTOLA XLII.

Clarissimo viro, eruditione, prudentia & virtute præstanti

PETRO MEDMANNO,

Fratri suo carissimo.

S. D.

INtegerrime Vir & carissime Frater, Nihil scribo de imperiorum tumultibus, de quibus te plura scire non dubito, quam ego scio. Oro autem Filium DEI, ut inter has regionum ruinas servet Ecclesiam suam. Pagellas tibi mitto testes laborum nostrorum, & peto ut librum, cui titulus est, EXAMEN, generosæ * DOMINÆ tradas. Talia scribere judico rectius esse, quam certare conviciis, cum iis, qui nos allatrant, nec student complecti integrum doctrinæ corpus. Quæso ut nobis scribas per hunc tabellarium. Benè Vale Carissime Frater Cal. Martii.

PHILIPPUS.

* *Intelligit Comitissam Frisiæ Orientalis*, ANNAM, *matrem* EDZARDI *comitis.*

EPISTOLA XLIII.

Reverendo viro, eruditione & virtute præstanti

D. ALBERTO HARDENBERGIO,

Doctori Theologiæ in Ecclesia DEI, in urbe inclyta Brema docenti Euangelium, Fratri carissimo,

S. D.

REverende Vir & carissime frater, Daniel in sua narratione expresè nominat Filium DEI, cum ait; conspectum esse quartum inter tres vivos, qui in ignem conjecti erant in Babylonico fornace. In talibus incendiis nunc quoque ipse Filius DEI & servat & servabit Ecclesiam suam. Lætemur nos procul abesse à Synodo Tridentina, in qua octobri mense fient decreta haud dubiè plena monstrosæ impietatis ὠμὸν ἀφθαρσίας. Expectari καλοκαγαθίαν ejus Synodi, utile esse judico. Nunc de pace cum vicina urbe agetur: & legati hic aliquot diebus fuerunt, nunc accesserunt ducem Saxoniæ. *Osiandri* librum ubi videris quæso ut de tuo judicio ad me scribas. Ego quoque cum legero, significabo, quid mihi videatur. Nimirum abjicit imputationem, & obscurat consolationem necessariam, quâ etiam renatis opus, ut acquiescant in Mediatore, & statuant se placere propter ipsum Sacerdotem & deprecantem pro nobis, & propter ejus meritum, non eo quod effecerit, novitatem in nobis. Sed hac de re tuum quoque judicium flagito. Quæso ut mittas in Angliam fasciculos *Georgii Majoris*. Benè Vale. XII. octobris.

PHILIPPUS.

EPISTOLA XLIV.

Viro optimo

D. NICOLAO BUSCODUCENSI,

amico suo suavissimo.

S. D.

Bremam.

CUm hic juvenis peteret commendationem ad te à nobis, magnoperè mihi gratulatus sum, nuncium mihi certum ad te oblatum esse. Amo enim ingenium tuum ex animo, atque utinam suavitate tua frui possem. Nunquam à te divelli me finerem. Tu, quoniam habes ocium velim aliquando ad nos iterum expatiere. Nam hic quidem sumptus nullos facere te patiar. Et fortassè apud nos, quod ageres, invenire posses, qua de re optarim me tecum hic, cum adesses, disputasse. De *Frisio* nihil est quod solliciti sitis. Ingenio est tali; ut benè sperandum nobis esse statuam. Et ego nihil dissimulo, me bonis ingeniis indulgentiorem esse. Sed tamen ita regetur ut in officio sperem futurum esse. Hunc juvenem *Antonium* commendavi Senatui. Probabis ejus orationem. Quare te etiam atque etiam oro, ut ejus causam *D. Iacobo* commendes, ut ipse quoque pro eo apud senatum & amicos intercedat. Benè vale, & rescribe. Amabo te etiam atque etiam, suscipias causam hujus *Antonii*, & nos ama. Iterum vale. die Augustini.

PHILIPPUS MELANTHON.

EPISTOLA XLV.

Viro optimo, et eximia eruditione pradito,

D. NICOLAO BUSCODUCENSI,

Gubernanti studia literarum Wesaliæ, amico suo carissimo.

S. D.

SÆpe hoc belli tempore de te & ego & amici multi in nostra Academia locuti sumus, teque optavimus vel apud nos, vel alibi tranquillam sedem in hac tua senecta habere. Postquam igitur Bonnam veni ad *Bucerum*, ac intellexi, deliberationes esse de quærendis Ecclesiarum gubernatoribus, mentionem tui fecimus. Et adfuerunt alii, qui honorifico testimonio te ornabant. Iussus sum igitur à *D. Bucero* ad te scribere, ut vel literis tuam voluntatem significes, vel ipse huc venias, ut coram de munere Ecclesiastico mandando tecum agi possit, & tu hic rerum omnium statum explores. Principis Colonienſis voluntatem in emendatione Ecclesiarum piam & firmam esse animadverto. Venies igitur Bonnam ad *Bucerum*, aut certè significabis tuam voluntatem. Deum æternum Patrem Domini nostri IESU CHRISTI oro, ut te servet, & in locum tranquillum traducat. Benè vale. Bonnæ die XVIII. Maji.

PHILIPPUS MELANTHON.

EPISTOLA XLVI.

PHILIPPUS MELANTHON IUSTO IONÆ.

SCribo simpliciſſimo animo, nihil filio patrocinans. Nam neque ipſe poteris omnia coram explorare. Et de avenà & de lignis filius ſummam diligentiam præſtitit. Et ſum ei hortatus, ut tibi omnibus in rebus ſtudioſiſſimè obtemperet. Eoque duci eum ſua voluntate video. DEUM oro ut ipſum & univerſam juventutem gubernet. Ex conventu ſcribit ad me BUCERUS certa auxilia promiſſa ſunt Imperatori vel adverſus Turcas, vel adverſus Gallos ducenda. Imperator Germanos mavult adverſus Gallos ducere. Adverſus Turcas fratri dicitur Italicas copias additurus. Magnum omnino bellum impendent, & magnæ difficultates politiarum, quas ante feramus, & finem mundi inſtare meminerimus. Ego me uſitata conſolatione ſola ſuſtento, quod DEO ſcio Eccleſiam curæ eſſe. Benè vale. VII. Aprilis.

EPIS-

EPISTOLA XLVII.

Reverendo Domino

OFFICIALI TRAIECTENSI,

Domino meo plurimùm semper observando.

DIgnationi vestræ supplex me commendo, Reverende Domine Officialis. Vehementer te oro ut liceat mihi preces meas ad unum mensem tantum intermittere, quas legere habeo, quod sum minoribus ordinibus initiatus, nam cupio sacris laboribus occupare me interea & scribere quædam, quæ possint animos quorundam à Lutherana & Oecolampadiana hæresi avertere aut præmunire, ne qui adhuc synceri sunt corrumpantur, & opus est festinato, nam sunt, quidam partim cognati mei, partim noti, partim etiam qui fuerunt discipuli mei, quorum saluti prodesse hac in parte mihi videor posse, & necesse est, ut quamprimum faciam, quia mense proximo quidam illorum navibus profecturi sint in partes orientales, ut hic Amsterdammis mos est. Itaque ne decipiantur ibi ab hæreticis cupio illis de certis quibusdam articulis, ut de sacramento Eucharistiæ, de veneratione sanctorum, & similibus aliquid scribere Germanicè, ut caveant sibi ne decipiantur, & qui decepti sunt resipiscant, quia spero me hoc non infeliciter præstare posse per DEI gratiam; sed non est mihi

mihi satis otii ad hanc rem, sum enim hic Rector scholæ indignus, & quod datur à schola vacui temporis, consumitur mihi legendis horis de Domina nostra; hoc enim jussit D. Ioannis Roffensis Episcopus in Anglia, qui me initiavit minoribus ordinibus. Rogo igitur etiam atque etiam, ut, quia opus est, liceat mihi tam diu illas omittere, dum saluti proximorum studeo consulere; hoc enim jubet, cogit, atque imperat charitas. Est præterea quod prudentiæ vestræ significatum cupiam, si forte remedium admovendum existimabis. Contingit hic Amsterdammis non raro, ut qui matrimonio junguntur, mane *nubantur* diebus festis non auditâ missâ, nec postea eo die audiunt missam; sed saltationibus ac comessationibus indulgent non solum Sponsus & Sponsa, sed etiam qui cum eis sunt proci ac puellæ, idque, ut dixi, sæpenumero non auditâ missâ, & verisimile est idem aliis quoque locis & oppidis contingere. Si tuæ prudentiæ videbitur, operæ pretium fuerit, illa peccata præcavere. IESUS te semper servet incolumem. Amsterdammis pridiè Epiphaniæ. Anno Domini CIↃ IↃ XXXI.

CORNELIUS CROCUS,

Tuis semper obsequiis paratissimus.

EPISTOLA XLVIII.

ALLARD. AMSTELREDAMUS, MELCHIORI NOVESIANO.

S. D.

MERITÒ quidem te laudo, quod in cæteris, ut fidelem deceat Typographum, facis omnia. Cæterùm illud es admonendus, quod parum videris meminisse, quam astutè malos, & malè astutos habemus adversarios, ut qui nihil non arrodunt. Proinde non committas velim, quin hæc deprehensa, è priore controversiarum parte, errata, quæ nimirum partim scribarum oscitantiâ, partim operarum præcipitantiâ irrepserunt, calci totius operis inserias. Ægrè quidem, sed tamen impetravi, ut Dominus ALBERTUS PIGHIUS noster pro sua refellendi, sive potius reducendi adversarios sedulitate, à nundinis proximis absolutissimum opus suum, *de immensa* DEI *misericordia*, aliisque eodem spectantibus prælo committat tuo, sed ea lege, ut me habeat castigatorem. Id quod eo maturius addam, & fidelius obiero. Primum quo intelligant eruditiores, quam sit Dominus PIGHIUS homo acuti & acris ingenii, quippe qui ad primos quosque Protestantium, pariter & discrepantium conatus sagaci mente, quæ sunt inserenda, prænoscat. Deindè, ut ventos hinc indè perflantes sollicita aure captans, &

& in navi Ecclesiæ Catholicæ clavum tenens, spumantes hæreseos fluctus fidei securitate frangat. At extremum, ut in suscepta abhinc biennium, adversus improbam Luteranorum pervicatiam causa, vindex fortis atque strenuus perstitit, hodiè perstet. Ut enim P. ille Scipio natus mihi videtur ad interitum exitiumque Carthaginis, qui illam à multis Imperatoribus obsessam, expugnatam, labefactatam, pene captam aliquando, quasi fatali eventu solus evertit. Sic D. ille noster ALBERTUS, ad arrogantem inscitiam, inscitamque arrogantiam gnaviter contundendam, atque adeo funditus in morte pene delendam natus esse videtur, & quasi divino munere donatus. Qui unus, adeoque unus, ex tot apud Wormatiam colloquutoribus videtur re ipsa docuisse, quid in controversis fieri oporteat, nimirum, qui juxta sapientem Hebreum responderit stultis, de stultitia eorum, ne sapere sibi videantur, & quod necesse sit eversorum concordiæ Christianæ, derisorum religionis, ac fidei omnisque constitutionis Ecclesiasticæ contemptorum sceleribus ignibus, atque gladiis resistere, hoc sentire prudentiæ, factio fortitudinis, sentire vero & facere perfectæ virtutis est. Benè valebis. Trajecti Nonis Februarii. Anno CIↃ IↃ XLII.

EPISTOLA XLIX.

Clarissimo viro

D. IOANNI à LASCO,

Polono, Æmdæ in Frisiâ Christum prædicanti, domino colendiss. & fratri chariss.

GRatiam & vitæ innocentiam à domino. Accepi literas tuas, Vir clarissime idemque mihi colendissime Domine, ac magna cum admiratione & voluptate legi. Gratulor autem tibi imprimis, frater in Domino venerande & chariss̃ime, quod tanta cum liberalitate gratiam suam in te effudit verè munificentissimus Dominus. Ac novi te jam olim, ex iis, ad quas remittis, beatæ memoriæ D. Erasmi scriptis, tum ex relatione eorum quoque, qui te viderunt aliquando & audiverunt Basileæ: verum multo rectius nunc te novi, cum videlicet te Christum Dominum recepisse & Antichristum cum Pharisaismo reliquisse; terrenas item opes calcare, & cœlestia bona cupidissimè sectari, intelligo. Ago autem gratias Domino nostro *Iesu Christo* pro incredibili illo suo beneficio, tibi liberalissimè præstito, ac eumdem ardentissimis oro precibus, ut quod feliciter in te cœpit, ad tuam multorumque in Ecclesia salutem absolvat felicissimè. Amen. Postulas ut te recipiam in meam amicitiam & pro fratre deinceps habeam. Scilicet & in te verum est, quod in omnibus ferè doctissimis prædicatur, nempe eximiæ eruditi-

ditioni eximiam conjunctam esse modestiam & humanitatem. Quid enim, obsecro, modestius, quidque humanius, quam quod amicitiam BULLINGERI, qui nihil revera in se eximii agnoscit, homo doctissimus & multis virtutibus clarissimus, ultro expetis? cum tua non mihi tantum, sed & bonis omnibus jam olim fuerat ambienda. Certè hoc est verè piarum mentium ingenium, ut sicut alias τὸ κρεῖττον obtinent, ita non tam φιλεῖσθαι quam φιλεῖν quærant. Et hunc animum verè divinum ex eo habent, qui usque adeo ipsa charitas est, ut non solùm prior, sed & vilissimos mortales, pulverem ac terram, inenarrabili amore complexus, & hunc suum erga nos amorem non levi aliqua nota, sed exellentissima, misso ac tradito pro nobis unigenito, testatus sit. Exosculor itaque divinam hanc animi tui modestiam & humanitatem, curaboque pro mea virili, ut si par esse in reddendis vicibus nequeo, haud procul tamen præcurrentem insequar. Placet tibi mea simplicitas in enarrandis sacris literis, & in explicandis contraversiis religionis nostræ. Benè est doctissime & dilectissime mi frater, gaudeo tibi meam probari simplicitatem, quam nostro seculo non omnibus doctis placere doleo. Nam ut horum nimis lubrica & subtilis dissertatio plurimum contentionis & ambiguitatis parit in Ecclesia: ita video Apostolos CHRISTI, qui Spiritus primitias accepere simplicitati imprimis studuisse, & illa ipsa sua simplicitate totum terrarum orbem convertisse ad Christum: video simplici,

constante sibi, firma & solida doctrina, instructas DEI Ecclesias & firmas perstare & satis agere tranquillas. Ideo & scribendo & dicendo simplicitati studeo, & studentibus simplicitati valde delector. Sequendum hanc meam simplicitatem scripsi venerabili Patri ac Domino *D. Ioanni Recamp*, Abbati cœnobii Adwardiæ, quem adhortor ut Ecclesias suæ fidei creditas reformet, & ea in re tua & aliorum bonorum & doctorum opera utatur. Adjunxi epistolæ, alioqui copiosæ, librum, quem olim scripsi DE AUTHORITATE VERBI DEI, & DE OFFICIO ET FUNCTIONE PRÆLATORUM ECCLESIÆ; quem item nunc *contra Cochlæum* edidi: in quo nonnulla & de Ecclesiarum reformatione disputavi. Ejus exemplum tibi quoque mitto. Libentius dedissem *Commentarios* vel *in Matth.* vel *in Ioannem*, vel *in Epistolas Pauli*: sed obstitit itineris incommoditas. Sic autem testari volo aditum tibi ad me paratum apertumque patere, mecum videlicet agendi, sicuti postulas, de omnibus quæ fortè incident: Nec ingratum esset si tua, quæ *De lapsu & restituti hominis*.... conscripsisti, videre possem. Non quod in tua virgulam mihi censoriam sumere velim: sed quod tuis erudiri cupiam. *D. Hermannum* meum *Aquilomontanum* officiosissimè salutabis, cui etiam scripsissem nisi infirmitas & ægritudo corporis obstaret. Dominus IESUS CHRISTUS servet te cum omnibus invocantibus nomen ejus. Oro ut ad nundinas autumnales Francfordiam, tuas, nisi molestum sit, mittas, qui-

quibus de rebus tuis certiorem facias. Commendatum me habe in tuis precibus. Vive & vale. Tiguri XXIV. Iunii. Anno Domini CIↃ IↃ XLIV.

Tuus ex animo totus D. quantus quantus est,

H. BULLINGERUS.

Tigurinæ Ecclesiæ Minister.

Salutant te Symmistæ & Fratres omnes. *Megander Gnaltherus, Fabricius, Pellicanus, Bibliander, Gessnerus, Ammianus, Collinus, Werdmullerus*, & reliqui servi Christi.

EPISTOLA L.

Ornatissimo pietate & eruditione Nobili Viro,

D. IOANNI à LASCO, &c.

SPiritum sapientiæ, pietatis, & fortitudinis, in CHRISTO precor tibi ex animo Cl. Doctissimeque mi colende Dómine. Epistolæ tuæ lectionem ad HEINRICUM BULLINGERUM pro humanitate sua indulsit sponte; ex qua, quantum gaudii acceperim, dici nequit, intelligens te, summum amicum, mihi feliciter superesse, & communi Domino nostro IESU CHRISTO servire fideliter, pro insigni gratia in te sua & fide sinceriſſima in verbum suum, constancia in sancto opere, & patientia in adversis, pro gloria DEI vindicanda, & plurium animarum salute. Anxius diu & multum de salute tua, perquisivi quos potui, nuper autem à Flandris duobus, & antea à Polono intellexeram te exulem ob

Euangelium in Frisia habitare. Nunc vero ex epistola tua, veluti cælitus missa plenè sum consolatus. Quod vero salutem ei, pro me non adscripsisti, Amicissime de LASCO non potui, vel minimum ægrè ferre. Nam existimo in tanta locorum & temporum intercapedine te nescisse, si naturæ concessissem, vel ubi gentium degerem, qui nunc vetulus LXVII. ago annum, & demortuos amicos nimium multos adnumero: quos propediem subsequar non gravatim. Providentia & gratia DEI contigit, ut pauciſſimis ante obitum ERASMI nostri diebus, casu Basileam descenderem, & ab eo fermè tribus horis ultimum colloquium invitatus, assequerer, in domo *Frobenii* junioris, mense junio anno CIↃ IↃ XXXVI. quo & obiit in DOMINO, sine omnium expostulatione amicè colloquebamur. Quamvis non admodum amicè *Frobenii* agerent, epistolas ad meam indignam traductionem imprimendo. Sed non solus fero ejusmodi injurias. Tu unicus nosti, ut sincerè coluerim virum & ex animo, tecum, quæ sentiebam, eloqui debebam, quorum nondum pœnituit. Tuque boni consuluisti simplicitatem meam & intellexeris proculdubio veritatem, sed hæc missa facio. Et venio ad doctissimam & piissimam epistolam tuam. In quam supra modum gaudeo te non solum æquo animo scripta amplecti Bullingeri nostri; sed eis te delectare, & erudiri in CHRISTO & amicitiæ illius consortium non spernere, bonique consulere nostra dogmata, quæ quibusdam nescio quibus ratio-

ni-

nibus improbantur, nec tamen meremur amicè admoneri ab eis, quid in noſtris, & qua ratione, eis tantopere deſpliceat, ut nos neſcio quibus invidioſis nominibus traducere non vereantur, qui nihil ſimile à noſtris tulerint. Sed ſpero cum tempore ſaniora juditia in eis, quandoquidem video alacer mitius de nobis juditium tuum. De nobis, inquam, quia jam ab annis XIX. quibus Tiguri miniſtravi Eccleſiæ, nulla unquam interceſſit inter doctos in quibuſcunque dogmatis diſcordia. Quin ab initio Reformationis ſic omnia inchoata feliciter DEI gratia ſunt, per ZWINGLIUM & ſymmiſtas, ut hactenus nihil mutandum viſum fuerit, in ceremoniis & doctrina: Sed qui & eidem ſucceſſerunt, duo, BULLINGERUS in Eccleſia & THEODORUS BIBLIANDER in Theologica Schola, Doctores ſemper pulcerrimè concordarunt, ſuaviſſima cum tranquillitate regentes Eccleſiam. De quibus quid ſentias ſcripſiſti, maximè de lucubrationibus BULLINGERI: unde mirè ſum exhilaratus. Longè amplius probaturus, ea quæ ex ore THEODORI jam XII. annis excepimus, ſolidiſſimas interpretationes, in Vetus Teſtamentum, quod ferè bis integrè prælegit frequentiſſimo auditorio. Specimen forſan legiſti in Nahum prophetam, ſolum editum. Cum in omnes XXIIII. reliquos ſimiliter ſcripſerit, ſed premit, junior adhuc, XXXII. annum agens, forſan olim edenda. A noſtris jam avidè reſcripta & excerpta. Etiam à BULLINGERO, & à me & à multis doctioribus.

Tertiò enim jam à xx. annis tota Biblia audivimus, tam prælegi doctis, quam prædicari vulgo in Ecclesia. Hæc ideo simpliciter & amicè, amico amicus scribo, ne pœniteat te charitatis tuæ, ad nostram Ecclesiam, quam explicasti non obscurè, sed pergas de nobis non malè sentire & non dedigneris lectione tua nostrorum scripta, dico BULLINGERI & BIBLIANDRI, expendendo, quid & qua ratione probanda scripserint, & quæ imperfectiora offenderis, boni consulas, non solum emendans, sed & amicè monens, & arguens cum charitate; Dissimilis eis, qui ex personis pendent scribentium, non ex probationibus solidis dictorum. Hæc paucula quæso & simplicia, eximie Heros, ea sola ratione scribo, ut cum literis BULLINGERI quæ te scio mirificè oblectabunt, intelligeres, quo loco essem, & ut viverem, tui perpetuo amantissimus, & de beneficiis tuis olim gratissimus semper. Non est ut currentem in CHRISTI ministerio feliciter, inhorter: sed ut DOMINI gratiam continuo implorem, quo pergas felicius, & agas quod agis diutius: proficias quoque apud illustres cæteros regionis nostræ prælatos & Dominos, ut Verbum DOMINI pretiosum sit ipsis; & Charitas ad Electos DEI, ardens, studium indefessum propagandi veram fidem & verè sancta opera ad abusuum, contra Verbum DEI tanto tempore grassantium, eliminationem & ad ædificationem charitatis ac fidei, juxta Verbum DOMINI, diligentius quam hactenus tractandum in Ecclesiis. Utque eo-

eorum quæ commodo emendare possunt, nihil negligatur, ad canonicam regulam utriusque Testamenti, accuratè servandam, non ad nostras commoditates flectendo. Ne quid à principio doceatur, quod, ut non solidè radicandum, porro mutandum veniat, & posteris instabilitatis offensionem incutiat; Ecclesiarum enim reformatio pendet ex verbo DEI, non voluntate humana. Personarum acceptio hic omnium minimè admittenda, quin Paulum videmus in causa fidei & legis, non peperciſſe etiam Petro, quum reprehensibiliter agere videbatur. Nosti Amiciſſime D. IOANNES meam simplicitatem, Ideo boni consulas præcipitatam epistolam & veterem amicum, ut olim familiariter diligere pergas. Tiguri XXVIII. Iunii. CIↃ IↃ XLIV.

CONRARDUS PELLICANUS.
Servulus in DOMINO T.

EPISTOLA LI.

Clariſſimo Viro, Apostolicoque Spiritu donato,

D. IOANNI à LASCO,

Inclito Baroni Poloniæ, Orientalis Phriſiæ vigilantiſſimo Episcopo, colendiſſimo amico suo.

SAlutem in Christo Salvatore; Audimus Amicorum colendiſſime Domine & frater in Domino, à LASCO, agere te nunc Bonnæ, cum Doctore *Alberto* nostro, spem esse perventurum te Argentoratum, id si fiet, pollicebimur nobis spem certiorem . . . . itineris moleſtiam

te ad nos perveniendi exantlaturum quoque; & De Catholicæ doctrinæ tuæ soliditate insigni, & consensu spiritus congratulaturi. Legimus omnia tua, & quæ *Gerardus* habet, *Regneri*, scripta & suavissimè arridenr, tanquam conformia Verbo Dei, rationi consona, ac fidei morumque profectui aptissima simul. Quæ & rescripsimus avidè & diligenter expendimus, *Bullingerus*, *Bibliander*, & Ego. Ut vero Reverendiss. Domino, fideliſſimoque pastori Colonienſis provinciæ in tam sanctis institutis adsis, consilio & oratione, gaudemus ex animo. Quem ubi personalibus officiis juvare non licet, ferventi precum mearum officio apud DEUM juvare non obmittimus, orantes, ut exemplum tam illustre pietatis rariſſimum, alii quoque Ecclesiarum Præsides subsequantur. Sed ut id, mi Amiciſſime D. à LASCO, fiat, oro absque dispendio Ecclesiarum Phrisiæ, à quibus Episcopus & Vigil electus, tete ablegare non oportet, & Illustrem Dominam tam religiosam Viduam, in sancto instituto prorsus non destituere, solatio & auxilio tam necessario & fratrum tantopere egentium solatio abesse, utcumque gentis illius homines quibusdam vitiis corruptos audiam: pariter tamen plures bonos homines omnis generis, intelligo religioſiſſ. & CHRISTO pietatique devotiſſimos, usque etiam ad superstitiones quam plurimas. De reliquis horum temporum querelis leges nostra, infirma, sed quæ coëgit necessitas, ut putamus non dissimulanda: Cupimus fidem CHRISTO Domine

no debitam, & Ecclesiæ, salvam credi ab amicis, & hostibus quoque iram & errores minuere, quæ patimur, non quæ demeremur, qui favere & benefacere omnibus ex animo cupimus, & dolemus offensionem injici pusillis in fide, qui malumus fidem ac charitatem plantari & religionis augmento totis incumbere viribus; abusus agnosci ac emendari, regnoque CHRISTI contra Antichristi malitiam, & corruptelas ampliando incumbere. Id ipsum te agere toto pectore gaudeo, utque quam constantissimè pergas, per auxilium gratiæ Dei incessanter, desideriis ac votis oro Dominum. Ut veritas Dei clarius eluceſcat, & amor Christianus exuberet, discussis tot dissensionem nubibus, ut solida nobis clara & syncera veritas innoteſcat, & tenebrionum ambigua certamina tandem conquieſcant; & Ecclesiæ Christi orthodoxis dogmatibus consentiant; & in Domino, idipsum, juxta verbum Domini, sentiant: ac communi zelo Satanæ regnum infestetur, ad CHRISTI gloriam, ac electorum salutem. Reliqua fusius *Gerardus* theologus piissimus scribet. Cætera leges & judicabis, nostra inquam, & boni consules pro charitate, qui superſedisse querimoniis voluissem. Valeat in Christo insignis tua pietas, & augeatur semper ad gloriam DEI. Amen. Tiguri III. Martii. CIↃ IↃ XLV.

CONRADUS PELLICANUS.

Tuissimus in Christo perpetuo.

EPISTOLA LII.

Illustri Viro

D. IOANNI à LASCO,

Amico suo carissimo.

S. D. P.

ADventum tuum ad nos, alterius cujusdam negotii subitò interventu impeditum esse doleo, non enim dubito, quin de tua vocatione facile tibi satisfeciſſem, si coram tecum mihi potestas colloquendi fuisset. Sed quia hoc tempore venire non potuisti, scribis tamen te venturum esse posthac, si prius ex literis nostris intellexeris qualis vocationis tuæ ratio apud nos futura sit: literis tecum agam, & quod coram copiosius fortassis dicturus eram id per literas explicabo brevi. Cupimus nostris Ecclesiis veram de DEO doctrinam proponere, nec volumus cothurnos facere aut ambigvitatibus ludere; sed semota omni prudentia carnis, veram perspicuam sacrarum literarum normæ convenientem doctrinæ formam ad posteros transmittere. Ut & apud omnes gentes extet illustre testimonium de doctrina nostra, gravi doctorum & piorum auctoritate traditum, & universa posteritas normam habeat quam sequatur. Ad perficiendam rem tantam eruditorum hominum præsentia nobis opus esse judicavimus, qui collatis nobiscum judiciis, doctrinæ controversias tollant, & integrum corpus veræ doctrinæ extru-

truant. Accersivimus igitur & te & alios quosdam doctos viros, qui cum non gravatim ad nos venerint, ita ut nullum fere ex iis præter te & *Melanthonem* desideremus: summopere te rogamus ut & ipse ad nos venias & *Melanthonem*, si ullo modo fieri poterit, tecum adducas. Tertiam nunc epistolam ad *Melanthonem* mitto, qua eum hortor, ut ad nos veniat; quibus meis epistolis si tuæ adhortationes accesserint, non diffido eum persuaderi posse ut toties iteratam vocationem sequatur. Nullas ut arbitror insidias hostium, nulla itinerum pericula pertimescit, quæ, si qua sunt, minora tamen sunt, iis, quibus nunc est. Adde quod exigui temporis molestiis multorum annorum quietem sibi, Reipub. vero utilitatem adferret æternam. Quod si ei commigrationem ad nos, aut inutilem, aut injucundam fore prospicerem, nemo certe me dissuaderet vehementiis. Nunc vero cum videam nihil ab eo aut ipsi aut Reipub. posse fieri utilius, quam ut hoc tempore ad nos veniat, insto vehementius, teque hortor, ut omnem curam cogitationemque tuam in hoc unicè convertas, ut *Philippum* nostrum plane nostrum facias. Qualis & tua & ipsius futura sit conditio paulo ante ostendi. Ita tamen ostendi ut experientia vestra potius quam prædicatione mea Angliam vobis placere cupiam. Benè & fœliciter Vale. Londini die IV. Iulii. CIↃ IↃ XLVIII.

Tuæ præsentiæ cupidiss.

T. CANTUARIENSIS.

EPISTOLA LIII.

Honorando & Spectabili Viro

D. THOMÆ PERSOLS,

Patrono & amico singulari, &c.

Ultrajectum.

POst plurimam salutem, patrone singularis; Pecunias matris nomine à D. V. missas ad me jamdiu recepi per *D. Claudium Ricquelot*: quare maximas D. V. ago gratias, quod res meas præter meritum nostrum tam probè curaverit. De morte Reverendi D. Lubicensis Episcopi haud dubium est, quin audiverit jamdiu D. V. Hujus obitu multa vacaverunt beneficia in curia, adeo ut mihi etiam pars mea contigerit ☞. Dederant mihi Canonicatum Ecclesiæ vestræ simul cum Choriepiscopatu, sed ut audiverunt hæc resignata esse, contulerunt in me Canonicatum & Prebendam simul cum Decanatu Majoris Ecclesiæ Mindensis, quæ audio bona & largia satis esse beneficia, sed eo loci & regionis sita, ut non valde mihi placeat residentia: quapropter si quis ibi apud vos esset ejus regionis cui placerent hæc beneficia, vellem intelligere per D. V. Cuperem enim facillimis quibusque conditionibus, vel super alia magis nobis propinqua residentia permutare; vel honesta sub pensione resignare ☞. Igitur rogo plurimum D. V. ut videat utrum posset alicui amico & mihi in hoc negotio usui esse & commodare; faciet autem mihi rem gratissimam, si de his loqui & me

me commendare plurimum dignetur *M. Ioanni Rudde* magis harum Regionum perito, quique, uti credo, negotia, p. memoriæ dicti D. Lubecensis in iis locis solet curare, cui ego quoque proximè de his sum scripturus. Quicquid autem, id est, operæ vel consilii quod nobis impartiri dignabitur, vel D. V. vel *D. Rudde*, non poterit non esse gratissimum, sentietque haud dubiè uterque hoc non in ingratum vel immemorem contulisse, si quando incidet occasio. Saltem illud precor D. V. ne nos frustra suas sinat expectare litteras, & si quæ meæ ad matrem, vel rursus ejusdem ad me tuas manus incidant sibi commendatas habeat, præsertim si quæ cum his nostris ad vos pervenerint. Quas si aliquo etiam peculiariter conducto nostris expensis transmiserit, rem mihi faciet gratissimam & valde necessariam. Raptim ex urbe. XXVIII. Iulii. Anno CIↃ IↃ LI.

Tuus perpetuo & ex animo

STEPH. PIGHIUS.

EPISTOLA LIV.

Clarissimo Viro

D. IOANNI à LASCO,

Baroni Polono, Æmdæ Peregrinorum Ecclesiæ Superintendenti fidelissimo & vigilantissimo, domino colendo & fratri charissimo suo.

S. D.

SAne ingens me tenuit desiderium sciendi quo relictâ miserâ Angliâ cum tuis sis delatus domine

mine & frater in CHRISTO colendiſſ. & chariſſ. Proinde cum Argentoratum incolumis & ſalvus perveniſſet clariſſ. vir & frater in Domino venerabilis *D. Petrus Martyr*, illum meis fatigavi literis donec intelligerem ex nuncio in Daniam te quidem cum tuis perveniſſe ſed barbarè exceptum, contendiſſe & conſediſſe tandem Æmbdæ in Friſia. Quod quidem confirmatur jam ſcripta tua ad nos epiſtola, quæ VI. Martii Æmbdæ exarata heri demum eſt hic reddita. Ago itaque gratias benigno Patri noſtro cœleſti per IESUM CHRISTUM, qui eripuit te una cum tuis ex manibus perſequentium inſidiantiumque, & locum dedit, quantum hic gradi poteſt, quietum. Dominus benedicat vobis, conſoletur & confirmet in veritate Euangelica & in propoſito ſancto. Noſti illud Apoſtoli; *Non habemus hic locum manentem, ſed futurum inquirimus.* Et; *Omnes qui piè volunt vivere in* CHRISTO *perſequutionem patiantur oportet*. Neque nos iſtius perſequutionis & afflictionum illarum exortes ſumus, qui in eodem nobiſcum corpore verſamur & doloribus diſtringimur gravibus propter calamitatem ſanctorum. Dominus IESUS reſpiciat nos, miſereatur noſtri & liberet à malo, confirmet in omni bono. Interea juvemus nos mutuum piis precibus. Sylvam itineris veſtri non recepimus, niſi quod Gallus quidam vir pius & generoſus hac tranſiens copiam noſtris tranſcribendi fecit. Studioſi ergo noſtri jam nunc detulerunt ad me quæ non admodum bene tranſcripſerunt. Id quod ex principio æſtimavi. Hactenus enim in hiſto-

historia longius progredi non licuit, ad quam tum legendam quam primum literas hasce absolvero recurram magno cum desiderio. Quotidie experior Lutheranos & judicio synceriore & charitate adeoque & humanitate vacuos, quod non sine dolore dico, accelerare sibi justum Domini judicium. Multis jam annis perpessi sumus & dissimulavimus ipsorum barbaram duritiem, quam neque tu, neque alii boni viri fuerant experti, qui judicabant nos peccasse qui vivo responderamus *Luthero*, nec immoderatè tamen. Librum *Ioachimi Westphali*, & revera Westphali, hoc est, hominis crassi accepi, sed quia heri demum à *Gallo* omnia illa tua accepi, cum alioqui occupatissimus essem, non licuit quidpiam in illo legere. Farraginem ejus nuper inspexi, & quale sit hominis ingenium intellexi. Dominus ignoscat & huic & reliquis ineptis plane Lutheranis & instruat mente puriore & meliore. Sat alioqui & plus quam satis in Ecclesia litium erat, utcunque illi sopitam qualicunque modo non excitarent tragœdiam. Sed reddent rationem justo universorum judici DEO. Oppugnamur validè à Papistis, Anabaptistis, ab Epicureismi ..... sectatoribus, ab Arrianis in Serveto Hispano renatis, & à multis aliis hæresibus, quæ & CHRISTI carnem & meritum & resurrectionem vellicant. Accedunt jam & Lutherani. Sed non deerit puræ veritati & nobis DEUS noster sanctiss. potentiss. clementissimus. Probo in te quod instituis Westphali re-

ſpondere Farragini. Perge modo, neque differas diu opus neceſſarium. Sic intelligent calumniatores & Zoili te non diſſentire à nobis. Spero autem *Calvinum* noſtrum ei libello reſponſurum quem miſiſti *De recta fide in cœna* &c. *Weſtphali*. Fortè reſpondebit illi aliquis ex noſtris, præcipue vero *Bibliander* noſter. Ego enim cum nondum legerim nihildum certi potui conſtituere & ad te ſcribere. Hoc autem ſcio *Calvinum* cogitaſſe de reſponſione ad Farraginem: id quod nuper epiſtola mecum contulit. Ego vero jam illi ſcribo te reſponſurum Farragini, ſatius eſſe ... ad hunc reſpondeat ipſe quem modo miſiſti, neque quiſquam noſtrum vidit hucuſque. Dominus DEUS noſter concedat nobis ut illud facinus, maximam quod promovet gloriam ejus, animarum noſtrarum ſalutem & ædificationem Eccleſiarum, tollat jurgia, lites, contentiones, offendicula. Venerunt huc quoque ad vos ejecti aliquot Angli, ſed propter magnam hominum copiam, rerum etiam inopiam, quodque cara ſint hic omnia, & propter habitationum anguſtiam, non viſum eſt petere ab Ampliſſ. Magiſtratu, ut detur facultas eccleſiam congregandi. Manſerunt tamen apud nos qui venerunt ſtudioſi circiter XIII. qui conjuncti unis in ædibus vivunt. Dudum quidam dum nullus pene locus eſſet in quem ſe exules harum regionum ceu in aſylum reciperent, confluxere ad nos plures, qui tantiſper recepti ſunt benignè, donec propter frequentiam civium & indigenarum Ampliſſ. Magi-

gistratus Senatusconsultum decerneret, cum delectu porro recipiendos esse advenas & quam fieri posset pauciſſimos. Id quod ante sex annos decretum est. Ex Gallia ejiciunter quotidiè examina piorum, & migrant indè integræ familiæ. Genevenses hic se cum Bernensibus benignè exulibus exhibent, sed onerantur & ipsi turba perfrequenti. Dominus IESUS CHRISTUS adsit afflictiſſimæ suæ Ecclesiæ & liberet de manu persequentium. Nihilominus in istis turbis & preſſuris singulariter illucescit fulgor Euangelii, & recipitur percupidè à populis & gentibus adeo ut ipsa Italia quoque libenter audiat verbum Dei, & det CHRISTO exules, vinctos & martyres. Oremus Dominum, nec defatigemur, ut veniat regnum ejus.

Fratres & symmistæ omnes te cum tuis omnibus salutant, & vobis benedictionem Domini imprecantur. Salvi sint apud vos *D. Ioan. Utenhofius. D. Mart. Micronius. D. Gerhardus Thom. Kampp.* & alii noti fratres & amici. Dominus IESUS servet vos in sancta sua voluntate. Tiguri. XVII. Martii. Anno CIↃ IↃ LIV.

HEINRICHUS BULLINGERUS,

Tuus & piorum omnium ex animo totus.

EPISTOLA LV.

Pietate, eruditione, & Stemmate Vero Nobili

D. IOANNI à LASCO,

apud Regem Daniæ.

S. D.

NOn opus est ut multis tuæ præstantiæ hunc nobilem commendem. Puto illum & tibi & cæteris omnibus piis, qui nuper ex Anglia migrastis, esse cognitum. Tantum peto ut tuis auxiliis non destituatur, si opus hisce habuerit. Ex eo nostra omnia intelliges, & quo in loco Ecclesiæ status fuerit. Calamitosè & miserè. Dominus vultu suo placido benignè nos respiciat & vires adversariorum debilitet. Fremunt & insultant indies magis magisque. Sed aderit tandem qui nunc nobis dormire videtur, & hostes suos prosternet, si hac in vita misericordiæ parens hanc gratiam nobis fecerit, laudetur nomen illius sanctum. Sin secus, fiat voluntas illius. Iubet ipse ut pro gloria nominis illius moriamur. Det ipse quod jubet, & duriora, si velit, jubeat. Raptim & furtim ex carcere jam qui arctior & durior quam cum tua præstantia à nobis abierit. Sed hæc & quæ ventura sunt duriora, DEO adjuvante parati sumus subire. Saluta *D. Martinum* pium & veterem amicum. Nobilem virum *D. Utenhovium*, cum cæteris fratribus omnibus, & rogo ut me & concaptivos meos in CHRISTO IESU Patri summo cœlesti religiosè commendetis, ut no-

noſtra morte illius gloria mundo ſpurciſſimo magis magiſque illuceſcat. Ex carcere xxv. Novembris. CIↃ IↃ LIII.

Tuæ præſtantiæ memoratiſſimus apud DEUM

IO. HIPERE,

Gloceſtr. Epiſcopus.

EPISTOLA LVI.

Clariſſimo Viro

D. PETRO MEDMANNO,

Conſuli Emdenſi, Fratri obſervantiſſimo.

DEderam id negotii in abitu iſtinc meo GERARDO CAMPIO, Vir Cl. ut aut pecuniam mihi abs te datam, tibi rurſum redderet: aut nomen ejus fratris qui illam ad me mittebat abs te ſciſcitaretur. Me enim nolle eam pecuniam retinere, niſi ſciam cujus nomine mihi daretur. Iam vero audio GERARDUM iſtinc abeſſe. Et cum hactenus mihi non ſit indicatum nomen ejus fratris, qui mihi per te eam pecuniam dari volebat: ſcripſi jam denuo ad GERARDUM, aut ut nomen fratris illius (quiſquis tandem eſt) abs te reſciſcat: aut tibi pecuniam rurſus omnino reddat. Te vero oro ne ægrè feras, quod hoc ita faciam. Non enim aut tuo id, aut ejus ipſius qui ſuam erga me beneficentiam declarare voluit contemptu ullo facio; quatenus igitur frater eſt, quem admodum tu mihi dicebas: ſed nolo ut ſui illum nominis apud me pudeat, quem præſtiti erga me beneficii non pudet. Et cogitare potes,

intereſſe mea, ut ſciam quibus debeam: & quorum beneficentiâ juver. Neque enim diſſimulo, me juvari à piis fratribus; neque item me pudet fateri: quod eorum beneficentiâ (bona ex parte) ſuſtenter. Sed non ideo tamen à quibuſlibet cupio ſublevari. Imo vero à nemine cupio ſublevari: niſi cujus fidem & pietatem perſpectam habeam. Aut igitur nomen ſuum edat (quiſquis ille tandem eſt) qui me per te ſublevari voluit: aut ſuam ſibi rurſum pecuniam habeat. Si frater eſt, fraterna apud fratrem quem juvat libertate utatur, in indicando ſuo nomine: alioqui alienum eſt à fraterno vinculo, fraternaque libertate, nolle à fratre agnoſci. Adde, mi Domine MEDMANNE, quod tibi alioqui etiam ipſe rettuli, non me tantum, ſed plures quoque alios ſuſpicari, eam pecuniam à Principe ipſam mihi conſignatam eſſe. Quod ſi ita eſt, (etiamſi tu id apud me ſemel atque iterum negaſti) ego plane illam habere nolo; neque volo ut ulla ſua erga me officia, hypocriſi ſuæ obtendat ☺. Cujus illam ego apud tribunal CHRISTI accuſo. Habeat ſibi ipſa omnem ſuam pecuniam; in ſuæ hypocriſeos condemnationem, niſi reſipiſcere velit ☺. Ego, dum talis eſſe pergit, nullam cum ea partem habere volo. Excuſationes quas adfert, tunc expendemus, cum ante CHRISTI DOMINI tribunal ſiſtemur. Id quod alioqui, neque illi, neque mihi, nimium diu exſpectandum erit. Dabis autem veniam, quod te ita interpellem. Aliter enim facere non poſſum. Vale. Francoforti VI. Iulii. Anno CIↃ IↃ LV.

IOANNES à LASCO,
Manu propriâ.

EPISTOLA LVII.

Reverendo Domino

RUARDO TAPPERO,

Decano Lovanienſi, Amico cariſſimo.

Lovanium.

REverende Domine, Amice chariſſime. Accepi literas tuas, ex quibus meum *de ſummi Pontificis officio dialogum*, quem tibi & Magiſtro Iodoco Diletano legendum dederam, ut ſiquid corrigendum videretur, me admoneretis, diligenter à vobis lectum fuiſſe, & probari etiam cognovi. De quo officio & labore, mea cauſa ſuſcepto, utrique veſtrum eas, quas debeo, gratias ago. Expecto autem dum is ad me referatur, propterea quod in animo habeo, antequam imprimatur, quædam ejus loca relegere: & paulo poſt ipſum iſtuc, ut typis excudatur, remittam; miſſurus etiam cætera ſcripta, ut ab eodem librario imprimerentur; præſertim cum tuam ipſe mihi in ea re operam, tam benignè polliceare; niſi Reverendiſſimo D. Cardinali Auguſtano, qui & coram, cum apud eum Dilingæ diverſarer; & poſtea per literas, de edendis illis mecum vehementer egit, & hoc ipſum ſibi munus depoposcit, ea me, ut illic imprimantur, miſſurum eſſe, pollicitus fuiſſem. Ex felici hujus Anglicani negotii eventu te pro tua pietate maximam cepiſſe lætitiam minimè dubito. Cujus rei laus omnis cum ipſi DEo bonorum

rum omnium auctori, tribuenda est; tum his etiam optimis & summa pietate ac virtute præditis Regibus. Post illam ab hoc Parlamento petitam absolutionem, à schismate & cæteris erroribus, de qua jam audieras, actum fuit per hos dies de abrogandis legibus, quæ contra auctoritatem Sedis Apostolicæ & Romanorum Pontificum latæ fuerant: quod ipsum quoque, DEO juvante jam transactum est. Vale, & Magistrum Iodocum plurimum saluta verbis meis. Londini. XIX. Cal. Febr. CIↃ IↃ LV.

Uti frater. Reg. Carlis. POLUS. *Leg.*

EPISTOLA LVIII.

Clarissimo pietate, atque eruditione Viro,

D. IOANNI à LASCO,

fratri honorando.

Frankfordiam.

FEcisti amanter, fecisti prudenter, & piè inprimis, quod peculiarem nuncium miseris ad me, præsertim in tam gravi causa. Quare ago gratias DEO meo, qui talem zelum tibi dederit, & tibi etiam ago, qui de re hujusmodi solicitus es, & mecum tuas cogitationes communicas. Nunc respondebo ad omnia, familiariter quidem, hoc est, & mea manu, atque etiam festinanter. Mi Io. LASCHE qualis sis scio, quo genere, qua autoritate, qua eruditione, qua pietate, (quod caput est) quantum promoveris multis in locis Euangelium, quantum

tum etiam pro me ipso aliquando laboraveris, testatus est enim H. BULLINGERUS sæpè. Velim itaque scias me valde cupere aliquid agere in tuam gratiam, atque utinam venisses tumet ad me, nam suscepissem te summa non modo hilaritate, sed veneratione; sum quidem nunc in aula, atque angustè habito ob pestem Tubingensem, sed non est mihi angustum cor, neque angusta (mihi crede) benevolentia erga te. Ubi valetudinem recuperaveris, & res tuas firmaveris, (nam interea licebit mihi (ut spero) Tubingam redire) oro te frater invisas me, nam eris jucundissimus hospes, multaque conferemus, quæ non ita commodè literis committuntur, ac reddam te certiorem, ubi Tubingam rediero, illic enim omnino commodius possum te suscipere. Nunc quod ad causam attinet, tibi persuade LASCHE, me idem spectare jamdudum quod tu spectas, hoc est concordiam inter eos qui tyrannidem Antichristi oppugnamus. Et verè dicis, turpe esse nos esse divisos, quum adversariis ita conveniat, imo hactenus pertentavi aliquando non unius Principis animum, & non modo principum, sed aliorum summorum, qui in aulis vivunt. In summâ (utar hac metaphora) uva hæc nondum matura est, nec tempus esse puto quo fiat illa vindemia, quam tu pro tua magno zelo cupis, sed differendum aliquandiu. Spes enim est, (audi quid dicam) spes enim est, ut ematurescat. Si me coram posses audire, reliqua intelligeres, nunc neque consilia principum aliquorum (hac inquam in re)

neque quinam præcipui sint, qui suffundunt frigidam, & vindemiam tardant, scribere audeo; unum dixerim (sub fide silentii) Principes facilius & lubentius audituros esse autores concordiæ quam reliquos, id quod tu quoque videris attigisse in tuis literis.

Vix crederes quantum distulerit speratam vindemiam libellus optimi fratris nostri & servi Iesu Christi, Io. Calvini, quem postremò edidit de Eucharistia; paulo enim durius alicubi videtur locutus, dico in eos qui à nobis dissentiunt, audivi viros prudentes deplorare eam editionem. Fui nuper Tiguri, egi hac de re cum Bullingero, atque animadverti tum hunc tum ipsum Calvinum sibi persuasisse, istos nihil aliùd cogitare, quam de opprimendis reliquis, aut certè odisse. Quare multa dixi, & spero me movisse nonnihil, verè enim neque oderunt, neque de opprimendis cogitant, quidquid in comitiis Augustanis ajant, ubi scilicet sequuntur veterem formulam, quâ ante xxv. annos uti cœperunt, quum Anabaptistas atque Zuinglianos excluderent. Consultum putarem, si abstineremus ab editione librorum novorum (hac quidem in materia) & Deum rogaremus, ut nobis ad tam necessarium negotium ostium aperiret.

Quum ego soleam ex hoc veluti speculo quædam videre, quæ reliqui non vident, statim significabo tibi, Io. Lasche, quando opportunum mihi visum fuerit rem aggredi, sive in Conventu Vormatiæ, sive alibi. Nunc plura ad-

admonere minimè possum, præsertim quum tota aula nunc sit maximis occupationibus implicata; venerunt enim huc aliquot Comites & Principes, quorum privatas dissensiones Dux noster studet componere, & succedet illi haud dubiè magna cum gloria DEI: nisi, inquam, essent nunc hîc tantæ turbæ voluissem conferre negotium etiam cum ipso Principe, antequam responderem tibi. Sed non licet commode. Agam tamen suo tempore & scies omnia.

Libellum tuum legam diligenter, & monebo te brevi, num operæ pretium facturus sis, si Duci meo inscripseris: utar hac in re unius atque alterius boni amici, & magnæ autoritatis consilio.

Puto me respondisse ad omnia. Sed obsecro, cur tu nihil ad me de vestra Polonia? an forsan ignoras? aut non putas esse vera quæ tam multis literis affirmantur? Ad me quidem D. MATTHEUS EHEMUS Patritius Augustanus (inter alios) scribit, in publicis comitiis actis IV. Maji (nisi erro) transactum esse de religione, hoc est, ut liberè prædicetur purum DEI Verbum, ut liceat sub utraque specie panis & vini sacramentum cænæ administrare, ut liceat ministris Ecclesiarum uxores ducere, ut populari lingua omnia legantur in Ecclesiis. Ostendi literas Principi, qui putat vera esse omnia. Imo addit, Ferdinandi filiam Regis uxorem (quam ego é sacro fonte suscepi) favere causæ nostræ. Miratus sum vehementer te nec verbulo in tuis literis hæc tam bona nuncia attigisse. Quin audi ulterius, Dux Prussiæ scribit ad me, atque adeo ad Prin-

Principem meum, se cupere, ut invisam eum. Ego vero qui hîc habeo uberem segetem, in qua me exerceam, vix cogitabam de tam longa profectione suscipienda, nunc si vera erunt, quæ de Polonia scripsi, fortasse non recusabo laborem, ut ea occasione invisam vestrum Regem, vestram Reginam, vestrum regnum. Qua tamen in re libenter audiam tuum consilium, & quæso te, velis illud ad me diligenter scribere, seorsum tamen ab reliquis negotiis, nam quid tu sentias Principi ostendam.

Utinam in eisdem tuis literis aliquid scripsisses de statu rerum Anglicanarum; quum enim istic tam multi sint Angli plura fortasse possunt isti scire quam nos. Incerta feruntur, tamen de abortu Reginæ omnes videntur consentire, sed de ejus morte non ita omnes.

Si miseris aliquando tuas literas Heidelbergam ad D. STEPHANUM CIRLERUM Palatini Electoris Secretarium, scribo nunc ad eum, ut ad me curet. Vale Vir mihi omnibus modis carissime, & colendissime, & tibi certissimè persuade, me ex animo te amare, colere, & venerari. Salvere jubeo pios omnes quos familiariùs nosti, atque vos rogo omnes, ut oretis pro me. Nuncius tuus heri primum venit, nam & Tubingam profectus fuerat, quo non fuisset opus, & multæ pluviæ eum impediverunt. Libellos latinos nullos habeo quos ad te mittam, sed sum brevi habiturus, & habebis. Ignosce non solum prolixitati meæ, sed etiam infantiæ, vix meditatus possum scribere,

quæ

quæ tui similes possent legere sine fastidio *(aliis enim in studiis apud Antichristos me exercui, barbaris scilicet atque impiis*, hoc est, *in jure combusto & in concitandis Principibus ad arma)* quid fiet quum ita ex improviso? Scio te omnia (etiam hanc ipsam excusationem) boni consulturum. DOMINUS servet te suæ sanctæ Ecclesiæ. Amen. Stutgardiæ XXI. Iunii. CIↃ IↃ LV.

VERGERIUS Frater.

EPISTOLA LIX.

Illustri & Magnif. ac Reverendo

D. IOANNI à LASCO Baroni,

Ecclesiæ Sanctæ Viro DEI, *&c.*

Domino suo observando & honerando.

SAlutem animæ & corporis in CHRISTO IESU Domino nostro. Illustris & Reverende Domine mi observandiss. Nova hæc sunt, singulis fere diebus tractatur de electione Regis, qui Rex, & per quos eligendus est. Episcopos nolunt admittere Equites ad electionem tantisper, donec juramentum præstent prius, non amplius Papæ Domino suo, sed Regi hujus patriæ ac toti Regno. Exoratum est de hac re in Senatu & Regis præsentia per D. OSOLINIUM: ubi quoque lectum est juramentum Episcoporum publicè, & factiones

nes Papæ multæ sunt detectæ. Commemorati etiam fuerunt Legati, qui per Episcopos è Roma evocantur, & adducuntur stipendiis eorum, ad comitia Regni hujus. Hocque ipsum non carere mysterio & suspitione mala, quod videlicet ipsi Episcopi sint, non custodes, sed Reipublicæ proditores. Deinde quod exerceant in Regno hoc tyrannidem, non vi legum publicarum, erga quoslibet honestos & claro genere natos homines, sed privata libidine provocati. Adjectæ quoque sunt, alio die, multæ & variæ accusationes publicè, quod in eam etiam dementiam & audaciam prolapsi sunt, ut quoscunque homines volunt, hæreticos pronunciant & declarant, bonos viros fama spoliantes, & nothos manifestos, autoritate privatâ *** & legum Papæ, honestos ac bonos creantes, cum ingenti dolore omnium. Sed de his rebus & aliis omnibus, melius & fusius tua M. intelliget ex literis Domini LIASOCII. De Religione nihil est adhuc tentatum. Nos concionamur, & colligimus cœtus Christianos. Interdictum fuit nobis, per TRZEBOCHOWSKI nomine Regio, ne amplius conveniremus ad publicas preces & concionaremur, idque factum est Pontificum studio, qui tamen voti sui non fuerunt facti compotes. Prædicamus enim ad hanc usque diem liberè & publicè. Heri venit huc D. IOANNES ROKYTA Valdensis, qui Dominico die post prandium concionatus est præterito. Hodie iterum interdictum est severè, ut omnino taceremus de CHRISTO, & ne loquè-

queremur amplius in hoc nomine. Rogandus est DEUS sine intermissione, ne pii in his gravissimis tentationibus succumbant, & in hac natione prava & adultera CHRISTUM negent, nondum enim ad sanguinem restitimus. Quid sequetur tandem, brevi tua M. cognoscet. Nos hîc etiam pro te DEUM oramus, & tuis omnibus, tu quoque Vir DEI, ora pro nobis, scio enim certò, tuas preces non inane murmur apud DEUM, vides in quanto periculo versamur: Quod reliquum est, benedicat tibi Dominus ISRAHEL & impleat cor tuum suo sancto Spiritu Amen. Datum Petricoviæ XXVI. Ianuarii. CIↃ IↃ LIX.

Servus IESU CHRISTI omnium minimus,
Tuæ Ill. Mag. devotissimus semper

MARTINUS CROVITIUS.

EPISTOLA LX.

Magnifico & reverendo Viro

D. IOANNI à LASCO, &c.

Theologo præstanti, domino & amico suo plurimum colendo.

SAlutem in CHRISTO Domino & Salvatore nostro, Reverende Domine IOANNES à LASKO. Si cum uxore & tota familia bene vales, gaudeo. Ego, laus DEO, mediocriter valeo. Doleo autem quod mihi tam diu literis tuis suavissimis carendum fuit, nam præter unas, quæ Conigspergæ redditæ sunt, nullas abs te

ac-

accepi. Itaque ne memoria mei apud te prorsus excideret, visum est cum hoc adolescente aliquid ad te scribere. Cæterum nihil novi habeo nisi Regiomontana dissidia, quæ tibi satis nota esse opinor, commemorare velim, quæ eo creverunt, ut necessariò mutatio aliqua exspectanda sit. Utinam in melius fiat. Quanquam parum spei habeo, nam princeps adeo addictus est *Osiandro*, ut potius aliquam Ducatus sui partem, quam illum virum amissurus videatur. Episcopus Pomezanensis *Paulus Speratus* in sinum Abrahæ receptus est. Episcopatus Sambiensis adhuc vacat. Schola indies decrescit Regiomontana, non solum propter contentiones Theologorum, sed etiam propter paucitatem Professorum. Sunt enim præter me *Mag. Matthias*, *M. Fabianus*, & *Wislingus* excluſi propter *Osiandrum*. Habes summam. Si plura scire cupis præsens adolescens exponet, & ego omnia copiosè ad te, si voles, perscribam. Benè vale in CHRISTO. Dantisci. XVIII. Augusti. Terram Lemniam adhuc expecto.

IO. PLACOTOMUS.

EPISTOLA LXI.

Generoso & Magnifico Domino

D. IOHANNI à LASCO, &c.

Restauratori veræ Religionis in Celeberrimo Regno Poloniæ, Domino suo benignissimo.

S. D.

GEneroſe & Magnifice Domine, ſcripſit mihi D. IOHANNES UTENHOVIUS literas, in qui-

quibus mihi singularem suam humanitatem, & benevolentiam erga me declaravit. Inter cætera autem me *Mæ. Tæ.* nomine salutavit, atque *Mam. Tam.* excusavit quod mihi respondere non potuerit. Etsi autem salutationem, ex qua facile intelligere potui *Mam. Tam.* mei non immemorem esse, gratissimo accepi animo. Tamen non cupio ut *Ma. Ta.* neglectis gravioribus negotiis, mihi quicquam scribat. Ego enim satius esse duco ut *Ma. Ta.* suo calamo, ad abolendos impios cultus in Ecclesiis celeberrimi Regni vestri, & ad illustrandam gloriam DEI utatur. Quam ut vel momentum saltem temporis literis mihi scribendis tribuatur. Quapropter non volo ut *Ma. Ta.* unquam de respondendo sit sollicita, etiamsi in posterum sæpius quam antea scripsero. Quod quidem omnino sum facturus, si modo ex Domino *Utenhovio* intellexero *Mam. Tam.* à lectione literularum mearum non abhorrere. Quas profecto propter nullas alias causas scribam, quam ut cognoscas me ex animo optare ut *Mæ. Tæ.* studio, Ecclesiæ in Polonia reformentur: & ut ego sciam me inter eos numerari, quibus *Ma. Ta.* benè cupit. Nam ab eo tempore quo ratione uti didici, in hoc potissimum incubui, ut clarorum & Doctorum virorum benevolentiam mihi conciliarem. In quorum numero, cum *Mam. Tam.* potissimum locum habere sciam⌣, ideo nihil magis cupio quam ut me in catalogum suorum referat. Id si impetravero sedulo annitar ut nihil prorsus à me prætermittatur, quod ad augendam & confirman-

dam æstimationem M^a. T^a. pertinere videbitur, quam ut Filius DEI, Dominus noster IESUS CHRISTUS incolumen conservet, Spiritu Sancto regat, & contra omnes hostes verbi sui tueatur atque defendat, ex animo precor. Datæ Uratislaviæ, quartò Nonas Augusti. Anno CIↃ IↃ LVII.

M. T. Addictiss.

BALDASAR SCHNEYDER,

Philosophiæ & Artis Medicæ Doctor.

EPISTOLA LXII.

Nobili atque eximio Viro, Euangelici negotii Professori sive concionatori

D. IOANNI à LASCO,

amico suo optimo ac præcipuo.

SAlutem in CHRISTO IESU Domino & Servatore nostro. Vellem, Vir eruditissime, frequentior inter nos familiaritas & vivendi consuetudo esset, idque sane tum ob variarum doctrinarum ac rerum cognitionem, tum ob morum imprimis tuorum suavitatem; verum quia istud ægrè aut etiam raro fieri potest atque conceditur, cogitavi tandem, ut, quia id corporum præsentiâ non detur, mutua literarum missione..... ad alterum utrumque perficiatur. Si quandò ergò tuæ humanitati occasio offeratur, velim hunc in me erga te affectum ne defraudes, sed aliquoties tuarum literarum aliquid mittere non gravêre. Ego quoque hac in re mihi

hi non deero. Cæterum concionator hic *Adrianus* nomine, qui hasce literas meas ad te defert, hactenus aliquamdiu versatus in aula Comitum à Nuenaar & à Mörsa Iuniorum inquam & Seniorum ita sese interim inter nos gessit, ut nemo aulicorum sit, qui illum non æquo animo tulerit propter honestam ac decentem conversationem: sed quia quam expectavit sibi in eventum pollicitam conditionem impetrare non poterat; utpote propter turbulenta ista dissidia, à juniore Domino clementer dimissus est, sed tali admonitione, ut ipse circumspiciat; si usquam habere posset conditionem sive manendi locum, donec melior ..... acciderit. Abiturus hinc igitur in animo concepit cum bona spe obtinendi conditionem aliquam per te in istis regionibus: rogavit me ut sibi profecturo literas darem ad *T. Hum.* ut qui intellexerat aliàs inter nos fuisse consuetudinem, non potui tum pro voto non morem gerere, proinde has ad te literas dare decrevi, quas, te quæso, lubens amplectere, & huic homini propemodum exuto pro viribus auxilio esse velis, idque utique amore CHRISTI, cujus Euangelium jam corde concepit, & pro virili ..... vellet si provincia illi offerretur. Benè Vale. Mörsæ ex ..... nostra, per ferias Pentecostes, Anno Domini CIↃ IↃ XLVIII.

IOANNES CÆSARIUS,

Iam propè cœcutiens,

Ex animo tuus.

EPISTOLA LXIII.

Generosissimo ac præstantissimo Viro, CHRISTI *ministro*,

D. IOANNI à LASCO,

Domino ac fratri cum primis observando.

GRatiam ac pacem à DEO Patre ac Domino nostro IESU CHRISTO. Celebritate nominis tui, quâ non inferioris tantum, sed & superioris Germaniæ nostræ fidelibus jam olim admodum es commendatus, commendatus es & mihi, Vir in Domino chariſſime, unde paſſus ſum induci ut ad te ſcribam, fore ſperans, ut qua es humanitate non modo boni ſis, quod ſcribo, conſulturus, ſed & quod non mea ſed ejus gratiæ peto, qui haſce tibi literas reddit, præſtiturus, præſertim cum id citra diſpendium haud difficulter præſtare queas. Id autem quid ſit ex ipſo melius cognoſces. Iam annos prope decem comperta mihi eſt utraque ipſius & pietas, propter quam exulat à patriis ſedibus; paternaque eſt hereditate privatus, & eruditio ſingularis, quæ ſuis temporibus, volente Domino, haud parum poterit propagandæ Veritati conducere. Oro itaque ut pro fratrum ſuorum ſalute ſollicito ac laboranti interceſſione tua apud eos ſuccurras, qui ad expediendam hanc cauſſam autoritate ſua valent, vel, ſi ita videbitur, apud ipſam Regiam Majeſtatem, apud quam te non dubito valere plurimum.

Cæterum oro Dominum, ut laboribus tuis, quos

quos pro Euangelio ipsius in patria gente ex ipsius singulari consilio sustines, cælestis incrementi gratiam & efficaciam adspiret, quo, quod sedulo facis, feliciter perficias.

Gratissimum erit, si ubi ad D. *Heinrichum Bullingerum*, charissimum compatrem scripseris, tribus vel quatuor verbis de rebus Poloniæ, quod Euangelium Dei attinet, certum me reddideris. opt. Vale. Commendo te gratiæ DEI. Bernæ Helvetiorum. CIↃ IↃ LVIII. XXVI. May.

WOLFGANGUS MUSCULUS,
tuus in Domino.

EPISTOLA LXIV.

Clarissimo Viro

D. IOANNI à LASCO,

Baroni Polono, iam in Polonia agenti, domino suo colendiss. & fratri charissimo.

S. D.

SPero literas nostras tibi fide optima per Stanislaum D. *** ministrum esse redditas. Interea Anglus huc venit pusillo corpore & ruffâ barbulâ, qui mihi à *D. Ioan. Utenhovio* attulit literas, simul etiam à *D. Melanchtone*. Pollicebatur se rectâ per Bernam iturum Genevam, deinde per nos in Poloniam rediturum. Dedi ipsi literas quas Bernam & ad *Calvinum* portaret: Factum hoc XI. Ianuarii. Interim vero iste comparet nusquam, Bernam non venit, neque *Calvino* quicquam dedit. Dubito an mortuus sit in itinere, an literas prodiderit meas nescio quibus.

bus. Genevenſes perpetuo fœdere coaluerunt cum Bernenſibus. Itaque Civitatibus illis reddita eſt pax, quæ aliquandiu periclitabatur. Tranquillæ ſunt alioqui Eccleſiæ Helveticæ per DEI gratiam. Dominus velit hoc nobis eſſe diuturnum. Colloquium quod Wormatiæ inſtitutum fuerat, abſque collatione diffluxit, & ſine omni fructu (utinam etiam ſine damno) diſſipatum eſt. Principio Saxonum quidam oblata condemnatione *Iulio* præſidi, relictis ſymmiſtis diſceſſerunt: Deinde cum urgerentur à Papiſtis qui remanſerant ex Proteſtant. Docti, ut ipſi quoque declararent quos putarent alienos eſſe à Confeſſ. Auguſtana, nominatim expreſſerunt opt. virum *Zvinglium*, ac condemnarunt. Quàm hoc affecerit viros bonos in Helvetia ipſe æſtimare potes. Et his conjunxit ſe etiam *Philippus* noſter. Nunc laborant quidam pro inſtruenda ſynodo in qua colloquantur docti Helvet. & German. Eccleſiarum. Nos nunquam deerimus noſtris partibus, DEO nos juvante, qui ſemper parati ſumus rationem reddere ſpei quæ in nobis eſt cuilibet petenti. Sed quanta cum ſpe colloquium inſtituatur, cum his, qui palam noſtros damnant doctores & damnationem ſcripto ad Imp. & Cæſ. principeſque tranſmittunt, intelligit qui nihil intelligit. Dominus farciat defectus illos humanos, & concedat omnibus diligentibus veritatem, ut poſita invidia, litibus & ambitione, idem ſentiant & loquantur omnes. Vale. Salutant te noſtri omnes cum omnibus tuis. *Luysm. Utenh.* &c. ſaluta hos quo-

quoque. Ora pro nobis. Significa quo loco sint res vestræ. Festinantissimè Tiguri. XVII. Martii. CIↃ IↃ LVIII. BULLINGERUS *tuus.*

EPISTOLA LXV.

Generoso, claro & pio Viro,

D. IOANNI à LASCO,

Ecclesiæ Christi Euangelistæ sincero, Domino & Fratri observando.

C. S. C.

per CHRISTUM IESUM

S. P. D.

SEbastianus famulus tuus, Magnif. & Generose LASCE, Genevam proficiscens, me tuo nomine salutavit, quod mihi tam gratum fuit, quam quod gratissimum. Nam etsi nullas mihi à te literas attulit, mihi tamen de te tuoque statu ab eo qui è domo tua veniret, audire fuit perjucundum. Idem quoque nobis ab Horatio filio meo literas reddidit, quas ei, dum tu apud Principem ejus ageres, ad me dederat: in quibus illud me mirificè recreavit, quod meam ad te superiore anno scriptam epistolam, tibi redditam fuisse, significavit. Verebar enim, quod hodie nimium fieri solet, interceptæ essent: aut non sat fideliter curatæ. Suspitionem augebat, tum quod nihil *** responderes, tum quod ejus epistolæ exemplum Tiguro ad me ab amico quodam missum esset, quum ego ejus nemini copiam, ne inspiciundi quidem feciſſem unquam. Unde autem, à quove illuc perveniſſet, rescire non poteram: qui scrupulus etiamnum

hæret. Nam abs te homine prudenti ac religioso, divulgatum esse non putavi: etsi is, de quo scribebam, talis est, ut quasi sorex suo se prodat indicio. Neque enim quenquam latere potest, quo supercilio incedat, quo fastu tumeat, ut Epicurum & Aristippum toto vitæ genere referat. Quare hæc tamque notissima & pervulgatissima missa faciamus: Illud vero, quod cum talis fuerit semper, sicuti est, IESU CHRISTI FILII DEI Ecclesias sese velle constituere jactat tamen, ferendum esse non puto, nisi etiam sues ad Ecclesiam ædificandam placet admittere, atque ad margaritas colligendas.

Quod autem nescio quam adversus tuam sinceram pietatem apologiam jactat, nihil est quod metuas; aut enim nulla, quod verisimilius est, unquam extabit: aut tam inepta, ut tuam pietatem magis sit illustratura, quam eidem tenebras offusura. Non is est, qui quicquam boni, aut elaborati homo indoctus & mollis suo marte possit cudere. Exemplo esse possunt, quæ ab eo adhuc in vulgus sunt edita. Nam Secretarii Pontificii actiones duas de boni cujusdam viri bibliotheca surreptas, proque suis bis edidit. Idem fecit in *Io. Valdessi* Equitis Hispani quadam pueruli institutione, quam iste *Lac Spirituale* appellans, primum Principis Virtembergensis Filio, ut se in ejus aulam insinuaret, pro sua; obtrudere non dubitavit. Eamdem quoque, quum in Prussiam, Lituaniam & Poloniam ad emungendos Reges se contulisset,

set, mutata inscriptione, quasi novum & à se confectum opus Illustriss. Oliciæ Ducis Filio tradidit, nihil veritus homo impudens multos parietes una ex fidelia, ut dicitur, dealbare. Hæc apud nos luce sunt meridianâ clariora. Mitto alia id genus multa, quæ suo tempore patebunt: ad me ipsum venio. Scripsit ad me Horatius meus multa de tua in se humanitate, & in me benevolentiâ, nullo nostro merito collectâ, sed tua solius bonitate excitatâ. Hac de caussa tibi me plurimum debere fateor: quod si alio modo referre gratiam non potero: quod & jam feci, & deinceps majore studio sum ardoreque facturus: ac quacunque occasione declaraturus. Inter cætera autem quæ idem meus filius scribit, illud est: quod cum sermo inter vos de nostris illis de Ampl. R. D. dialogis incidisset, à te audisse, te quidem adversarii mei accusationem improbasse, neque ut contra nostrum illud opus sententiam ferres, etsi ab eo magnopere rogarere, adduci potuisse: unum tamen in eo esse, quod tibi non satis probaretur: ubi ais (inquit filius) *idem esse, sive Petrus, sive Paulus, sive Cicero, sive Aristoteles Euangelium docuerint.* Nemo est, LASKE optime; & Frater in DOMINO charissime, cui ego magis mea probari cupiam, quam tibi: cujus eruditæ pietati tantum tribuo, quantum homini ab homine tribui potest. Itaque ne hic locus obstet, quominus idem sentiamus, tibi paucis satisfacere conabor. Primum igitur mea ex eodem opere verba subjiciam: mox quid

vitii in se contineant, videbimus. Sic enim habent Pagina CLXXVI. *Verum enim, à quocunque dicatur, à Deo est: sive is sit Moses, sive Plato, sive Paulus, sive Cicero.* Quæ verba primum quid ab illis differant, vides. Quanquam ne in illis quidem quid sit vitii, video. Significant enim Euangelii dignitatem autoritatemque, non pendere ab hominibus: neque admodum referre à quo & per quem, modo purè Euangelium doceatur. Huc spectavit Paulus I. Cor. III. cum ait: *Quid Paulus? quid Apollos? nisi ministri per quos credidistis?* Verum ut dixi, non sic à me scriptum, sed, *Verum à DEO semper esse, per quemcunque tandem proferatur.* Nam si solus DEUS est verus, verax & ipsa veritas, ut solus est bonum, bonitas & bonus, certè quicquid verum & bonum ab aliquo dicitur aut fit, id quatenus bonum & verum à DEO omnis boni verique fonte sit necesse est, sive id à Paulo, sive à Platone proferatur. Quod quid aliud sonat quam quod dixit Paulus ad Corinthios: *Nemo potest dicere DOMINUM IESUM, nisi per Spiritum Sanctum.* Ubi enumeratis aliquot donis, etiam linguarum & medicinæ scientiam Spiritus Sancti dona esse testatur. Ibidem etiam D. CALVINUS, quærit, *Cum impii præclarè interdum & splendidè de CHRISTO differant, an habeant DEI Spiritum?* & respondet, *Eos proculdubio habere, quod ad effectum illum spectat. Etiam Iudam cum Euangelium prædicaret, eodem Spiritu præditum fuisse.* Vides igitur Vir clariss. & Frater in DOMINO colend. nos nihil in eo aut impium, aut absurdum af-

affirmasse: sed sententiam quandam, tum divinis literis consentaneam: tum in DEI Ecclesiâ decantatam, retulisse. Nihil enim in scholis & scriptis omnium Theologorum pervulgatius, quam, Verum, à quocunque dicatur, à Spiritu Sancto atque à DEO esse. Quod si quid præterea est vel in hoc vel in aliis ejusdem, aut aliorum operum locis, in quo à me tibi satisfieri velis, oro ad me perscribas. Nunquam enim tuæ pietatis, vel monitu, vel censuram detrectabo. Atque etiam si qua in re tibi gratificari in his locis possim, etsi quam parum possum, probè sentio, quæso te per mutuam charitatem, me meisque omnibus utare. Vale Domine & Frater, & Regnum CHRISTI apud tuos, ut cœpisti, omni conatu promovere perge. Basileæ, cal. Novemb. CIↃ IↃ LVIII.

T. D. Totus addictus

CÆLIUS.

EPISTOLA LXVI.

Optimo atque doctiss. viro

D. IOANNI à LASCO, &c.

Domino & amico suo inprimis colendo.

S.

AD literas tuas Francfordiæ mihi à *Petro Antonio* datas, opt. atque doctiss. D. IOAN. à LASCO, respondissem statim nisi & negotiis fuissem abreptus, & serius illæ mihi essent redditæ, sub finem demum nundinarum, ut nullum am-

amplius fore, qui indè eas ad te perferre vellet putarem. Quod verò de Danica vestra historia scribis, nihil ego aliud quam ejus præfationem accepi à prædicto. *Pet. Antonio.* librum vero ipsum Genevæ apud *Crispinum* hærere dicebat. Quod si indè vel ad me, vel ad D. *Amerpachium* Jure-consul. civem nostrum (id quod *Petro Ant.* etiam consultius videbatur) mittatur, idque in tempore, ut absolvi adhuc ad proximum autumnum possit, in me quidem non erit mora, quin statim vobis uti gratificer sedulò curaturus sim. Libenter etiam in mittendis ad vos aliquot exemplaribus à me excusis, meam erga vos benevolentiam atque observantiam declarabo. Benè vale opt. atque doctiss. vir, proque meis laboribus DEUM ora, Basileæ, VI. Aprilis. CIↃ IↃ LIX. *Utenhovio* plurimam meo nomine salutem dicas quæso.

IOAN. OPORINUS, T:
ex animo.

EPISTOLA LXVII.

IOANNIS ACRONII, FRISII,

Medicinæ & Mathematum apud Basileenses Professoris,

ad N. N. Popularem Epistola.

SI ex animi sententia vales, Vir Humanissime, benè est, ego quidem gratia DEI rectè valeo. Liber noster serius venit, quam nos voluimus, spero tamen hanc moram neutri fore detrimento.

to. Nam augeo librum, usumque utilissimum & amplissimum explico: ferè nunc ad finem perduxi. Abstrahor sæpè à proposito aliis negotiis, ut ferè nunc quatuor mensibus ne unum caput conscripsi. Calendarium futuri anni composui, ac Davidicâ sectâ occupatus fui. Et quo melius totum negotium intelligas, singula quæ scire potui, pauciſſimis perscribam. *David Georgius* Delphis Hollandiæ natus, in vitris depingendis excellentiſſimus artifex fuit: ubi benè adolevit, Anabaptista factus; Anabaptistæ autem cum omnes ferè expectent quendam Spiritum Sanctum à *Christo Iesu* promissum, qui omnia edoceret, quem ajunt etiam his extremis temporibus venturum, ipse quoque *David* multa de eodem Spiritu docebat anno XXXII. XXXIII. XXXIV. aliisque aliquot annis sequentibus: urgebatque Spiritum jam istum tum venisse, sibique nimis multa tribuit. Quo factum est, ut ab Anabaptistis sit excommunicatus. Suo spiritu, doctrinâ & arte magiæ magnam sibi comparavit authoritatem. Iam apud suos docuit suam sectam viva oratione & scriptis per totam inferiorem Germaniam, & ne agnosceretur, vestes subinde mutavit, ac invisibilem reddidit, ministros ad diversas partes misit. A suis privatim in domibus ut rex adorabatur, coronam quadrangularem gestabat, in cujus fronte stella erat. Sedebat in sede tanquam in solio, flexis genibus, reliqui orationem ejus audiebant, ut ex certis hominibus intellexi, qui viderunt & ipsius

sius negotiis interfuerunt. Mater ejus propter Davidicam sectam est interfecta. Ubi nusquam cum suis tutus erat in Inferiori Germania ascendit in Germaniam Superiorem, ut quæreret sibi locum commodum habitandi. Argentinæ cum aliquot Anabaptistis disputabat, interrogabat primum: num vellent ipsius Spiritui credere? responderunt se velle ipsius probam videre. *David* indignè tulit, quod Spiritui ipsius nollent credere. Disjuncti sunt irati. Nam *Davidis* Spiritus fremebat in *Davide* propter ejus contemptum. Argentinâ venit Basileam, ubi per aliquot dies decem aut undecim cum Comitibus hæsit. Ipse tum cum ipso loquutus sum. Basileâ profectus est Venetias, ut eo tempore famulus quispiam mihi narravit. Venetiis huc reversus aliquot ex Senatu invitabat; ipsique exposuit, quantis ex periculis propter veram religionem evaserit; nec sibi esse spem ullam vivendi in Inferiori Germania, patria ejus: se igitur rogare Senatum ... ipsique supplicare per CHRISTUM & ejus Euangelium, ut ipsi cum sua familia concedat locum habitandi, ac in numerum civium recipiat: seque præstiturum cum suis ea quæ virum probum decent. Res ubi est in Curia tractata, Magistratus precibus motus ipsum cum tota familia in civium numerum recipit absque omni testimonio prioris Magistratus, quod factum indignissimè cives ferunt nunc. Receptus, amplam domum non procul à templo D. Petri conduxit, ac postea emit ipsam, in qua mortuus est; arcem etiam & alias mul-

multas circa urbem emit, si licuisset plures emere, emisset. Nosti etiam quod emerat duo prædia in jura monte, quod alterum est in agro Basileensi, in quo voluit domum, ut nosti, ædificare, in eo vero, quod est in agro Solodurensi, domus non diu ante mortem est combusta, quo incendio dicebat MCCC. aureos amisisse. Dolebat valde eo incommodo, & tandem arbitrabatur vicinos fecisse. Eo tempore tu disputabas contra eum & *Nicolaum Blesdicium* de jurisprudentia, Legibus & Magistratu, quem negabant ambo debere Christianis præesse, nec ullum argumentum, nisi mihi exciderit, adducebant, quam illud, quod prima Ecclesia per trecentos annos vixisset absque civili Magistratu, quod facile refutabamus. Nos tum novimus esse *Davidem Georgium*, sed opiniones ipsius absurdissimas ignorabamus: etiam intellexi ante decem annos ipsum *Davidem* esse, postea abhinc quarto anno in Frisia nostra certissimè cognovi. Tandem Basileæ per Doctorem *Davidis*, apud quem noster *Leon Beima* habitabat, qui narrabat suo hospiti me scire ubi *David Georgius* habitabat, neque ipsi decedenti hinc velle indicare ⌣. Doctor eodem die venit ad me, rogabat, ut indicarem, antequam *Leon* periclitaretur; sed *Leon* facile ex filiis & filiabus perceperat ⌣. Ego nolui indicare præterquam tibi & Doctori *Adamo*: Magistratus non credidisset ipsum talem esse, qui tam religiosè & piè cum tota familia videbatur vivere ⌣. Dominus *Franciscus Flandrus* tibi notissima de ipso narravit, de ma-

magicis ejus & orationibus. Fuit ipse & uxor ejus vehementer terrefacti, ubi quispiam Germanus Inferior in hospitio ciconiæ narravisset ipsum talem esse hæreticum, nec esse nobilem: quæ verba hospita ad suam cognatam, socrum *Georgii* filii *Davidis*, detulit. Hæc commota, *Davidis* uxorem nonnihil languentem, invadit satis duris verbis, quasi jactarent se nobilês falsò hominibusque imponerent, sub specie veræ religionis, tanquam horrendam sectam alerent. *Davidis* uxor paulo post est mortua, quam inter octo dies *David* ipse sequutus est valde invitus, persuasus enim erat mortem in ipsum nihil posse, multis gemitibus expiravit. Concionator cum quispiam adesset arbitrabatur ipsum tanto affectu tendere ad *Deum*, rogabat utrum in *Iesum Christum* crederet, seque verè redemptum esse, sed *David* magni ejus consolationes & admonitiones non fecit. Cum autem astantes dicerent, *Audi virum Dei*, inquit, *Potest esse missus à Deo, non tamen est vir Dei*. Sequenti die è suggestu proclamavit Concionator, in vera Religione esse mortuum nobilem *Ioannem de Bruck*. Sic enim hæredes curarunt proclamari. Mortuo *Davide* factum est, ut dixisti, Regnum ejus brevi dissolutem iri. Famulus ejus *Henricus* natione Geldrus, qui *Davidi*. XVII. aut XVIII. annis inservivit, à Davidicis defecit, migravitque ad Dominum *Carinum*; paulatim cœpit suis sectam vituperare ac indicare senem illum verè fuisse *Davidem Georgium*. Superiori anno autem quum migraturus erat ad Episcopum Argentinensem, libros

libros suos Davidicos deposuit apud *Petrum Mechlinienſem*. Hos esse depositos, qui tam horrenda dogmata continebant, aliquot viri docti intellexerunt. Quoniam D. Doctor *Amerbachius* Senatui de libris, & secta indicabat, Senatus continuò per ministrum jussit, ut *Petrus* veniret in curiam, librosque omnes secum ferret, ubi interrogabat *Petrum* per juramentum, ut indicaret, quicquid sciret de tota secta. *Petrus* multa narravit. *Henricus* ab Episcopo clam vocatus est Basileam & examinatus ab aliquot Senatoribus. Ex his duobus hominibus & libris Senatus facile cognovit senem illum fuisse *Davidem Georgium* & hæresim diabolicam. Davidici hæc agi intelligunt, Magistratuum aliquot rogant, ne nimium properent, rem non esse talem, qualem malevolus servus spargit. Senatus propter alia quædam negotia gravia, & quod neuter Consulum viveret, multique persuasi essent *Davidicis* injuriam fieri, diu negotium reliquerunt. Concionator Davidicos examinabat, dicebant, se idem credere, quod Basileensis Ecclesia; jussi sunt damnare multas sectas, presertim Davidicam, quod animo prompto fecerunt, ac Basileensem probare, recipere & confiteri. *Nicolaus Meinardus Bleſdiik* præterita hyeme tribus articulis universæ Davidicæ sectæ summam Concionatoribus tradidit, rogavitque eos ne publicarent. Oravi Dominum *Sulcerum*, ut mihi liceret legere, negabat licere. Hic *Nicolaus* gener *Davidis* erat, à *Davide* excommunicatus, quam excommunicationem reliqui *Davidici* retinuerunt, donec conjicerentur in carcerem: excommuni-

carunt quoque Doctorem *Borigium*, quamvis non sit Doctor. Magistratus consultat multoties, quid sit cum mortuo & hæredibus agendum. Tandem XIII. Martii sunt filii, generi & aliquot ministri *Davidis* vocati in Curiam, & interrogati, num essent nobiles, negabant se esse nobiles, præter unicum de familia, ut audio, *Berchem*; hic habet & suam matrem secum. Interrogati quoque num eorum Dominus fuerit *David Georgius*, responderunt, se ignorare, nec alio nomine se ipsum appellasse, quam Dominum, nec audisse unquam. Nonnulli ætate se excusabant. Magistratus aliquantum hoc responso motus, inquit, Quid hoc sibi vult, quod nos audiamus hîc palam non noviſſe vos nomen, nec Religionem noviſſe aliam, quam Basileensem, quum filius maximus natus sit XXXV. annos, & Ioachimus gener fuerit *Davidis* XV. aut XVI. annis, *Nicolaus* VIII. aut IX. qui præter alios ipsum sunt sequuti huc & quotidie cum ipso versati? Paulo post eodem die sunt undecim ex illis in carcerem ducti. *Nicolaus* & Doctor Gallus coacti sunt jurare, se non discessuros ex urbe absque Magistratus consensu. Interea dum hæc aguntur in Curia ac ipsi includuntur carceri, cives multi invaserunt jussu Magistratus ipsorum domos & cistas, quas ipsi, qui in domibus erant noluerunt aperire, effregerunt, ac saccos IX. aut. X. libris & literis plenos attulerunt in Curiam. In domo *Georgii*, quæ, ut nosti, est extra urbem, erat cista ferro undique munita, pa-

parieti affixa, quam aperire cum non potuerint, vertere conati sunt, ac invenerunt multa secreta inter cistam & parietem ipsius *Davidis*. Magistratus libros & literas, quæ ad hoc negotium non pertinebant, retinuit in Curia, reliquos tradidit aliquot doctis in Academia, ut censerent ac inquirerent diligenter de omnibus rebus. Inter hos & ego minimus fui. Invenimus certè varia, quæ ex sequentibus majori ex parte intelliges. Primo conjecti in carcerem nil fateri voluerunt, nec extra carcerem *Nicolaus* quicquam. Sunt postea disjuncti per diversos carceres, ac *Nicolaus* conjectus in vincula statim confessus est ipsum generum fuisse *Davidis Georgii*. Rumor ferebatur *Davidis* hæredes vitulum loco *Davidis* sepeliviſſe, nonnulli asserebant truncum. Hæc dum spargebantur sæpe tui memor fui, quod nos una pompæ funebri interfuissemus, cum oratione plurium laudaretur, quasi fuisset vir sanctissimus, qui bona plurima, & patriam propter *Christum* reliquerit. His rumoribus Senatus motus, jussit cadaver clam effodi, quo certo sciretur num adesset cadaver: est inventum & iterum sepultum. Varia fuit Magistratus sententia, quid ipsis captivis agendum foret. Tandem XI. die Maii sunt omnes dimissi, ea lege, ut sumptus ferrent, quos Magistratus ipsorum nomine fecit. Hospites peregrinos nullos ac ciperent in domus suas, bona immobilia amplius nulla emerent. Die XIII. ejusdem Maii, judicium habitum est de *Davide*. In quo judi-

cio, ubi judices ex Curia in aream descenderunt, primarius lictor solemnibus verbis cum primario Advocato egit, ut causam nomine Magistratus contra *Davidem* Prætori ac judicibus proponeret. Advocatus causam suscepit ac interrogavit judicem. Num vellet judicium habere, respondit, Sic. Actor sive Causidicus rogavit, ut suos Assessores aliquo signo obligaret sibi & obstringeret. Quod ubi factum est, Actor proponit omnia ordine, quæ accusator nomine Magistratus narraverat; videlicet, *Quod xv. abhinc anno venerit Basileam, & Senatui supplicaverit, ut se profugum propter veram Religionem reciperet propter* Christum *& Euangelium in numerum civium, quo possit liberè hic habitare: receptus cum familia visus est sanctissimè vivere: habitaverit quoque in arce* Binningen, *quæ ab urbe quinque circiter stadiis abest, & in colle civitatis, qui vocatur* Hornberg, *honestissimè sepultus in templo S. Leonharti, ubi tantum pii solent sepeliri; nam externa ejus vita Magistratui & civibus vehementer placuit. Postquam autem Magistratus intellexit ipsum sub prætextu veræ Religionis in Inferiori Germania contra verum Euangelium excogitavisse sectam, ac scribendo docendoque viva oratione ultro citroque sparsisse eam, diligenter de singulis, ut decet Magistratum, inquisivit, ac invenit ipsum fuisse impostorem, hypocritam & archihæreticum, qui se profitebatur bonum Christianum &* Ioannem de Bruck, *cum revera esset* David Georgius, *Delphis Hollandiæ oriundus, author novæ sectæ, cujus adhuc in inferiori germania multi sectatores sunt, vocaturque secta, ab author*

thore, Davidica. Hanc sectam impressis libris in lucem edidit, quorum multi hîc in presentia vestra sunt. Inventi enim sunt post obitum apud heredes, qui fatentur ipsum Davidem *fuisse. Quò nunc, Domine judex, cognoscas hæresim horrendam, brevem aliquam summam ex libris ejus jubeas recitare.* Audite. Plures hîc articulos seu opiniones, quam fuerunt lectæ in judicio, judices enim ex paucis & manifestissimis judicabant, quæ & hîc adjeci, latius explico, quo melius intelligas dogmata ejus, cum quo vivus loquutus es & comedisti.

I.

Unus est quidem *Deus* vivaque substantia divina & tres personæ, Pater, Filius & Spiritus Sanctus, quarum personarum Pater prima ætate fuit in patribus nostris, vitâ rudi, puerili, externâ & imperfectâ, quo tempore fide vivebatur. Hanc patris personam Adamus primus, Abrahamus primus, Israël primus, David primus, qui erat rex & miles, Salomon primus & Davidis templum, Silo cum multis aliis imperfectis referebant.

II.

Postea divina natura tanquam Filius descendit in *Christi Iesu* corpus, quo tempore incœpit adolescentia, vita priori quidem perfectior, non tamen plena & perfecta: partim erat interna & spiritualis, partim externa & literalis: quæ vita versabatur in spe, ut prior in fide. Hanc personam in Veteri Testamento referebant Salomonis templum, Samson, Isaac cum

arietem. Hic fuit Adamus secundus, Abrahamus secundus, Israël secundus, David secundus, Salomon secundus, cum multis aliis, qui partim erant spirituales, partim corporales.

III.

Nunc vero *Deus* majori majestate sive divinitate descendit in *Davidem Georgium*, qui factus est *David Christus*, per quem nunc fit vita perfecta, ætas adulta, gratiæ perfectio, quæ vita consistit in charitate: Pueritia enim & adolescentia, hîc ut in omnibus aliis, necessario præcedunt perfectam ætatem, quemadmodum fides & spes ipsam charitatem. Hanc personam in veteri Testamento referebant Rex Salim, Summus Sacerdos, templum spirituale ipsius Zerubbabel, quod nunquam destruitur. Davidis vero & Salomonis templa sunt destructa. Hic est verè spiritualis & tertius Adamus, tertius Abrahamus, tertius Israël, tertius Iehosua, tertius Iudas, tertius David, tertius Salomon, verus Agnus & Leo simul.

IV.

Christus Iesus fuit externa imago, typus & figura futuri *Christi Davidis*, stravitque viam veniendi ad *Christum Davidem*.

V.

Quemadmodum *Christus Iesus* est natus ex *Maria* virgine (in quodam tamen Dialogo manu ipsius scripto conatur probare ex Paulo ipsam fuisse mulierem, non virginem) Davidis primi semine, caro ex carne, quantum attinet ad humanam naturam, ita *Christus David* natus est spi-

ſpiritualis & divinus in anima ſyncera & pura ſine patre & matre ex Spiritu Sancto per fidem ad juſtitiam, qualis anima nec mas eſt nec fœmina.

VI.

Eſt enim natus ex Patre, non carne ſed Spiritu Sancto, & ſpiritu *Chriſti*, qui ſpiritus *Chriſti*, poſtquam caro ipſius periit, à Patre cœleſti in aliquo loco, omnibus ſanctis ignoto, conſervatus eſt in hunc uſque diem, quo *Davidi Georgio* ut electus traditus eſt.

VII.

Et ut *Chriſtus Ieſus* ex ſemine Abrahami & Davidis, hoc eſt Sacerdotis & Regis natus eſt carnalis: ita *Chriſtus David* in Spiritu, juſtitiâ & fide naſcitur verè ſpiritualis ſacerdos & Rex.

VIII.

Chriſtus Nazarenus, quia partim erat corporalis, coactus eſt cum Apoſtolis ſuam doctrinam miraculis confirmare, & Iohannem habere præcurſorem: *Chriſtus* autem *David* verè ſpiritualis docet omnia ſua in Spiritu abſque miraculis; cujus diſcipuli, quia ſunt ſpirituales, ſpiritualiter etiam docentur, omiſſis externis ſignis & craſſis exemplis.

IX.

Baptiſma, Cæna Domini, Impoſitio manuum & aliæ Cærimoniæ fuerunt externa tantum ſigna futurorum.

X.

Chriſtus Ieſus miſſus erat à *Deo*, ut ipſe & ipſius miniſtri ſacramentis aliiſque ſignis externis

homines retinerent in officio, pacatèque viverent, donec omnium plenitudo & perfectio *Christus David* veniret, veram & perfectam doctrinam in lucem proferret, quæ doctrina potens efficit, ut homines non amplius sint pueri & adolescentes, imprudentes, judicio carentes, sed ut sint viri perfecti in cognitione *Dei* & ejus Filii *Iesu Davidis*.

XI.

Christus Iesus, Apostoli & Prophetæ jecerunt quidem bonum fundamentum, doctrinamque veram docuerunt, sed non potuit ea diu consistere propter Babyloniæ spiritualem Antichristum, quem nunc *Christus David* spiritu oris sui interficit, ipsi autem non potuerunt.

XII.

Ita *Christus Iesus* & Apostolorum doctrina omnino est eversa & sublata, quo melior & perfectior *Christi Davidis* succedat, quia imperfecta perfectis naturæ ordine præcedere debent.

XIII.

Si *Christi Iesu* doctrina & institutio Ecclesiæ fuisset vera, nunquam periissent. Portæ enim Inferorum, ut *Iesus* ipse testatur, nihil contra veram doctrinam & Ecclesiam possunt. Nunc vero cernimus papatum reliquasque sectas multum ex ea sustulisse.

XIV.

David Christus est Spiritu Sancto excitatus, unctus & missus, ut omnibus hominibus voluntatem & consilium *Dei* patefaciat, nunciando totam terram in tenebris versari: omnes homi-

mines carere *Dei* ſenſu & occulto judicio, omnes eſſe in litera edoctos non Spiritu; quia omnes carent promiſſo ſpiritu ſancto.

XV.

Omnis doctrina, inſtitutio & ſermo ipſorum, qni non ſunt jam Spiritu Davidis renati (quamvis ſumma diligentia explicent ad literam omnia & prædicent maximo applauſu) ſunt infirma & imperfecta, quæ veritatem non docent. Quæ homines *Chriſto* & *Deo* non adducunt, nec verè ædificant in Eccleſia, unde diſputationes, conſilia & comitia de Religione fruſtra fiunt, quòd Spiritum perfectum non habeant.

XVI.

Peccare in *Spiritum Sanctum*, nihil aliud eſt, quam in *Chriſtum Davidem* peccare, quod peccatum nunquam remittitur. Illud vero quod fit in Patrem & Filium, ut *Ieſus* ipſe inquit, remittitur.

XVII.

Chriſtus Ieſus in carne & Apoſtoli non potuerunt hominibus Spiritum Sanctum afflare aut dare propter carnem. Hic autem *Chriſtus David* ſpiritualis exiſtens omnibus, qui carnalia negarunt, ſuaque corda orationibus præpararunt, dare poteſt.

XVIII.

A *Chriſti* & Apoſtolorum (qui pueris & adoleſcentibus lac molleque alimentum dederunt) temporibus ad hoc uſque tempus, quo ſolidus cibus datur, charitas Spiritus Sancti crevit, quæ nunc perfectè exiſtit in

in *Christo Davide*, &. ejus discipulis.

XIX.

Quicunque tempore Apostolorum sanctissime vixerunt, nunc si eadem sanctitate viverent cum Davidicis, non tamen pie viverent, quod longe jam major & sanctior sit Spiritus, quam eo tempore.

XX.

Apostoli perfecte Spiritum Sanctum non acceperunt, quia carnales non erant ejus capaces, unde legem in litera sunt secuti, attamen alius alio majorem accipit.

XXI.

Christus Iesus natus est, ut nostrum peccatum susciperet, ut cum eo peccato ipsius corpus in terra periret tanquam Samson in domo cum Philistinorum principibus, & aries oblatus loco Isaaci & templum Salomonis funditus eversum, nec resurrexit corpus quod divinitas reliquit, quæ tanquam Isaac non est oblata.

XXII.

Christi Iesu afflictio & mors nil nobis prosunt, nisi credamus in *Christum Davidem* verum Messiam.

XXIII.

Christus Iesus nunc tertio die resurget, quia ipsius divinitas nunc multo est efficacior in *Christo Davide*, quam olim in *Christo Iesu* corporeo, & jam resurgent animæ mortuæ in spiritu. David est quoque totus internus spiritualis & cælestis. *Christus* autem *Iesus* corporalis, externus & terrenus, qui nunc fit spiritualis. Verba

ba Euangeliſtarum ſunt ſpiritualiter intelligenda de reſurrectione, non ad literam, ut faciunt legales.

XXIV.

Iam eſt dies magnus & celebris ſalutis, in quo fit vera & perfecta reſurrectio, quæ eſt ſpiritualis & interna, non externa vel corporalis. *Chriſto Ieſu* mortuo ſurrexerunt multi ex monumentis, qui omnes corporibus ſurrexerunt: nunc vero in *Chriſto Davide* & per eundem plurimi reſurgunt animi ſpiritualiter, quæ reſurrectio longe priori eſt perfectior. Siquidem melior eſt hujuſmodi unius animæ reſurrectio, quam mille corporum.

XXV.

Nemo hactenus de tali reſurrectione ſcribere potuit, quia nemo hactenus reſurrexit. *Chriſtus* autem *David* reſurrexit, Ergo poteſt de eâ veriſſima ſcribere.

XXVI.

Quicunque nunc reſurgunt, ipſi non reſurgunt in ſecunda regeneratione; quoniam in priori, quæ eſt perfectior & ſanctior, reſurrexerunt. Reliqui autem homines pervenient ad ſecundam.

XXVII.

Quotquot autem reſurgunt cum *Chriſto Davide* fiunt unum corpus cum *Deo*, os de oſſibus *Dei*, & caro de carne *Dei*, ſunt angeli perfecti, ipſique amplius non peccant, nec morientur.

XXVIII.

Nullus natus ex muliere, ut *Ieſus* ait, major ſur-

surrexit Ioanne Baptista, attamen minimus in regno cœlorum, hoc est, qui jam renatus resurrexit, major est Ioanne Baptista.

XXIX.

Qui renati in Spiritu resurrexerunt, ipsi peccatum non habent, nec pudore afficiuntur, omnia habent communia quia unum sunt corpus cum *Deo*.

XXX.

Ergo nullus renatus in matrimonio obligatur, uxores & liberi sunt communes, civilis Magistratus nullus ipsis præesse debet.

XXXI.

Christus David habet in Spiritu potestatem omnium, quæ in cœlis & in terris sunt, ut, hominibus salutem tribuendi, eosque damnandi, absolvendi & ligandi, occidendi & sanandi, &c.

XXXII.

Christus David cum suis totum mundum judicabit, Reges gentium ferreis catenis ligabit, & Principes vinculis constringet.

XXXIII.

Quæcunque magna tradita sunt de nostro Redemptore, ea omnia intellingenda sunt de *Christo Davide*, Thesauro *Dei* præstantissimo.

XXXIV.

Ipse *Christus David* sparsas, perditas, & vulneratas oves sanat ac colligit, ipse est vere Filius *Dei*, in quo Pater cœlestis sibi complacuit, est lux mundi, sed mundus ipsum non agnoscit, est fons veræ vitæ, effecit eos qui ipsi credunt, ipsiusque doctrinam. Sequuntur

untur veros filios Levi, tabernaculo Spirituali Davidem sequentes. Hæc præstat benevolentia & gratia *Christi*, quæ est ipsi à patre infusa; non ut prior *Christus* afflictione, cruce & morte.

XXXV.

Non sunt diaboli præter malos homines & affectus; nec angeli præter bonos homines renatos in Spiritu.

XXXVI.

Christus David nunc est in medio hominum; regnum ejus Angeli nunc colligunt, tubis septem ante ipsum nunc canunt. Ipse est leo ex tribu Iuda, septem aperiens sigilla.

XXXVII.

Quisquis *Christo* Nazareno fidem habet, is etiam *Christo Davidi*, ut majori & præstantiori fidem habere debet. Qui autem *Christo Davidi* credit, non necessario *Christo Iesu* credit.

XXXVIII.

Qui in *Christo Davide* renati sunt, omnia edocti, nullis indigent libris.

XXXIX.

Christi Davidis & *Christi Iesu* doctrina & regnum distant ut cœlum & terra, quia *Iesu* doctrina & regnum externa, quæ ad tempus durarunt: Davidis vero interna & cæleſtia, quæ in æternum permanebunt.

XL.

Christus David majora scripsit, quam ullus homo, & scripsit ea quæ vidit & gustavit, experientiaque cognovit, nec suam doctrinam

ab

ab ullo homine didicit, ea quoque quæ omissa sunt, & ad nostram salutem spectant, complevit.

XLI.

Christus David quamvis appareat vilis & rudis homo, multique ipsum contemnant & rideant, tamen est mansuetus & vere Regum Rex, manebitque maximo honore &, potentia, Rex Regum in æternum.

XLII.

Christus David venit ex Inferiori Germania; ut valles montibus adæquaret peregrinâ & neglectâ linguâ. Nec quis debet plures linguas discere, quam unicam suam vernaculam.

XLIII.

Christus David humano corpore (sine peccato tamen) inter homines versari debet, quo homines ipsum videant, audiant & tangant; ipseque possit melius docere rudes homines certissimam veritatem, ne homines habeant justam excusationem, si non recipiant verissimam ejus doctrinam, quorum multi aliquando dicent, quis credidisset ipsum fuisse *Davidem Christum* nostrum.

XLIV.

Quicunque voluerit ipsum cognoscere, ejusque doctrinam ut certam recipere, ac ad regenerationis veram resurrectionem pervenire, debet temperatissime vivere, plurimum orare, puer fieri, sensus exteriores & interiores abnegare, seque agnoscere puerum sine judicio & intellectu, quo mundanis omnibus depositis adolescat

novus

novus in spiritu, qui judicat Davidis doctrinam omnium esse verissimam, fiat homo novus & purissimum vas, ad novum & purissimum vinum recipiendum.

XLV.

Quod *David Georgius* (cujus ossa Basileæ XIII. die May sunt combusta) fuerit *Christus David*, ipse conatur in suis libris multis locis & argumentis probare.

Hæc ubi brevissimè lecta fuere, Actor inquit; *Domine Iudex, reliquique Domini clementes, audivistis impia & fallacia dogmata, quæ David Georgius sub prætextu veræ Religionis per Inferiorem Germaniam sparsit, & interea dum hic Basileæ fuit scribendo ad diversos homines confirmavit: unde multa & varia munera accepit, multi etiam in inferiori Germania & mater ipsius, quemadmodum Magistratus noster accepit, gladio puniti, mortique traditi sunt, & uno die xxxiii. personæ occisæ sunt, quos omnes David Georgius turpiter decepit, misere perdidit, vita et bonis omnibus spoliavit. Cum igitur David Georgius, qui falso se Ioannem de Bruk appellavit, talem doctrinam invenit, libris mandavit et docuit, qua in* Christum *nostrum verum Redemptorem, non aliqua ex parte, ut hæretici nonnulli fecerunt: alii enim in divinitate, alii in humanitate* Christi, *alii aliis quibusdam in rebus peccarunt, quæ hæresis levior possit æstimari, blasphemus est, et in utramque* Christi *naturam,* Christum *totum et ipsius divinum officium, quod ipsi soli à patre traditum est, ipsius etiam* Christi *et Apostolorum doctrinam invadit, re-*

pre-

tiam dicit. Iudex ubi cum ſuis ſententiam hanc concluſiſſet, Actor, more conſueto, iuquit, *Nemo civium latæ ſententiæ contradicat.* Et quærit Accuſator, Quid ulterius jure agendum ſit. Quærit rurſus Iudex ex Actore ſententiam. Actor inquit, *Quia Iudicatum eſt, quid cum Archihæretici Davidis Georgii libris, doctrina, imagine & cadavere ſit agendum, ego cenſeo, peſſimi hujus hæretici omnia bona, quæ habuit in toto Romano Imperio & extra illud in manu Iudicis debere tradi. Deinde ubi peſſimi hæretici cadaver, libri, & imago combuſta fuerint, eo modo quo civitatis judicio ſtatutum eſt, judico, Accuſatorem liberum.* Sententia modo lata ubi à judice fuit manifeſta voce concluſa, Actor inquit, *judicium ritè abſolutum.* Iudex denuo rogat Actorem, ut ſententiam dicat: quæ ſententia repetita, & *David* eodem modo condemnatus. Hanc ſententiam ubi ſuis judicibus Iudex confirmavit, concludit his verbis judicium. *Poſtquam omnes & ſingulæ priores ſententiæ ſunt pronunciatæ nomine contradicentis concludo omnes & ſingulas ſententias eſſe pronunciatas & latas recto ordine, tempore, jure et conſvetudine præfatæ Civitatis Baſileenſis, primo, ſecundo, tertio, ut jus exigit.* His tranſactis Iudices ſurrexerunt, carnifex accipit capſam poſitam in medio areæ plenam fere libris. Hæc capſa erat longa circiter novem pedes, lata circiter quinque, alta ſeſquipedem, in cujus medio erat palus erectus novem aut decem cubitus longus, cui erat effigies *Davidis* affixa, & titulus Latinè & Germanicè talis, *Davidis Georgii, Hollandiâ Delphis,*

vera imago. Cadaver quoque effossum est, quod carnifex capsæ apposuit suo in carrho & simul ad rogum vexit, cui ubi imposuisset capulum & capsam, fregit capulum ligneum, cadaver ostendit. Erat cadaver tectum longâ veste, quam Damascenam vocant, capiti impositum pileum erat ex pilo villoso, suffultum rubeo panno, barba erat adhuc integra: ex his homines facilè potuerunt judicare, ipsius esse cadaver: quod ita combustum est in præsentia maximæ multitudinis. Omnes enim admirabantur tantum virum tantum fuisse Hæreticum, ac tantâ ignominiâ debere affici. Postea die VI. Iunii omnes præterea ex familia *Davidis* vocati sunt in templum, ut post concionem suam confiterentur Religionem. Venerunt in concionem, quâ finitâ Concionator rogabat omnes suos auditores, ut his vocatis Dominus *Deus* adesset suo Spiritu Sancto. Descendit postea Concionator ex suggestu ad altare, quod ante chorum est collocatum, eoque vocavit Davidicos. Stabat à sinistris Concionatoris quispiam ex senatu; viri ex familia *Davidis*, ni fallor XVI. stabant ante altare, mulieres post viros stabant & sedebant pro arbitrio cum ipsis. Concionator indicabat cur essent vocati, recitabat paucis Confessionem Basileensem, rogabat singulos, num & ipsi idem crederent, responderunt, se idem profiteri: prælegit ipsis articulos, sive opiniones, num arbitrantur eas esse veras, negabant esse veras. Iussit deinde ipsis damnare ut fallaces & diabolicas, quod etiam fecerunt. Christia-

ſtianam Religionem veram ipſis opinionibus oppoſuit ac de ſingulis articulis interrogavit ſingulos, quid ſtatuant : confeſſi ſunt, ſe idem ſentire, quod Chriſtiana Eccleſiaque Baſileenſis. Tandem flexis genibus orarunt veniam, rogavitque Concionator totam Eccleſiam, ut ipſos recipiant in gratiam tanquam viros probos. Diſplicuit in hoc negotio quod duo aut tres ex ipſis accinctis gladiis acceſſerint. Et *Ioachimus* dixit, ſe nunquam aliter credidiſſe, quam *Chriſtum Ieſum* crucifixum noſtrum eſſe verum & vivificum Redemptorem. Nunc obdurant abſque omni honore, contempti ab omnibus fere. Baſileæ Anno CIↃ IↃ LIX. die XXVIII. Iulii.

EPISTOLA LXVIII.

REGNERUS PRÆDINIUS GERARDO CAMPIO.

S. P.

ROTGERUS, pædagogus liberorum Doct. *Hieronimi*, ad me retulit de codicibus D. *Gerardi Mortang*, miſſis huc, quò venderentur boni viri æſtimatione ac meâ, quod ut fieret modo æquo, utilique aliquo *D. Mortang*, juſſi univerſos ad me deferri, quo ſingulos cognoſcerem atque conſiderarem. Quid multi? intellexi ſpem, & vendendi univerſorum, & juſti pretii conſequendi, in ſolo Galeno potiſſimum contineri; proindè hunc cum pleriſque aliis per

Michaëlem Iuliacensem misi ad *Regnerum Alberdam*, quoniam hic jam tum se velle dixerat, cum tu Groningæ esses. Non rejiciebat quidem ille tum emptionem, neque tamen nunc æquè visus est avere, imo nihil fortassis, si magno videremini Galenum vendituri. Nam præter hujus opera Aldina, atque Institutiones juris Græcas, nihil volebat eorum quæ miseram. Nec ipse, quanti placerent sibi, voluit dicere, quoniam certam pecuniam ego non postulabam. Quod ut neque in hoc, ita neque in cæteris, ipse quidem potero, nisi *D. Mortang*, quodammodo qualemcunque pretii æstimationem constituerit, aut universorum simul aut singulorum (quod utilissimum foret) aut saltem operum Aldinorum Galeni. Hactenus ea quæ *D. Mortang* necesse est cognoscere. Quæ sequuntur, tibi privatim scribam. Inter hos libros sunt, qui ERASMI fuerunt, quos ideo ad *Alberdam* non misi, quoniam sensi ex operibus his Galeni, quæ itidem ERASMI fuerant, hac illum causa non moveri, me vero adeo movet, ut hos omnes emere cupiam, si quidem non ideo nimis pluris mihi æstimabuntur, tametsi nullus eorum sit, cujus non melius exemplar habeam. Nam Proclus interpres Græcus, Platoni deëst, nostro adjunctus, magnitudine ea, ut alteram partem Platonis non parum excedat. Annotavit Adagia quædam in istius margine ERASMUS, quædam præterea D. à LASCO, utrumque, ut scis, optabile mihi, sed accessit tertii, nescio cujus, manus librum in Timæo,

&

& alibi puto, fœdè quasi contaminantis, cum alioqui ipse usus librum satis affecerit. Est pars *Annotationum Budæi in Pandectas*, verum ita mendosa, ut stuferis quatuor emere nollem; nisi Erasmi fuisset. Est Hesychius, liber attritus admodum, qui tamen fortè emptorem hic inveniet, si vilissimo addicetur, nam novi, typis non minus pulchris, & magis etiam emendatis parvo emuntur, vix tamen unum exemplar toto triennio, uti *Franciscus* ait. Est eadem magnitudine propemodum tanquam quædam farrago, ex Hellenicis Xenophontis, ex Herodiano, Georgio, & interprete Thucydidis. Deinde libri Galeni, folium de methodo curandi, & ad Glauconem, sejuncti à toto illo opere Aldino (neque eo pertinentes, nam illa sunt opera, omnino plena, nisi quod uno aliquo tomo, desint quatuor primæ paginæ, in quibus Index, Inscriptio, Epistola, Edictum & ejusmodi, sic ut suum decus illi parti perierit, non tamen de ipso libro Galeni, quidquam desideretur.) editi anno CIↃ. IↃ perquam corruptè. Et hi duo fuerunt ERASMI. Hos omnes, te æstimante coram, libenter emam si modo æquum statues, me bonitatem cujusque libri redimere, non nomen ERASMI pretio perquam injusto. Idem faciam in Galeno, nisi potero reperire qui pluris emet, quam mihi placebit, quod in his, quos præterea dixi, non puto eventurum, in Galeno ab *Alberda* opinor aliquid futurum, quare hujus pretium scribendum prima quaque hora. De reliquis, sperat *Michaël*

se Calepinum plus minus Emedensi venditurum, ita de Lexico Græco, Triglotton justâ pecuniâ, novum Testamentum vix stuferis octo. Libros Pandectarum, quia sine Glossis sunt, quia neque Authentica, neque Institutiones habent, quia hoc modo sunt compacti, nemo vel adspiciet ⌣. Idem de Basilio dixerim, quia post editus Basileæ, & pulchrior multò, & qui plura habet opera hujus auctoris. Illæ vero orationes quædam Nazianzeni vix snaphano venibunt. Præter hos non accepi alios. Eorum quæ ob præproperam festinationem confusius scripsi, hæc est summa, judicet *D. Mortang* cujusque libri pretium, aut universorum, aut saltem operum Galeni Aldinorum ⌣. Quod postremum, si duntaxat faciet, erit necesse simul addere, primum num ei placeat, qui libri præter illa opera Galeni, ERASMI quoque nomen habent, apud me conditione istiusmodi manere (malo namque omnes emere & opera Galeni quoque, exceptis libris Pandectarum, quam illos non consequi, quos præterea ERASMUS habuit, nisi quidem omnino pluris libros hos *D. Mortang* fecerit, quam revera sint: nihil tamen mihi crede utilius ad id, ut bene veneantur, quam ut distrahantur ita, quo quanti unumquemque faciat, nos resciscamus, sic enim futurum arbitror, quod *Alberda* illa Galeni emat, atque de reliquis fiat, ut dixi) ut si tibi convenerit mecum de æstimato cujuscunque pretio, mihi relinquantur, sin minus, meo sumptu illi remittantur. Deinde ut cæteri

ri distrahantur eâ circiter pecuniâ, quam sperat indè *Michaël* confici posse, quamque supra dixi. Commentarios in Hermogenem necdum solvi, tuam æstimationem non tam audiero cito, quam pecuniam dabo. Huc usque de libris, quæ *D. Mortang* atque mea causa legisti, ad te alioqui nihil sane pertinentia. Cum *Theodorico Holehusio* egi multis & studiosè de eo, quod tua epistola postulabat. Inveni hominem magis intricatum implicitumque rationibus lectis auditisque, & opinionibus persuasis, quam natura vel studio pervicacem aut obstinatum. Mallem hunc propius habitare, si tanta esset alibi in veritate consensio, quanta, ubi ille agit, in auctoritate, forsan humana quasi conspiratio, attamen probandi magis, qui amplius etiam honoris & fidei Manibus suorum præstant, quam qui utrumque turpiter vivis detrahere parant. Heri ad quintam vespertinam retulit mihi tuus frater *Bernardus*, te languidiùs habere. Dixit ἐνδήμων hunc morbum esse, quo & tu & D. à Lasco laboraretis; quod si ita est, desinet mox haud dubiè malum, cum ea temperantia utamini & frugalitate. Sin vero animi ægritudo morbo aut causam præstitit aut accessit, non ante sanitas erit speranda, quam fuerit animo tranquillitas restituta. Cognovi partim ex *D. Christophoro*, partim ex *Henrico Herberto* quid apud vos prorupit, mihi quidem neque novum, neque inexspectatum, cujus ut vos fallant exitus forsitan (forsitan dico, nam dubito num à me provideantur) causæ tamen quæ impulerunt,

minimè latent. Dico etiam nunc, me eos existimare homines longè meliores, qui mortuis summis viris plus aliquantulo tribuunt forte auctoritatis, atque debent, quam eos, qui tamquam per contumelias iis insultant, ad quos dignè venerandos nunquam pares fuerunt. Da operam ut valeatis, & ne, quos vestros animos impellere haudquaquam potuere tanti, tamque varii ac multi ictus fortunæ, hos perterreat aut conturbet vanus atque imbecillus allatratus. Turpe sane foret, vos fallacibus umbris terroris infirmi exanimari, cum toties ferrum justi hostis potentisque, impavidi atque invicti sustinueritis. Sed spero ex justa indignatione, paulò amplius putatum esse, mihique dictum, quam re ipsa sit. Et quis non stomacharetur, quem non misereſceret, cum istud audiret, quod plane factum esse constat? Tu valebis. De libris cura ut reſcribatur quam primum. Pridiè Divi Bartholomæi. Novi quod sciam hîc nihil. Cogitare te velim, aliud esse tranquillitatem animi, aliud otium in rebus. Illam viro sapienti, cum nolit, nemo poterit eripere, ut autem rerum sit otium perpetuum, duobus videtur opus esse, quorum neutrum in manus sapientis versetur, altero, ut cum boni negotia faceſſant nemini, ipsis contra à nemine faceſſatur; aut si istud non contingat, tale tamen sit, quod exhibeatur, ut istud contemni aut negligi possit. Ingruerint igitur hæc duo secus quam oportuit, quoniam in bonorum potestate non sunt, haud tamen ultra quam volueritis, vos afficere aut

lædere

lædere poterunt ⌣. Proinde si ulla fuerit vestra ægritudo, est ejus quidem culpa, qui hanc commovit, causa tamen haud alicundè, quam ex vobis ipsis intelligetur proficisci. Iterum vale ⌣. Illud perfice quæso, ut si *D. Mortang* volet suos libros bene hîc vendere, operum Galeni pretium scribat ⌣. Equidem ne hæc quidem magni facerem, nisi ERASMI causa moverer, malo tamen longè, *Alberdam* emere, quam meipsum. Nam quanti facio, tanti emere volo, nisi compulsus reliquorum gratia, qui itidem fuerunt ERASMI. Quorum singuli sunt ejusmodi, ut inter nos, sicuti puto, de pretio conventurum sit perfacile: nam quanti quisque videtur esse, tanti emere velim, quod tamen vix præterea hîc faciet quisquam. Rescribe paulo uberius de causa vestra, si per valetudinem potes, neque modo quid factum sit, sed etiam quid futurum putas.

EPISTOLA LXIX.

DOCTOR

HIERONYMUS FREDERICUS, GERARDO CAMPIO.

S. P.

SCripsi tibi ut volebas duabus superioribus epistolis statum rerum nostrarum, à te petens, in meo tum ipsius virginis nomine, admonitus etiam eadem de re ab affine *Reg.* (quan-

doquidem res videbatur intercessore egere, ut ipsa asserebat virgo, etsi nihil aperuit earum rerum, quæ difficultatem adferebant) ut vel tu vel tua uxor hanc operam præstare nobis velletis, atque huc primo quoque tempore post Pascha venire ⌣. Et rescribis secundò etiam, si existimemus, aliquid vos commodare posse huic rei, uxorem alioqui valetudinariam venturam, referentibus interim aliis, illam bellè valere ⌣. Undè suspicatus sum, molestiam vos aliquam hac in re metuere ⌣. Itaque amplius scribere destiti: Sed urgeor aliundè, ut etiam hæc scribam. Ego prorsus distuli cum patre colloquium ipsius voluntate, ut promiseram, expectante illa vel tuum vel uxoris tuæ adventum, ut promiseras discedens. Interea quam maximè operam dedi, ut Virginis tranquillus esset animus, seu absentia seu præsentia mea desideraretur, recompensans, quantum in me est, par studium amoris, perseverans interim tamen in ea sententia, quam præsenti tibi exposui, honestè amantem honestè redamo, eatenus quatenus cum pace ipsius Virginis patrisque possit transigi. Animadverto *Henricam* & per se & per alios omni studio contendere ut perturbet nuptias, quamquam diversum simulet ⌣. Scis quid præsenti tibi exposuerim, si tranquilla erit virgo, quod ad me attinet, salva res est, benignitate DEI. Profecto si absit Religionis studium, sermonis cultusque modestia, quibus mihi amorem suum quam maximè commendatum reddidit, & vicit reluctantem animum, reliquis certè solis cor-

corporis, animi & fortunæ dotibus, non me potuisset allicere, plerisque etiam paternorum morum ingeniique notis me deterrentibus; ut omittam educationem, quæ mihi semper in ea familia displicuit, nisi spe Religionis moderationem tractabilitatemque videretur admissura. Et alibi fortasse eadem pateant præstantiora, si perinde magnum adesset Religionis studium, & propensa voluntas periclitandi Euangelii gratia, qualem hæc virgo præ se fert & profitetur, adjuvante Domino: quo nomine illam ex animo semper amabo, etiamsi illi maritus alius, mihique alia sit à Domino destinata conjux. Quandoquidem ergo mussitari quædam & involvi video, peto à te pro nostra amicitia, ut vel tua uxor, vel tu, nisi in te impediat profectio, intercessione vestra rem hanc, ut Domino visum est, finiatis. Novarum rerum hîc nihil est, nisi quod Wormatiâ scripsit *Cornitius*, Westenbergii gener, quarum Exemplar ad te mitto. Valere vos opto in Domino, obsecrans te, ut certi aliquid responsi quamprimum remittas. XXIII. Aprilis.

EPISTOLA LXX.

REGNERUS PRÆDINIUS IACOBO MYLIO.

S. P.

GAudebam cum tuæ literæ mihi redderentur. Sed ubi inter legendum vidissem te præter epistо-

epistolæ modum philosophantem, idque etiam verbis omnino græcis, cœpi in tuo studio rationem scribendi desiderare, atque ipsam simul quoque prudentiam. Ut vero illa vidi, quibus significas circa finem, tuas commendationes, gravius sum commotus, quam fortasse debebam, sed te quæso, utrum est, illane tu in me observasti, unde posses merito existimasse, talia mihi tamquam homini ambitioso, grata fare? An ex eo, quoniam te nunc istiusmodi juvent, perinde de meo animo sensisti tibi statuendum esse? Ego mihi universi istius generis neglectum, contemtumque, semper putavi esse optandum atque sequendem. Profecto aut oblitus ea es, aut prorsus contemnis, quæ in ipso decessu tanta cohortatione ac diligentia tibi commendabam. Injuriam quidem non feciſti, quoniam te studium benevolentiæ fefellit, multo tamen amplius me læsisti, quam opinaris. Age igitur, ut ne quid simile posthac atque quod imprudentius feciſti, illud per opportunitatem retexas, & in integrum restituas, quantum ejus fieri possit. Patruus tuus excusat manuum tremorem, quod non rescribat. Est ille quidem etiam nunc ædium & pater & procurator, sed tamen ita videtur jam consenuisse, ut ejus fatum, & istud fortasse repentinum, sit in quemque diem metuendum. Quare si tua putabis interesse, convenire vivum, atque utrumque istud quasi munus administrantem, erit forsitan necesse, quo tuum huc adventum non differas nimium diu, si quidem Domini concessu queat

at contingere: quem, da operam, ut omni diligentia, cura, sollicitudine, fide, observantia, & animo & re colas, simul ejus memor, quod tibi sub ipsum decessum dixi, quodque Aristoteles suo Calistheni præcepit, *Cum Rege aut jucundè, aut paucis.* Vale.

EPISTOLA LXXI.

Reverendo Religiosoque Patri

F. GHERARDO,

Priori Carthusiæ Colonienſis, Suo in CHRISTO plurimum observando.

Coloniam.

REverende in Domino, religioseque pater, plurimùm salve. Mitto tibi cum latore præsentium libellum *de ratione sarciendæ conservandæque in Religione concordiæ*, de quo tibi nuperrimè scripseram. Hunc dupliciter impressum cupio. Nam adjungi illum desidero *operi Controversiarum* à nobis explicatarum (non enim indignus mihi videtur qui supersit) & præterea seorsim, in quarto, aut octavo imprimi, ut facile dispergatur in orbem, & rapiatur, legaturque ab omnibus, etiam iis quibus Controversias illas legendi, vel non supereſt otium, vel ad Religionem affectus non adest. Si fortè impressor putaverit ex suo commodo non fore, ut hunc dupliciter imprimat, mea unius impensa, unius periculo, lucro, damno, ut

ut imprimat seorsim, in quarto, contentus sum: tantum, ut impressum secum deferat ad nundinas, & agat fideliter, & mihi respondeat. Ego illi, si ita velit universam impensam repensurus sum mox à feriis paschalibus, quando decrevi venire ad vos, ut scripsi literis proximis.

De alio opere imprimendo, quod petis, mihi videtur æquare, hoc opus quod nunc excuditur integrum.

In priori parte jamdudum impressa. Controversiarum, mandaveram erudito cuidam ut diligenter legeret, observaretque errata, quæ impressorum inciderunt omnia. Is illi, nunciaverat quidem incidisse errata plurima, unde & illa mea expostulatio per epistolam. At expendenti mihi universa quæ observaverat, non multa, nec magni momenti inventa sunt. Quæ tamen annotata in incluſa hic schedula adjungi in calce operis cupio, eadem adhibita diligentia etiam in his quæ posterius impressa sunt. Tabella quoque materiarum omnium in locos communes, secundum ordinem alphabeti, redactarum. Puto hunc nuncium istic permansurum, dum absolvatur impressio. Mittes itaque operis Controversiarum exemplaria sex, octo, aut decem, hujus vero libelli seorsim impressi xx. aut x x x. Vale & nos tuis orationibus adjuva. Raptim Trajecti. die IV. Martii. CIↃ IↃ XLII.

Tuus filius in CHRISTO

ALBERTUS PIGHIUS.

EPISTOLA LXXII.

Clarissimo Consultissimoque Domino

D. IOACHIMO AXONIO,

Reg. Majestatis in Curia Frisiæ Consiliario dignissimo, D. & Amico suo.

Leoardiam.

Clarissime Domine;

VEritissimum in persona tua comperio, quod Sapiens ait, *Amico fideli nulla est comparatio.* & Iterum, *Amicus fidelis protextio fortis, qui autem invenit illum, invenit thesaurum.* Gratias ago benignissimo DEO, qui te mihi ignoto homini absque ullis meis in te meritis talem sua bonitate amicum prospexit, qui post sedatam prioris tempestatis molestiam in hac jam recens exortâ pessimâ calumniâ, me tam fideliter juvisti, det tibi Dominus misericordiam & gratiam invenire in illa die, & plenam tibi reddat pro opere tuo mercedem, me saltem, quoad vixero, gratum & memorem beneficii reperies. Iterum ergo oro, rursus supplico, quoniam, qui amicus est, benefaciendo non fatigatur, obsecro ut ab hac calumnia me liberes, nam revera pessimus mihi hostis & inimicus est, à quo profecta dicitur, qui cum olim fiscalis meus fuerit, certisque temporibus fideliter officium suum præstare visus fuerit, postea ad occultas exactiones & extortiones delapsus est, quibus Sacerdotes & alios miserabiliter deglubere postea de-

pre-

prehensus fuit, quod cum in eo corriperem, & certo modo punire cæperam, nescio quo furore correptus hostiliter deinceps se contra me gessit, hic ut quadam vice, dum me in horto ambulantem offenderet, parum abfuerit, quin me interfecerit vel certè graviſſimè læserit, nisi domestici tempestivè accurriſſent, qui & jactitare solet, se sperare, quod adhuc propriis manibus Episcopum suspenderet. Cujus rei tota pænè civitas conscia est. Roga igitur te Dominum meum, ut ab hac calumnia, ab hoste publico & privato profecta, me vindices & priori libertati per Etiam. Sam mihi conceſſæ restitui facias, qui optimè nosti hujusmodi hominum dictis contra Episcopum credendum non esse. D. Iesus Deus Opt. Max. dignetur D. T. in gratia sua custodire incolumem. Datum in Bergum XXVII. Martii. Anno CIↃ IↃLXXIX.

V. D.

Servitor ex animo

Cunerus *Episcopus*

Leovardienſis

EPISTOLA LXXIII.

AUSONIO HOXVIRIO,

FRATRI.

S. P.

EX quo à nobis abisti, optime Frater, jugis me tenuit sollicitudo de neptis nostræ CA-

THA-

THARINÆ nuptiis, atque indè adeo magis, quod Sororius nihil ut inter nos convenerat, renunciat, fortassis consiliis muliebribus nimium obtemperans. Fuit his diebus apud me Yvo FRITZMA, à quo, quod erat conscius hujus negocii, diligenter sum percontatus de moribus primum adolescentis, deinde de conditione fortunarum ipsius, qui mihi illius indolem, probitatem, modestiam, sobrietatem plenis tibiis prædicavit. Quibus virtutibus jam non solùm omnibus cognitissimus esset sed etiam chariſſimus, &, quanquam habeat magistrum domi ad luxum & ebrietatem, illum tamen jam non sine multorum admiratione habere vitæ suæ modum. Addebat præterea non audisse quod pater ejus multis, ob æs alienum, esset obnoxius, & scire quod esset re satis lauta & haberet proventus satis opimos. Deinde etiam quod testamento fratris, qui Parochus fuerat in Haga, hic juvenis legatum satis amplum accepisset. In summa, Yvo plane consulebat non esse postergandas hasce nuptias etsi cætera, inquit, desint vel proci virtus sola egregiam aliquam merebatur sponsam. Quare mi Frater, si videtur, hæc Sororio nostro significabis, rogabisque ne diutius nimium anxiis consiliis expectationem illorum frustretur.

Quod ad aggeres nostros attinet videtur mihi res satis segniter procedere, cujus negligentiâ, nescio: certè nunc tempus erat consultandi. Spero tamen pro veteri diligentia tua in hoc negotio non dormitabis.

Accepi superioribus diebus literas à D. VIGLIO, qui te plurimum salutat, & si quid novi inerat, id scies, cum huc veneris: ejus literis adjunctæ erant aliæ Leviri mei, quas tibi per hunc nuncium mitto. Vale. Leoardiæ CIↃ IↃ XXXIX. IX. Martii. Saluta uxorem tuam, salutat te mea.

Tuus Frater

HECTOR HOXVIRIUS.

EPISTOLA LXXIV.

AUSONIO HOXVIER, FRATRI.

S. P.

ITa ut visum tibi est, Frater chariss. profectionem nostram in eum, quem scribis, diem differemus. Hoc velim, ut, si qua occasione posses, commodè id sororio obnuncies, ne frustra sumptus paret. Ego videro si hinc quoque illum potero facere certiorem. Sed satius est diem Lunæ proximum præstituere, ut interim feriamur venationę. Itaque sit ejus hebdomadæ die Lunæ.

De sarcienda pace inter vestros parum spei video, quando nec D. BOTNIA quicquam rescribit, id quod facturum receperat, si commilitonibus conditio non displiceret.

Accepi certò insignia Ducis Cliviæ in solenni scæna aut pulpito, quod in publico foro Ratisponæ excitatum erat, &, ubi omnium impe-

perii principum erant insignia, suspensa, celebri ritu magnisque cærimoniis esse detracta, & in terram projecta præsente Cæsare, Electoribusque Principibus in eodem imperiali pompa per ordinem considentibus. Sed ejus rei cum variæ causſæ passim adferantur, quia nihil certi habeo, non ausim liquidò aliquid asserere. Sed quod dixi apud me certum est. Vale chariſſ. Frater. CIↃ IↃ XLI. XIIII. Augusſt.

Tuus

HECTOR HOXVIRIUS

Fratèr chariſſimus.

EPISTOLA LXXV.

ÆSGHONI HOXVIER,

Fratri.

S. P. *Franequeræ.*

SCripsi deprecatricem epistolam ad avunculum nostrum M. IARICHIUM nomine Præsidentis nostri id quod ille precibus à nobis efflagitaverat. Sed quam ex animo scripserim, novit DEUS, & satis ostendit ea ipsa epistola. Ante inclinationem rebus nostris nihil ipso ejusque uxore erat truculentius, violentius & superbius; nunc detracta leonina vulpinam aut caninam potius blandimentis adsuent. Non dubito quin qua est istic constantia vestra nihil indignum vobis sitis decreturi. Comitiis proximis rogo huc venias cum uxore, aderit, non dubito, sororius noster cantaturus Io pæan.

Benè Vale Frater chariſſ. à me & uxore mea ipſo die Catharinæ. Has literas cæla. Scis enim ſub ſpecie amicitiæ multos tegere obtrectationis & delationis virulentiam & mihi cum illo cottidiè eſt verſandum.

Tuus Frater chariſſ.

H. HOXVIER.

EPISTOLA LXXVI.

Nobili ac Ornatiſſimo viro

D. THEOPHILO ab HEREMA,

S. D. N. Cubiculario, Domino ſuo honorando.

Romam.

ACcepi clariſſime Domine THEOPHILE literas quas ad me 11 Cal: April: dediſti. Doleo alias, quas ad me ſcripſeras, interceptas eſſe. Certè ad me vel Atrebatenſem non pervenerunt. Famulum *Tiberii Caraffæ*, cui tuas commiſeras non vidi, licet *Io: Langhium* Secretarium, apud quem Aragonia diverterat, rogarim, ut ei à me diceret, ſe mihi rem pergratam facturum, ſi indicaret in quo illi ob tuam commendationem officii aliquid poſſem impendere. Gaudeo autem plurimum Sanctiſſimi Domini noſtri animum, ad pacem inter duos Reges conciliandam, tam eſſe propenſum. Nihil ſane hic orbis majus a Pontifice impræſentiarum poſtulare poteſt, qui itidem ad reſarciendam religionis concordiam non leve adferret momentum.

Illum, quo cum iſthic tibi contentionem inciſſe

disse scribis, non novi. Cogitare autem te velim, eum, qui in Curia vel Reipub: administratione versatur, multa ejusmodi devorare dissimulareque oportere, quamobrem, mi THEOPHILE, nihil te talium hominu m inimicitia invideave commoveat.

Honorium Theologum nostrum, si isthuc advenerit, commendatum quæso habeas, est enim profectò omni favore dignissimus. Vale Bruxellæ XXIV. Aprilis CIↃ IↃ LVIII.

VIGLIUS ZVICHEMUS

Tuus ex animo.

EPISTOLA LXXVII.

HENRICUS PAULINUS GEORGIO HELOANDRO suo, S. P. D.

Wittebergam.

CUm literas tuas proximè ad me datas auriga simul cum libro mihi attulisset, facile perspexi, *Georgi Heloander*, & veterem amorem tuum & constantem erga me voluntatem. Nam & in literis ingenuum tuum candorem, singulari svavitate & humanitate conditum contemplabar, & in libro erectum tuum animum, ardenti mei amore & observantia flagrantem, magna cum voluptate, exosculabar. Quæ quidem mihi, eximiæ tuæ indolis & insignis probitatis, quâ me coram semper complexus es, præsentem memoriam refricabant. Nam cum recor-

dor illud tempus, cum nos familiariter isthîc unâ viveremus, postea verò hic atque isthîc denuo conjungeremur, multorum & officiorum & suavissimorum sermonum, & morum tuorum probatissimorum memoriam, in mentem mihi revoco. Quæ ut semper jucundissima accidit, ita molestiam aliquam adferre solet, quod jam diu familiari tua consuetudine carendum est. Sed cum ita natura comparatum sit, ut homines vel arctissimis naturæ vinculis copulati perpetuò unà esse non possint, & literarum frequentiâ, desiderium absentium amicorum, quodammodo leniri soleat: feramus æquo animo nostrorum corporum disjunctionem, quam & temporum necessitas ferendam essa postulat, & Epistolarum colloquia, etiam non insuavem hactenus fecerunt & deinceps factura pollicentur. Præsertim cum nec illa perpetua futura sit, cum nos brevi, summi Dei ope, in patria rursum una futuros speremus, & interim semper animo atque voluntate conjunctissimi utrinque maneamus. Neuter enim nostrum veteri proverbio locum dare ullo modo volet: Amici qui sunt procul, non sunt amici. Cujus quidem sententiæ & tu in Epistolis tuis aliquoties meministi, & nunc etiam specimen egregium edidisti, cum mihi absenti jam alterum librum dono misisti. Ut nimirum ostenderes, quod ingenuæ naturæ proprium est, te minores in amando partes nequaquam ferre posse. Nam cum ego tibi meam orationem, nuper editam, pulchrèque ligatam, in perpetuam mei memoriam

riam donaviſſem, mox tum tu hoc libro remunerare mihi voluiſti. Quod licet neceſſe non fuit, tamen me tuum officium delectat. Iam verò quod in te commendo, ne ipſe in me deſiderem, cavendum eſt. Non enim oblitus ſum honorifici tui muneris, quod mihi ante biennium offerebas, cum mihi graviſſimum & ampliſſimum auctorem Plinium donabas. Quem quidem memini ita à me acceptum eſſe, ut tu nec meam, ſi non remunerationem, at certè animi grati ſignificationem viciſſim rejiceres. Mitto igitur tibi T. Livium Hiſtoricorum Latinorum Principem. Cujus hiſtorias lacteo eloquentiæ fonte manantes, ſermoneque aureo explicatas, ſumma cum reverentia conſervat & adorat omnis poſteritas. Neque ego hîc oro, ut hunc librum grato animo & ſerena fronte accipias, cum id dubitantis videri poſſit de propenſa tua in me voluntate. Illud tantum dico, ut quando meum Livium aſpicis, qui nunc manu mea miſſus, tuam in manum poteſtatemque pervenit, PAULINI tui recorderis, & ejus, quô cum amicitia tibi, in prima ætate, publicis in ſcholis contracta eſt, non fraudulenta ſimulatione, non ſubdola adulatione, non ulla communione vitiorum, ſed veræ pietatis, præclaræ virtutis & excellentis eruditionis ardenti ſtudio & ſocietate, neque ſolum contracta, ſed multis jam annis confirmata eſt. Atque hæc animorum copulatio & ſimilitudo morum, verè amicitia haberi & appellari debet, quæ ut ſola ad ſenectutem uſque firmiſſimè du-

rat, religiosa quadam necessitudine imbuta; ita dici non potest, quantum calcar, quantum ornamentum ad omnem virtutem adferat. Virtutum enim amicitia adjutrix à natura data est, non vitiorum comes, ut quoniam solitaria non posset virtus ad ea, quæ summa sunt, pervenire, conjuncta & sociata cum altera perveniret. In qua quidem societate omnia insunt, quæ putant homines expetenda, honestas, gloria, tranquillitas animi, jucunditas, &, ad quam omnes adspiramus, summa vitæ beatæ fælicitas. Nam sola virtus, sola pietas amicitias conciliant & conservant; in iis enim est convenientia, in iis stabilitas, in iis constantia. Porro cum sciam te brevi in patriam profecturum esse, mitto tibi simul Dialogum in discessum tuum scriptum, de quo quidem nunc nihil scribo amplius. Illud tantum dico, ne ita laudare Majores tuos, ut viros bonos & inter suos claros, ut sane neminem existimem quicquam jure reprehendere posse. Nam sycophantis ne placere quidem volumus. Vale ergo & salve mi optatissime GEORGI, frater carissime, certissimum patriæ decus & spes familiæ tuæ, in Domino. Lipsiæ, Idibus Iunii, CIↃ IↃ LXIIII.

EPI-

EPISTOLA LXXVIII.

HENRICUS GELDOPIUS IOANNI TIARA, I. C.

S. P. *Leoardiam.*

CUra sciam quid fiat de Groningensibus; nam *Ruardus*, ut intelligo, renuntiavit⌣. Mihi videntur homines leves esse, qui fuerant etiam *Everardum* quendam *Morsæum* Vesaliensem recepturi, nisi intellexissent eum esse hostem suæ patriæ. Ego vereor ne arrogantia & pertinacia consumant se mutuo. Bruxellæ certant ambitione & largitionibus, ne dicam stultitia, donec irretientur. De AGGÆO intelligo agi, ut Bruxellæ ei locus fiat⌣. Nec dubito, quin ista dignitatum periodus sit evasura in magnum aliquod fastigium⌣. VIGLIUS diu crebris substitutionibus conatus est HOPPERO quasi confirmare successionem⌣. Sed videntur clam commendasse Regi Status Brabantini quendam TISENACUM Bruxellensem, ætate grandem; indignè ferentes, ab hominibus, ut vocant, novis ita possideri regem⌣. Quid mihi ad meas res sit respondendum, quotidie expecto. HOPPERUS *plus æquo lentus & verecundus; Sed plane fidelis & integer*. Vale charissime TIARA ac nos, ut facis, ama. Duisburgi, postridiè Ioannis. CIↃ IↃ LXIII.

EPISTOLA LXXIX.

HENRICUS GELDORPIUS IOANNI TIARA.

S. P. *Leoardiam*

BRuxellâ nondum quidquam reſponſum ; & puto hærere in itinere literas , adeo fidi homines agunt meum negotium. Cura ſciam quæ ſit ſurrogatio facta *Gratingano*. dolui hominis magnifici & generoſi mortem : faxint Superi, ut melior etiam ſuccedat. Gratum fuit quod de Procuratore ſcribis. Itane noſtrum nomen celebrat SICKINGA. Etiam hoc inter hæreſeos capita aſſcriberet, ſi adeſſet *Hippolytus*. Ipſe IULIUS ſemper in me benevolus fuit ; & ni fuiſſet atque obtemperaſſet illi abrogato nebuloni, poterat perdidiſſe. Imo ante annum cum deferret meam præſentiam in ſenatum *Lavalla*. Admoneret nos *Roſſelus*. Curſitaret frater *Eminga*. Ambularent in foro & ad poſticum tum lictores. An non perieram , niſi etiam tunc contra Præſidis atque illius Iudæ , qui me datâ dexterâ ſalutaverat ambulantem , expectationem , IULIUS renuntiaſſet informationi? Ipſe ſcio nihil eſſe in teſtimoniis, quod ſufficiat ad juſtam actionem , tamen non ita omnino nihil eſt, quin ſi iniquus ad interpretationem fuiſſet animus, tunc ductus fuiſſet GELDORPIUS. Sed expectat iſtiuſmodi carnifices merces & gloria ipſorum. D. SICKINGANUS, precor,

cor, ex te intelligat, me quam plurimi facere ipsius fidem & benevolentiam. Etiam *Orosius* homo generosus & in me omnino benignissimus est. ***. Deo immortali, clementissimo Patri gratias habeo æternas, quod in despecto exilio, in infami reatu, in solitudine, me ita bearit sua liberalitate jam sextum annum sine stipendiis, ut non necesse fuerit à dignitate vitæ recedere, quin abunde fuerit, quod communicaretur etiam egenis & errantibus, impenderetur invisentibus amicis. Utinam vero esset in quo prægnantem aliquam operam possemus tibi tuorumque beneficiis collocare. Nam ut mercede satisfaciamus nostro officio erga vestros, quid aliud est quam nostrum potius ornamentum? Sed quando ea estis beatitudine, ut nostro conatu crescere non possitis, agite, in ea ἀνταγκεια consenescite; nos vero animum geremus semper memorem, &, si non contingat hinc extricari, libenter consumentem se vobis ac vestris. Spero tamen brevi fore, ut propius conjungamur. Tu si forte Bruxellenses petant aliquod testimonium à Curia Frisiæ, sis obsecro apud Iulium intentus. Quod ad *Nitzenum* attinet, miror, cur ille decrepitus Charon voluerit, ea malignitate malam apud me inire gratiam, irritasque ad nocendum expromere vires. Equidem aliud speraveram, quod ipse etiam in Hollandiâ præ se tulit; nunc si quærat honestam aliquam vitæ suæ catastrophen, ne metuat defore, qui applaudat. Sed fortasse ad eum modum, quo hactenus applauditur Neronibus,

Li-

Liciniis, & Maxentiis. Saluta Socrum, Uxorem, Fratrem, & maximè *Sickinganum*, ut spero deditissimum nostri. Duisburgi. x. Aug. CIↃIↃLXIII.

EPISTOLA LXXX.

HENRICUS GELDORPIUS IOANNI TIARA.

S. P. *Leoardiam.*

*** De consilio, quod apud vos prætexitur, magnum monstrum sapit ⌣. Siquidem protestantes tantum abest, ut sinant eos eò ire, ut etiam publicè derideant ⌣. Cardinalem quendam constat .... sessionibus redeuntem Româ excluſum indignatione Pontificis. Ferdinandus eò miserat Concionatorem suum Carmelitâm quendam, quem Aquisgrano evocavit, tunc exulibus Antverpiensibus addictum: is receptus non est, quod saperet Lutheranismum ⌣. Hoc Cæsar & Maximilianus indignissimè tulerunt ⌣. Ferdinandus suis Austriis permisit synaxin δευδν quod Pontifex ægrè tulit. Graves motus passim erumpunt. Mundus luxuriat ad nativitatem & messem suam, quam prædicit DOMINUS. In Aula Burgundica Atrebatensis, VIGLIUS & D. à Barlemont utrinque conjuncti sunt. Cæteri Proceres manifestè ad Regem miserunt, fortè, ut malè cedant propediem supplicia piorum. Leodienses adhuc protestantur. VIGLIUS *omnium hominum odio laborat*. HOPPERUS valde moderatum se gerit; ut & res ipsa exigit, quia successio fallit. VIGLIUS *tenet*

suum

suum locum ambitione, avaritiâ, publicè infamis. Vale nunc *Tiara.* Saluta Uxorem, Socrum, *Suffridum Beyma* & Sorores. Pridiè Bartholi. CIↃ IↃ LXIII.

EPISTOLA LXXXI.

HENRICUS GELDORPIUS IOANNI TIARA.

D. S. P. *Leoardiam.*

CRemeromii filius meo adnixu post duos ferè menses cohabitabit Consuli primario, ejusque Nepotulo puero septem annorum erit pædagogus. Quem ad meam domum ducet. Simul & suis studiis sine ullo impedimento vacaturus & gratis habendus. Hortaberis igitur hominem, ut ne tantam occasionem parvi æstimet. CASSANDER podagricus ducendus erat pro Scipione. Obsonandum, coquendum, sternendum, verrendum. Observanda duo arida calvitia, eaque morosissima. CASSANDRI institutio, quæ hæc pensabat, detrita; & tamen addendi in singulos annos octo Daleri; nisi quid diminuissent; hîc domus & familia honesta. Cognatio cum summis Cliviæ viris, affinitas cum *Rinciis* consularibus Colonienſibus etiam ante duos menses inita, soli in hac urbe tuentur res suas. Et domus nil aliud quam officina disciplinæ & gravitatis. Hîc ei licebit igitur uti summa commoditate. ***. Miratus sum ad quid colligerentur pecuniæ ab Ecclesiasticis: tandem intellexi Lovanienses frequentes in concilio esse Tridenti. Principio Iulii visi sunt Coloniæ, *Rhythovius* Episcopus Iperensis, *Iohannes Hesselus* Lovanienſis, *Michaël* Præses Collegii Pon-

Pontificii. Et quidam Curtracenſis comitati famulis & ſcribis ad numerum quindecim. Una ſeſſione vicerunt quod reſidentia Epiſcoporum & Paſtorum eſſet juris divini, contra eos qui diverſam ſententiam tutati Pontificis diſſpenſationi eam ſubiiciebant. De ea re ſuperiori æſtate pugnatum fuit inter patres & famuli duodecim vulnerati. Duacenſes BALDUINO in gratiam recepto obtulerunt IO. carolinos. Abbas quidam adjecit centum; oſtentavit faſtum facundiæ ſuæ Antverpiæ. Lovanii & Duaci νίκην νηῆσαι καλβινῶ καλβινοντε παῖδες Pæna ſi relabatur adjecta mille Aureorum. Theologi Duacenſes videntes Academiam impleri hominibus, partim manifeſte hæreticis, partim Friſiis ſuſpectis, legatum miſerunt Coloniam, qui imbutus Ieſuiſmo inde aliquot collegas adduceret. Is clam eſt nunc coloniæ in tyrocinio illius ſectæ ſubito profectus ex diverſorio in illud baratrum. Eſt decanus Sancti... Duacenſis. Lovanii opinor creatus Theologus. Lovanienſes contra creant quantis poſſunt maximis ſumptibus pares Profeſſores, in quibus eſt & *Suffridus Malerius*, homo parum lingua valens ac dicendo enervis; certe ad TIARAM Duaci nullus. Ego præſagio brevi exorituras inter utramque Academiam magnas ſimultates. Imo Duaci gliſcent diſcordiæ inter Theologos & Facultatum ac Linguarum Profeſſores. Ego ſpecto eventum; nec admodum ſum ſollicitus, de me ipſo contentus utrinque. Vale mi TIARA. Nonis Septemb. CIↃ IↃ LXII.

EPISTOLA LXXII.

HENRICUS GELDORPIUS IOANNI TIARA.

S. D. *Leoardiam.*

SCripsi iterum atque iterum ad te, ut necesse non fuisset nunc repetere, nisi propemodum hæc extrema fuisset scribendi hoc autumno commoditas. Imo scripseram ad Cremeromium⁀. Hoc tamen peculiariter ad te volui, quod & D. BALD. quæstori dices, sed ita ut ne latius spargatur; quemadmodum solet in Frisia nihil esse tacitum⁀. *Lindanus* in Curia ostenderat *libellum* quendam à se scriptum nomine ac titulo *Theophyli*, adversus CASSANDRI scriptum *de Off. pii Viri.* HOPPERUS hominem monuit ut primum scriberet CASSANDRO. Factum⁀. & responsum. *Lindanus*, tanquam qui præmisso fœciali jam jure gentium ac militari posset movere in hostem, obtulit censendum apparatum Bruxellæ, præterque opinionem jussus est supprimere scriptum suum⁀. Hoc clam HOPPERUS monuit CASSANDRUM. Vos ita hæc accipite, ut ne quid resciscat ille qui monuit⁀. HOPPERUS certe favet doctis, credoque esse plures, qui cupiant mitius curare vulnera religionis, quam Theologi Lovanienses. Faxint superi, ut quod non succedit per Prophetas, id efficiatur à Regibus. A nundinis Germanicis adhuc nihil habemus. Vale, mi

TI-

TIARA, cum Uxore, Liberis, Socru, Fratre, Sororibus. XXII. Septemb. CIↃIↃLXIII.

EPISTOLA LXXXIII.

HENRICUS GELDORPIUS IOANNI TIARA.

S. D. *Leoardiæ.*

EX tuo responso maximè illud exspectavi, quæ fama de AGGÆO esset in Frisia. Verisimile est enim fixurum sedes donec VIGLIUS vivit, ne mortuo veniat in oblivionem. Quod certè novum non est illis quibus datur periodus suæ fortunæ. Si esset apud suos prodesset haud dubiè multis bonis homo jam multo rerum usu maturus. Literæ tuæ hoc nomine sunt minus acceptæ, quod nobis multarum rerum avidis parum satisfacit brevitas; ego contra opinor nauseam moveo prolixitate. Nos hic antiquum obtinebimus donec meliora. Videmus enim futurum, ut in æstatem omnia exasperentur bello. Lantgravius novos clam habet delectus. Concilium Tridentinum IX. Novembr. absolutum excommunicavit Cardinalem Borbonium Condetianum; qui uxore ducta mutavit habitum, ille contra protestatus retinet neroos Cardinalitios, hoc est, Abbatiam Corbeiensem & reliqua. XXIV. Novembris Amiraldus ingressus est Parisios cum magno prædio. urbs attonita. Curia auxerat & Regi satellitium. Cardinalis Guisianus urbe cedere, nec expecta-

re

re tantam audaciam ↄ. Collocutus tamen Regi satisfecit, ac dimissa præsidia; ipse ad defensionem à Guisiacis non recipitur, quod dicant è carcere dicere oportere reos capitis. Arreptus interim à populo Dominus de Bovilli erat submergendus, nisi ex palatio fuisset subventum. Comestabilis gravissimè fuit acceptus à Legato Hispanico, quod non aliter statuisset de rebellibus. Ille medium se etiamnum gerit, cupiens componere dissidentes. Eodem tempore inter primarium Parlementum & Legatum Venetum pene cum pugna tumultuatum. Anglus Legatus adhuc tenetur in Gal. captivus. Ferdinandus dicitur resignare velle imperium. Hoc certum, quod filioli Maximiliani Regis Mediolanum pervenerint, ituri in Hispanias ad avunculum. Hispano & Gallo indictum colloquium Nicææ in Sabandia. Pontifex aderit. Blandiuntur Germanis permissione conjugii sacrificolis, & synaxi δικαδῖ qua illecebra si avertissent illos à Gallorum confœderatione, aut commisissent inter se, bone DEUS, quam horrendam faciem rerum videremus in Gallia. Etiam in Italia spectant omnia ad rebellionem; nec Romæ quidquam tutum. Per totum tractum Reni videntur ignes sub vesperam. Laboratur ubique peste. Vale mi TIARA. Saluta amicos. XVIII. Iano. CIↃ IↃ LXIV.

EPISTOLA LXXXIV.

HENRICUS GELDORPIUS IOANNI TIARA.

S. D. *Leoardiam.*

EGo nondum possum de rebus meis statuere. Campensis Senatus missis per Medicum literis declaravit ex animo placere meum adventum, neque quidquam prætermissum iri, quod ad me cum ornandum, tum juvandum requiri possit. AGGÆUS omnibus modis hortatur, ne morem geram restitutioni Bruxellensi; ac significat jam actum esse Heidelbergæ in Academia de me accersendo in Professorem Græcum. Quo tamen, non sinet se, ut video, duci uxor: præsertim cum pestis fere serpserit per totam Germaniam. Visuntur ignes nocturni in aëre cum alibi, tum Coloniæ. Ubi pestis clam latitat. Novesii vastavit quasdam domos. Concilio Tridentino impositus est finis ante duos menses. Designatus est locus confœderationibus Gallorum, Hispanorum & Pontificis Niceæ in Allobrogibus. Inventa est techna, qua putant se aversuros Saxones ab Helvetiis & Calvinismo, qui etiam in Palatinatu regnat, ac turbaturos Germaniam, ne saltem succurrere possit motibus Gallicis. At Hessus interim & Wirtembergicus clam conscripserunt equitum quinque, peditum duodecim millia, Ammiraldo Duci Condetiorum, quem premunt Papistæ (ut vocant)

cant) actione mortis Guiſiacæ. Ferdinandus offenſus difficultate motuum dicitur ceſſurus filio imperium. Ibi nova prodibit rerum facies. Nam quid ille promiſerit in electione Wirtenbergico Auguſto, & Palatino homini vehementi & ſobrio reſcitum eſt ἐκ τῶν ἀπορρήτων. Offenſi & Ferdinandus & Bavarus, quod ſuperbum tulerint Tridenti reſponſum. Vale XIV. Febr. CIↃ IↃ LXIV.

EPISTOLA LXXXV.

HENRICUS GELDORPIUS IOANNI TIARA.

Leoardiam

NOſtræ res ſunt adhuc in eodem ſtatu. Civitatis contagia ſtant. Quo progreſſura incertum, niſi quod hyems mitiora promittit. Velim D. Senatorem SICKINGA rogatum, ut cognoſceret ex præſide *Nitzenio*, quid à me in ſe admiſſum eſſet, ut ſuſtineret me onerare iis criminibus, quæ non ſolum à me aliena ſunt, verum etiam jam alium autorem, idque haud obſcurè, invenerunt. Dixit cuidam Conſiliario Tranſiſulaniæ me brevi edidiſſe acerbiſſimum quoddam ſcriptum contra Concilium Tridentinum. Hoc vero ſcriptum jam dudum pro ſuo agnovit CAROLUS MOLINÆUS. Velim igitur ſcire, quemnam iſtius commenti auctorem haberet, an vero obrepat ſubinde GELDORPII nomen otioſo, ut in me putet ſibi

tanquam adversus umbram quidvis licere; Alias me nebulonem appellavit apud vere nebulonem, tanti hominis mensâ indignum, hoc est, *die bonte paep.* Hic ego nihil regeram; tamen nolim ne *Nitzenum* quidem hoc genus collationis mecum subire⌣. Sit ille quantivis pretii apud Regem, ego relinquam famam non minus honestam decem *Nitzenis*. Mirum quid ego in bonum hominem deliquerim, ut postquam contra jus gentium, contra informationes Procuratoris, in meum sanguinem impetum facere non licuit, nunc aggrediatur meam famam. Vale mi TIARA. Teutoburgi. XXVI. Septemb. CIↃ IↃ LXIV.

EPISTOLA LXXXVI.

HENRICUS GELDORPIUS IOANNI TIARA.

S. P. *Leoardiam.*

MIrum vero quid tandem sint istæ Episcoporum consultationes parituræ, Colonienſi proponenti duos articulos Ferdinandicos. Leodienſis & clerus Colonienſis restiterunt⌣. Trajectenſis per tabellarium significavit suam exemptionem, contra quam protestatio statim facta est. Reliqui Westphalienſes deliberaturi abierunt⌣. Statim habitum colloquium inter Trivirenſem, Moguntinum, Colonienſem & Clivenſem. Hinc iste in sequentem hebdomadam convocato CASSANDRO & nescio quibus aliis videtur propediem classicum

ſicum cantaturus τῇ μίξει νυί, Princeps bonus ἀλλὰ ἀδελφοκτόνος. Colonienſis acerrimè conatur reſtituere reformationem Hermanni cognati ſui, & ut neque viribus neque amicis deſtituatur, ſpecie frugalitatis expurgat aulam ſuperfluo hominum & ſumptuum ſtrepitu; ingreditur urbem inſtar hominis privati, liberat ditionem ære alieno, confœderat nobilitatem & vicinos Principes. Conventus, de quo dixi, habitus fuit aliquot diebus ante Pentecoſten, confluentiæ, ſtatim poſt factam electionem iſtius animi dedit non obſcura ſigna: abrogavit enim decretum, quo religionis cauſſa magiſtratus Colonienſis urbe pellebat quoſdam honeſti nominis viros. Pontifex confœderatis Hiſpanis & Venetis videbatur armis confirmaturus ſeſſiones Tridentinas, ſed inciderunt hæ conſpirationes, in foveam quam fecerunt: Turca enim ſuſpenſo Venetorum legato claſſicum ceciniſſe videtur. Et jam Hiſpanis munitiſſimum portum, quo defendebantur à Mauris, eripuit. Quæ res reddidit ipſum fretum infeſtum. Quo progreſſæ ſteterunt aliquamdiu quinquaginta triremes hoſtiles. Fama jam pervaſerat in Germaniam de conſiliis Philippi. Is paratis ſedecem Hiſpanorum & totidem Italorum ſignis delectum petierat in Ferdinandi ditionibus, ut tertia pars ex Germanis conſtaret; hoc Palatinum & Wirtenbergenſem commovebat ad intercludendum tranſitum. Quo animo jam utrobique cenſi erant equites mille quingenti,

dum accederent totidem. Et possunt hoc nunc illi. Siquidem Germanici Principes animadverso res sibi infirmas fuisse adversus Carolum, propter exhaustos nimia sumptuositate proventus, contrahunt rationes suas, neque est quisquam qui non cogitet de præsidiis & pecuniis. In Gallia Condetus tenet se privatim. Regina labascit, subinde insinuans Regem non teneri pactis confirmatis à morte Guisij. Dandilotus respondit, si id tentet iturus ultum hanc perfidiam decem equitum millia è nobilitate, civium non pauciores millibus centum. Is cum fratre Admiraldo omnia habet in potestatem, nec temperat quin fortiter eam exerceat. Transgressus Guisiacam quandam urbem cum deprehendisset duos suorum confossos, habita mox quæstione, XII. è primoribus urbis suspendit. Ita induciæ etiam à causæ cædis postulatione indictæ Guisiacis in triennium. Nec tamen minus Lotharingicus Cardinalis passim molitur speciosas confæderationes prætextu Augustanæ confessionis odio Calviniſmi, si quo forte modo posset doctus, prudens, *τῷ παιδαγωγικῷ* enervare adversarios. Theologi Wirtenbergenses cum Palatinicis congressi sunt in *Maulbrun*, monasterio Bavariæ. Iacobus Andreas gener cum videret non convenire, jussit aboleri acta, ne quæ gliscerent graviora dissidia. *Brentius* jam senectute præceps tenuit silentium, sive sic jussus à Principe, sive exoratus à sociis. Sic *Iliacos intra muros pugnatur & extra.* Dum hæc exspectant abitum nostrorum mercatorum, qui sem-

ſemper tenentur eadem religione cum Atticis Eleuſiniis, certo nobis nunciatum fuit, ex Italia Cardinalem Moronum venire in Germaniam, ut ſolemniter nomine Pontificis permittat Germanis conjugium Sacerd. & communionem ſub utraque ſpecie⁀. In Germania Inferiori, Hiſpania & Italia rata erunt decreta Concilii Tridentini. Ferdinandus Imperio ſe abdicat Comitiis indictis Auguſtæ. Hiſpanis grave periculum fit à Turca & Mauris. In Gallia res exulcerantur. Dandilotus comprehenderat x. ex nobilitate, qui tumultu facto occiderant quendam contra fœdus. Re ad Regem relata, regina reſpondit; ea fœdera quæ eſſent facta Guiſio interempto ſe habere pro irritis. Hoc intellecto Dandilotus nihilominus omnes in ſua præfectura capite truncavit⁀.

EPISTOLA LXXXVII.

HENRICUS GELDORPIUS IOANNI TIARA.

S. P. *Leoardiam.*

*** Pro his omnibus, ſi liceret domicilium fovere eo loco, unde liceret quoties liberet Friſiam & Hollandiam proſpicere, nihil eſſet quod damnaremus hanc fortunam. Hoc vero difficile nobis redditur Bruxellæ, idque pene ſuperſtitione HOPPERI; cujus nimia ſcrupuloſitate libellus ſupplex, ſi diis placet, communicatus eſt inquiſitori meo. Huic ſtratagemati

bonus vir adjicit alia emblemata verborum ; *si noster sis , si te purum putumque catholicum declares*. Et similia quæ zelus aulicus suppeditat. Quod nisi fidem ei habuissem, fixissem profecto sedes etiam non interrogata aula; & inveneram qui hanc restitutionem nihili facerent. Nunc postquam cæpi semel experiri causam, non video quî eadem infecta, quidquam statuam. Sciscitatus eram & AGGÆI consilium. Ille ante annum semel atque iterum valde amanter respondit, postea adeo se ad tacendum contraxit, ut ne de vita quidem ejus hactenus audiverim. Inter cætera suadebat, si docendi satur essem, ut ad tempus recoquerem in otio mea studia; si loci tæderet, ut commigrarem in terram Emdanam. Quod quidem consilium fortasse non improbassem, si fuissem secutus. Misera est fortuna nostra, quæ in tanta messe stipendiorum cogimur hîc torpescere. Sed sic nos beat bonus (ut dixi) HOPPERUS. Utinam non & hoc mali accederet, quod omnium otiosorum hominum ineptiæ nobis tribuuntur, & hoc credant, quos putes ipso Aristarcho nasutiores. Vellem paucis adnotasses, quid tibi visum sit de stratagemate in nos boni Præsidis *Nitzeni*, quid arriserit etiam D. SICKINGA. Scripsi pridem quod Imperator recusasset dare tributum Turcarum Principi. Hoc factum sequitur superbissima formula, qua barbarus nobis bellum reddit. Etiam is succesſit hoc anno patri, & tenetur instituto majorum instituere expeditionem in Christianos. Scriptum hic fertur

tur inter confabulones lingua Germanica. Absque hoc de rebus Germaniæ ne gru quidem. Superioribus diebus ostendit literas Comes Morsensis, quibus significabatur Genevam deditam Sabaudo. Sed famam secutum est silentium, quod pro bono omine haberi posset. Coloniæ non requiescit pestis, sed pergit aggredi divitum domos. Intellexi Episcopo Colonienſi tandem à Pontifice concessum esse pallium, hac conditione, ut juraret in verba Concilii Tridentini; hoc uno crederet quatuor concilia majora, ut vocant, perfectè contineri. Recusaverat ille diu. consultisque Duce Clivensi & Comite Morsensi, videbatur potius abdicaturus se, quam hoc facturus. Verum CASSANDER misso scripto ostendit rationes, quibus posset etiam salva conscientia subscribere. Rumor latè spargitur, simul facti execrabilis & inopinati, ut loquuntur. Multum nocent istiusmodi cubiculares larvæ suis moderationibus; multos deturbant de recto gradu, cum ipsi ambulare nesciant. Perrepunt in admirationem passim Franciscanismo quodam novo, & macies pro sanctimonia est, latibulum pro sapientia. Vale.

DIALOGUS EPITHALAMICUS,

Auctore, ut perhibent, GELDORPIO, Scholæ Duysburgensis Moderatore.

ALBINUS & BALBINUS.

ALB. Quid hic *Balbinus* desidet?

BALB. Atqui non desideo, ô Præclare, sed

omnibus ingenii nervis in ſacrarum literarum ſtudiis jampridem verſor.

ALB. Sacrarum literarum ſtudiis? Quid ais?

BALB. Ita eſt.

ALB. Audiſti igitur huc propediem ex Heliconе ad nuptias profectur.m ſacrum novem Muſarum chorum?

BALB. Ad nuptias? Quas quæſo? Nihil minus.

ALB. THEODORO *ab* ..... CATHARINA MERCATORIA nubit, quorum parentes cum Sponſo ſacri Muſarum cœtus fideliſſimi ſemper fuerunt myſtæ. In utriuſque itaque parentis honorem ſanctiſſimæ virgines novem Muſarum excultiſſimus chorus has nuptias cohoneſtare ſtatuit.

BALB. Quem chorum? Quas Muſas mihi prædicas?

ALB. Audiſti (ni fallor) aliquando Apollinis & novem Muſarum cum Gratiis nomina & numina?

BALB. Egone? Quis illa mihi tandem aperuiſſet unquam?

ALB. Iſta nimirum quæ hîc penes te conſpicio cum libris & codicibus multis volumina.

BALB. Totos annos viginti verſandis trivi tam ſacris quam profanis autoribus, neque unquam mihi uſu venit ut inciderim in Autorem eum, qui mihi vel nomen vel numen, vel numerum Muſarum oſtenderet.

ALB. Bona verba.

BALB. Imo bona verba ſunt, quæ vera ſunt, audio nihilominus paſſim multos neſcio quid co-

corvicari de bonis artibus, de politioribus disciplinis, Græcis, Hæbraicisque literis, sed plane quid sint didici nunquam. Neque in his meis libris omnibus de illis ne Gry quidem.

ALB. Ecquid igitur hic in sinu tuo nunc libri habes?

BALB. Inspice.

ALB. Scotus est. Equidem non miror, adhuc hunc cum tali lectione totum desidere in tenebris.

BALB. Quid ais?

ALB. Nihil est, ô Præclare, tussiebam; sed quæso te bona fide, hoc mihi tandem expedi, quamdiu hujus te auctoris detinuit lectio.

BALB. Annos plurimos, imo nullus est fere dies, quin tractatum in eo aliquem pervolvam, & quamvis alios ex hisce pervolvere non desinam, in hoc tamen præcipui mei studii consistit ratio.

ALB. Non miror itaque, si tibi nunquam Musarum nomen aut numen affulserit. Quum hîc tamen tantam librorum copiam conspicer, puto te inter hos, Poëtas, Historicos, & Oratores pervolvere.

BALB. Imo ex illis ajunt, tanquam fonte manasse horum temporum hæreses, à quibus nostri ordinis viri debent esse quam alieniſſimi. Quare hactenus à talibus libris & inqninamentis omnino illibatum beneficio DEI me detinui.

ALB. Beneficio Diaboli.

BALB.

BALB. Quid ais?

ALB. Licet ne tandem mihi quid hic librorum habeas inſpicere?

BALB. Quid ni, ſacri ſunt cum prophanis aliquot, ſed utiliſſimis.

ALB. Auguſtinum ais, Hieronymum, Chryſoſtomum, Theophilactum, Bedam & ſimiles.

BALB. Minime gentium, talium audivi ſubinde nomen, ſed lectionem guſtavi nunquam.

ALB. Quid igitur boni genii hîc librorum habes? Profeſſione cum ſis Theologus.

BALB. En tibi.

ALB. Video, imo jam dixi Scotum eſſe hunc.

BALB. Aſpice cœteros.

ALB. Hîc tres libri ſunt. Primi titulus, *Malogranatum vitiorum*, *Biga Salutis*, *Pontoſia Decretorum*. DEUM atque hominum fidem! Quid hic video!

BALB. Quid ais? Suntne utiles? Perge quæſo.

ALB. Quid hoc eſt? *Decretum Univerſitatis Pariſienſis ſuper gorgiaſitate mulierum ad placitum*, & ad finem *Olcot cum Mammetrecto*. Ha, ha, he.

BALB. Quid rides?

ALB. Quid rideam? Pergamus.

BALB. En tibi.

ALB. Quid hoc eſt?

BALB. Lege titulum.

ALB. *Ars honeſtè petandi in ſocietate*, *per Mag. Ortuinum.* Item in fine addita eſt *Utilis admodum tractatio de Brodeorum uſu*, *honeſtate chopinandi per Sylveſtrem Prioratem Iacobinum*. Item in calce additus *Bricot de differentiis ſopparum.*

Quis

Quis bonus genius tibi hos libros comparavit?

BALB. Non bonus genius, sed bona pecunia. Perge, hoc volumen plus quam septem aureis coronatis constitit.

ALB. Reverendi Patris & Fratris Lubini Provincialis Bavardiæ de coquendis Lardonibus libri tres.

BALB. Additi sunt & alii compluſculi.

ALB. Pasquilli doctoris Marmorei de Capreolis, cum Cardoneta comedendis tempore Paschali ab Ecclesia interdicto.

BALB. Puto adhuc alium addi insignem tractatum, *de optimitate Triparum auctore Beda.*

ALB. Ita est: & militaris disciplinæ hîc quoque libros video. *Stratagemata Francacheri. Fractoximus de militari cum figuris Trinoti.* Item *de usu & utilitate escorchandi equos, & equas auctore Mag. nostro de Quebec.*

BALB. Perge modo, nondum pervenimus ad Theologicos.

ALB. Imo jam hîc mihi unum bene magnum volumen habeo. *Magistri nostri Rhostocostotambedamensis de Mostarda post prandium servienda libri quatuordecim Apostillati per Mag. Vautrillonis.*

BALB. Ille Theologicus non est, sed animi gratia legi solet à Magistris nostris, quoties seriis disputationibus fessi ad suum vinum Cös redeunt hilares. Sed illic Theologicum habes.

ALB. Sanctæ Thomæ fortasse catenam auream.

BALB. Nequaquam.

ALB. Quæstio subtilissima, utrum Chymæra in vacuo bombinans, possit comedere secundas intentiones, & fuit debatata per decem hebdomadas in Concilio Tri-

Tridentino. Item, *Bandacini Episcopi de Emulgentiarum profectibus Æneades novem, cum Privilegio Papali ad triennium, & postea non.* Quid libri est hoc *de Emulgentiarum profectibus?*

BALB. Puto haberi Indulgentiarum.

ALB. Recte dicis, erravi. Sed pergamus. Verum quid hoc libri est? video enim isthic laminis æreis armatum unum & minio lasurioque pictum.

BALB. Ita est, inspice.

ALB. Marforii Baccalarii cubantis Romæ de petandis, mascarandisque Cardinalium mulis. Item *de Calcaribus removendis Decades undecim, per Mag. Albericum de Rosata, Ejusdem de castrametandis Monachorum & Monacharum crinibus libri tres, cum commentariis Mag. Nugonis de Mostarda.* Item *Tractatus utilissimus magistri nostri Fripesauleris de Grabbalationibus horarum Canonicarum libri quadraginta, nunc primum in lucem editi cum Quodlibeticis Mag. Cacardi.* Quis unquam gothus, aut Vandalus hujusmodi invexit & titulos & nomina! Arbitror ipsam barbariem viribus omnibus suis inferiorem, quam ut ea unquam quiverit fingere.

BALB. Quid ais?

ALB. Equidem totus sum in pervolvenda tua tam sumptuosa Bibliotheca.

BALB. Credo. Sed quid tibi hoc libri sapit?

ALB. Oullibutarium confratriarum incerto autore. Item, *Poltronismus rerum Italicarum.* Item, *Callibastratorium Cappardiæ, Auctore Mag. Iacobo Hooghstrato Hæreticometra.* Pudet profecto tan-

tantarum ineptiarum. Dii boni quam multa bona ingenia horum monſtroſorum voluminum lectioni intenta miſerè periere?

BALB. En tibi.

ALB. Quid hoc erit? *Antipericatametraparbenpedamphicribationes merdicantium liripipii Sorbonici moraliſationes per Mag. Lupoldum cum Commentatione Tartareti de modo cacandi.* Adjunctæ ſunt his quoque *Tarcabalitiones Doctorum Colonienſium adverſus Reuclyn.*

BALB. Ille utiliſſimus meo judicio liber, & dignus eſt quem omnes boni Chriſtiani legant. Sed quid ille?

ALB. Regula de Al Alis longum, cum ſaceo per civitatem, autore Cofrado Knyph : cui adjunctus eſt *liber aureus de ferocia diaboli cognomento Grypgrau, qui habet multum ad faciendum per omnes Papales Provincias, latinum bene craſſum, & porcinum.* Unde quæſo nactus es has elegantias?

BALB. Illos libros ante annos quinque pro ſingulari munere mihi dedit Venerabilis Dominus Ioannes de Cacſtro, &, ne ego pro tanto munere viderer ingratus, dedi viciſſim illi *librum Conformitatum Sancti Franciſci cum* IESU CHRISTO.

ALB. Ioannes Birobrodius de terribilitate excommunicationis, liber acephalus. *Ingenioſitas invocandi diabolos & diabolas per Mag. Gvingolphum, Antidotum animæ, cum cacatorio medicorum.* Item *Oratio Sutoris adverſus quendam qui vocaverat eum Fripponatorem & quod Fripponatores non ſunt damnati ab Eccleſia.*

BALB.

BALB. Quid hic?

ALB. Meclinus Coccajus de patria diabolorum; Item *Iustinianus de Cagotis tollendis & Griphiarios* Gripirios *nominandos*, *Advocatos*, Evenquatos, *Procuratores*, Plucketores, Item *Duerwaerderos*, Duerjageros, *& pro Substitutis* Superutos, *& pro Suffraganeo* Salverganeum, *pro Wybiscopis* Wynbiscopos *esse dicendos*. Ha, ha, he. Ridenda ac deridenda cum exoticis illis titulis sordida vocabula. Pœnitet, pigetque tam stultam & noxiam librorum censere supellectilem.

BALB. Noxiam ais?

ALB. Imo nocentissimam, quibus implicitus tu tot jam annis surdus & cœcus, nihil audire, nihil cernere potes, quod cum vera pietate est, & eruditione conjunctum.

BALB. Agedum, quid faciam ALBINE?

ALB. Ex animo omnibus his abjectis cum studio libris me sequêris, faxo ut his nuptiis visis, auditisque Musis ex *Balbino* mecum *Albinus* fias, nam oculorum, & aurium verus genuinusque tibi periit sensus, neque necesse tibi erit ad hanc facultatem abire hinc longius. Continuo enim hic sese sistent cum EPITHALAMIO Musæ.

BALB. Illud mihi prorsus novum est. Musas, inquis, viderem, quum vix te videam?

ALB. Neque id mirum, impedimento siquidem tibi est tuus Scotus.

BALB. Quid ita?

ALB. Quia tam diu quam illum in sinu retines, te-

tenebris te involvis, abjecto itaque eo ſtatim tibi illuceſcere incipiet veritas.

BALB. Ecce illic eſt, abeat vel hinc in malam crucem, qui me tanta cruce cruciavit hactenus. Euge ALBINE, jam clarius multo te, quam antea conſuevi, aſpicio. Quid hoc ſibi vult?

ALB. Hoc nimirum eſt, & efficit inſulſus hic & tibi exerratus Scotus, ſed eſt quod adhuc te remoretur.

BALB. Quid illud eſt;

ALB. Veſtitus hic exuendus eſt, pannoſus, lacer & ſordidus. Quod illi nomen eſt;

BALB. Superſtitio.

ALB. Scoto nimirum conveniens, exue.

BALB. Illic eſt. Sed quid libris his fiet; quo illos mittam;

ALB. Vulcano conſecra proque his omnibus accipe & ſerva, & ama hunc tibi.

BALB. Quid libri eſt;

ALB. Lege, jam opinor rediiſſe tibi oculos.

BALB. Novum IESU CHRISTI Teſtamentum.

ALB. Tu homo ætate tam grandis in literis verſatus, Sacerdos, & Theologus hunc nunquam verſaſti codicem?

BALB. Sane nunquam.

ALB. Chriſtianus opinor eſſe & dici poſtulas.

BALB. Quidni?

ALB. Quid igitur hactenus abs te factum? Chriſtianus in tot libris, CHRISTI nunquam, nuſquam audiſti verbum, aut pervolviſti regulam? Franciſcanus Franciſci quoti-

die, Dominicanus Dominici non negligit, & tu Christianus CHRISTI nunquam attigisti Canonem.

BALB. Euge quam præposterè & indignè istud à me factum est, polliceor deinceps meliora. At at quam cultum, quam venustum isthic virginum cœtum conspicor, quam suaviter inter se modulántur.

ALB. Hic cum tribus Gratiis Musarum sacratissimus chorus. Ecce quantus ammodo in oculis tuis splendor emicuit & auribus quoque audiendi sensus suppetit. Atqui eccas jam nos adeunt χαῖρετε πειοπόηθοι θεαί.

MUS. ἢ σύ μάλα χαῖρε φιλόμεσε BALBINUM quem isthic nobis adducis, illum peractis hisce nuptiarum solenniis, sacris nostris investiemus, tantum adsit, audiat, & discat, & si quid poterit, in hac solennitate hilarem, modestum, & docilem præbeat.

EPISTOLA LXXXVIII.

THEODORUS BEZA N. N.

MI Frater, raro ad te scribo non aliam ob caussam, quam quod non inveniam facile, quibus literas committam, cum alioqui tam officiosè mutuam nostram amicitiam colere te videam, & me tibi hoc nomine multum debere confitear. Cæterùm quod ad tuam ad Gallos nostros profectionem attinet, probo quidem atque

que etiam laudo consilium hac in re tuum, sed quid tibi suadere satis commodè possim, mihi nondum liquet: sic enim responsum est mihi, & Aurelia & Lutetia, ut omnia quidem promittantur, interea vero nulla certa conditio oferatur. Nolim autem *inutili* sumptu te gravari & in regione ignota periclitari, nec etiam alibi te esse velim, quam ubi in studiis tuis perseverare possis. Quamvis igitur mihi valde sit molestum, quod neque desiderio tuo neque officio meo possim satisfacere, tamen te cogor hortari ut tantisper adhuc expectes, dum meliorem quampiam occasionem DEUS nobis offerat, quam ego quidem sedulo quæram, & inventam statim quoquo modo tibi significandam curabo. De nostris illis antagonistis, valde mihi dolet, quod D. ANDREÆ responsum nancisci nisi abhinc quindecim dies nunquam potuerim, adeo sunt nostri typographi in his rebus negligentes. D. SCHECKIO à quibusdam modestè & eruditè, ut spero satisfiet⌣. Ego quid sim factus, ne nunc quidem scio, quum brevissimum hoc spatium mihi ad scribendum relictum coactus fuerim aliis negotiis prorsus necessariis dare, quorum etiam caussa in hanc urbem difficillimis itineribus veni. Spero tamen me omnino aliquid editurum ex quo saltem intelligatur, me neque aliter quam oportuit illorum scripta esse interpretatum, neque essentiam pro persona substituisse, ut ille non minus ipeptè quam impudenter calumniatur, eadem interim illa, quibus centies responsum est, inculcans & respon-

sa nostra dissimulans. Illum autem & re & nomine rubicundum planè nihil moror. Tantum doleo Ecclesiæ vicem, quæ monstra ejusmodi fovere cogatur, quæ tamen DOMINUS, ut spero, brevi conficiet. Omnia porro apud nos satis rectè, DEI beneficio, quem rogo, mi Frater, ut te servet, & tibi magis ac magis benedicat. Tiguri. XIIX. Feb. CIↃ IↃ LXVI.

EPISTOLA LXXXIX.

THEODORUS BEZA MARTINO LYDIO,

Franekeranæ Ecclesiæ Pastori.

Franekeram.

MEmini, mi Frater, mihi abs te de meliore nota commendatum fuisse Generosum D. TACONEM AYLVAM. Is nunc ad vos revertitur, cum eo probitatis, pietatis, ac cæterarum Christianarum virtutum testimonio, quod pauciſſimi merentur, adeo ut illum & inviti dimittamus, & absentem summis votis prosequuturi. Faxit DOMINUS DEUS noster, ut felix ipsius patria quam ampliſſimos ex illius virtutibus fructus colligat. Eram autem ad te de rebus nostris pleniſſimè hac occasione scripturus, nisi quæcunque in isto quatuordecim mensium bello gesta sunt, & quorum etiam ipse pars fuit aliqua, multo posses uberius & distinctius ex ipsius ore, quam ex meis literis intelligere. Tantum istud ex me paucis habeto, quamvis

per

per DEI gratiam nobis certum est ad extremum usque in tam justa & tam necessaria nostri defensione adversus immanissimum hunc tyrannum perseverare, eò tamen esse nos redactos, ut nunquam Geneva, cui non ignoras Satanam & Antichristum extrema jampridem modis omnibus moliri, piorum precibus ardentioribus & frequentioribus ingruerit, ad quas si quid ad sublevandos innumeros penè pauperes subsidii, quantulicunque forte potuerit opera & commendatione tua accedere ⌣. Insigni & peropportuno tempore præstito beneficio tota hæc civitas, Ecclesia & Schola vobis fuerit obstricta. Ad me verò privatim, quod attinet, partim ætate debilitatus, partim infinitis curis oppressus ad metam pro viribus contendo, neque me pati potest valetudo prorsus incerta istud ad quod me hortabaris vel gravius vel laboriosius aliquid aggredi. Quæ verò anno superiore sum in Ecclesiasten & Iobum commentatus & superioribus nundinis de Ecclesiastica disciplina scripsi, non dubito quin ad vos usque pervenerint ⌣. Tu vero, mi Frater, perge quæso mecum preces apud Servatorem illum nostrum intendere, ut curriculo, quod mihi supererit, confecto, quacunque me circumduxerit eum sequutus, inoffenso cursu portum attingam ⌣. Bene Vale, Vir eximie & summè observande Frater. DOMINUS IESUS tibi tuisque sanctis laboribus magis ac magis benedicat ⌣, Genevæ. XXVIII. Maji. CIↃ IↃ XC.

EPISTOLA XC.

THEODORUS BEZA MARTINO LYDIO.

Franekeram.

PErgratum mihi fuit, mi Frater, hanc occasionem mihi ad te scribendi oblatam, minime id quidem, quod veterem illam nostram in CHRISTO conjunctionem posse existimem aliqua ἀπροσηνορία dissolvi: Sed ut tu, quem de nobis sollicitum esse non dubito, de rebus nostris certum aliquid accipias, & nos vicissim, quis sit rerum vestrarum status intelligamus. Et quidem audimus vestra nunc esse, quantum hæc tempora ferunt, pacata, quod vobis ex animo gratulamur. Nostra vero, quamvis OPT. MAX. DEO & Servatore nostro potentissimum & ferocissimum hostem admirabiliter prorsus reprimente, sunt in eo statu, ut non tam ab hoste, quam ab ipsa hujus belli diuturnitate oppressi & à nullis adjuti, quod amicis plerisque desint facultates, ipsorum voluntati pares, bonorum & piorum omnium precibus tantopere nunquam indiguerimus. Ad me privatim quod attinet, quamvis septuagesimum quartum fere ætatis annum peregerim, tamen pauca adhuc admodum senectutis incommoda præ multis aliis experior, sic nimirum spatium mihi ad veram conversionem concedente Clementissimo DOMINO & Servatore meo, quam utinam mihi tandem qualem & quantum ab ipso petere non de-

desino benignissimè largiatur. Nec tu es mihi, sicuti spero, precibus ad id obtinendum defuturus. Continuit me domi per sesquimensem extraordinaria lassitudo cum recurrente subinde vertigine; inde nunc per DEI gratiam levatus, redii, quantum quidem hæc ætas ferre potest, ad muneris mei functionem. Editæ sunt interea Gallicæ meæ in Historiam resurrectionis DOMINI conciones. Dictavi præterea per intervalla, scriptiunculam quandam de tristissimis illis dissidiis per non nullos tam acriter in Germania renovatis. Ea si ad vos usque pervenerint, velim abs te tuique similibus, non tantum legi, verum etiam expendi, ne quid fortassis obsim iis ipsis, quibus prodesse studeo. Bene vale, mi observande Frater, & nos vicissim amare perge. DOMINUS IESUS tibi & sancto ministerio tuo magis ac magis benedicat. Genevæ. XX. Mart. CIↃ IↃ XCII.

EPISTOLA XCI.

Spectatissimo, Eruditissimoque Viro

SUFFRIDO PETRO,

LEOVARDIENSI FRISIO,

Bonarum literarum in florentissima ERPHODIENSI Academia Professori celeberrimo, amico suo.

S. P. *Erphordiam.*

ACcepimus, Vir Ornatissime, abs te missas binas literas, alteras octava Februarii, noviſſime præteriti scriptas, tamen postridie Ma-

theii Anno CIↃ IↃ LVIII. Alteras decima quarta hujus menſis Iulii ſcriptas Idibus Maji noviſſimeↃ. Oblectavit ſane nos non parum utriuſque epiſtolæ argumentum, tum quod ſucceſſum rerum tuarum ex iis exacte cognoſcamus, tum quod ſtatum Reipublicæ & præſertim Univerſitatis veſtræ in ea conditione eſſe intelligamus, ut optima quæque de ea ſperare liceatↃ. Turbat merito vos Religionis fluctuatio & ſectarum ſectantiumque innumera prope turba, ſed ſpe felicis mutationis & affulſuri ſalutaris alicujus ſyderis non excidiſtis. Hoc unice & diligenter curandum, ut quibus integri hactenus fuerint animi, aut quibus ad integritatem ſanitatemque animis reverſis eſt perpetua conſtantia Religionem retineant, & ſuo exemplo dilapſos ad ſe retrahant, neque enim arbitramur futurum, ut DEUS OPTIMUS, MAXIMUSque ſuos ſit deſerturus. Officium & operam, quam à nobis deſiderare Univerſitatem veſtram ſcribis, libenter pollicemur, non tantum ea in re, cujus in poſterioribus literis meminiſti, ſed in quacunque ejus uſus eſſe poteritↃ. Miramur non habuiſſe ſucceſſum Romæ tam pium veſtrum inſtitutum; ſed perſuademus nobis vel imperitia vel negligentia eorum, quibus explicandi negotii cura mandata fuit, id eveniſſeↃ. Quid enim in cauſa eſt, quo minus Pontifex vobis, qui aſſidua in eum obſervantia & veteris Catholicæque Religionis cultu Apoſtolicæ ſedi eſtis addicti, id permittat, quod eo non permittente hæreticæ conditionis

onis homines sunt occupaturi, & in suos abusus conversuri. Non rara extant exempla unionum & incorporationum non tantum singulorum secularium beneficiorum, sed etiam conventualium & ipsorum Conventuum studiorum scilicet gratia. Nihil dubitamus Dom. Pontificem facillimè admissurum, ut vestræ Universitati ad alendos catholicos Professores, promovendaque studia Augustinense monasterium cum omnibus annuis reditibus incorporetur, tantoque facilius, si intelliget id à Senatu vestro, Lutheranæ Religioni addicto, jam occupari, omnibus monachis vel expulsis vel emortuis, & eundem vestrum Senatum in hoc incumbere, ut impetrata per vos pontificia dispensatione, vobis id totum restituat & addicat, & vos non cupere perpetuam incorporationem, sed temporalem tantum, donec istic vetus & catholica Religio in universum restituatur. Legatus .... in tota Belgia nostra nullus est, & ut sit parum ex eo in hoc, quod molimini, negotio sperari posset: eam enim incorporandi potestatem Pontifex sibi retinet, neque temere cuiquam Legato permittit. Nec Paulus Pontifex modernus Cardinali Caraffæ, cognato suo, nuper apud Regem nostrum cum amplissimi mandatis & facultatibus Legato, id permisit: sic ut spes operæ & intercessionis nostræ vobis hîc sit futura inutilis. Interim tamen, ne spe excidatis, non recusamus vobis viam commonstrare, qua quod petitis Ro-

mæ brevi temporis ſpatio obtineri poſſit. Sunt hîc Praghmatici non pauci, qui Romanis frequentiſſimè ſcribunt & per amicos Romæ negotia etiam magis ardua quotidie explicant, ex his unum deligamus, qui veſtro nomine curabit ſummo Pontifici hanc rem proponi & (ut ſperamus) ab eo obtineri ſumptu non admodum magno. Sed ut id oportunè & ſine periculo fiat neceſſum eſt, ut vires totius patrimonii, quod habet dictum monaſterium, hoc eſt amicos, reditus & obventiones fideliter tranſcribatis & præterea addatis, an omne illorum reditum emolumentum velitis addici Profeſſoribus Catholicis, nam alioqui id impetrari non poſſet. Hac itaque aut alia ſimili occaſione, ſi veſtræ Univerſitati gratum facere nos poſſe exiſtimabitis, confidenter operam noſtram expoſcite, nihil enim magis in votis habemus, quam in ea totis viribus incumbere, quæ ad catholicæ Religionis augmentum & ornamentum momenti aliquid conferre poſſunt. Quo nomine apud veſtram Univerſitatem & ſingulos illinc Ordines commendari cupimus. Tibi quoque hoc perſuaſum eſſe volumus ad propenſam omnium noſtrum voluntatem, erga te nihil omnino deeſſe. Bene vale. Lovanii decima quarta Iulii. Anno CIↃ IↃ LVIII.

RECTOR & Univerſitas ſtudii generalis Oppidi Lovanienſis

IOANNES WAMESIUS.

EPISTOLA XCII.

Magnifico ac Excellentissimis Viris & Dominis,

D. RECTORI,

Cæterisque Doctoribus & Magistris celebris

ACADEMIÆ LOVANIENSIS,

Dominis & Amicis Clarissimis.

S. P.

STudia literarum apud vos non solum quam maximè florere, sed etiam, quod nusquam quietius studeatur, Clarissimi Viri, læto animo audimus, minimeque vulgarem mole lætitiam percipimus & gratulamur vobis hanc felicitatem, quam diligentia & vigilantia vestra pavit, virtutesque conservant. De nostris literis nihil aliud scribere possimus, quod tamen dolenti animo facimus, quam quod solet de semianimis & languidum spiritum trahentibus. Quanquam hæc schola olim fuerit frequentissima, qua de re autem infrequentior sit facta, an in causa fuerit sinisteritas temporum hominumque, an dissensio animorum sive opinionum potius dissidium, quo nunc orbem concuti videmus, an tenuitas salariorum nondum statuere libet, certe experimur etiam in musarum rebus regnare fortunam, ita visum fatis, ne quid sit in rebus humanis tam undique felix, ut non aliquo veneno contaminetur. Sed speramus tempora commodiora. Nam sunt qui studia refrigescentia conantur excitare. Sane nobis magna est parata adversaria è Schola Ienensi hinc distante quinque mil-

milliaribus, quam instituerunt Duces Saxoniæ Vimarienses. Quamobrem nostrarum partium esse putamus, ne patiamur literas, quæ hîc languent, emori. Verum sine opera bonorum hominum parum efficiemus, maximè cum egeamus Professoribus, sine quibus nulla schola, neque institui, neque instaurari potest, atque audiamus nusquam majorem & paratiorem Professorum esse copiam quam isthic: Imploramus igitur M. & Ecell. V. subsidium, atque propter communia studia rogamus, ut demonstretis nobis hominem modestum, qui munus profitendi Græcè & Latinè apud nos suscipiat, quique velit diligentia dexteritateque docendi, ac morum integritate suam Professionem & nostram Scholam honestare. Atque ut res bona fide peragatur & omni fraude careat, & qui huc ad acceptandam hanc conditionem commigrare voluerit. Octuaginta thaleros Ioachimicos singulis annis promittimus atque numerabimus, ea tamen conditione, ut Lunæ, Martis, Mercurii, Iovis, & Veneris diebus, si feriati non fuerint, per duas horas græcè & Latinè doceat. Et si quid Itineris & viatici causa expositum sive consumptum fuerit, id ipsi restituetur quoque. In hoc officio nobis apprimè necessario M. & Exell. U. faciles fore confidimus, facietisque rei nostræ literariæ rem opportunissimam & gratissimam. Bene valete, Viri Clarissimi. Datæ Erphordiæ XII. Iunii. Anno CIↃIↃLVII.

RECTOR, DECANI, *Doctores*
& Magister Universitatis Erphurdiensis.

EPISTOLA XCIII.

Ornatissimo ac Eruditissimo Viro

D. SUFFRIDO PETRO, LEOVARDIENSI.

Reverendissimi GRANVELLANI *Secretario, Domino & Amico suo Charissimo.*

Bruxellam.

NÆ ego, Doctissime D. SUFFRIDE, Athenienſis illius Timothei rete mihi traxiſſe videor, cui nec cogitanti, nec ſperanti tanti amici acceſſio ultro & veluti dormienti in ſinum quodammodo, quod aiunt delapſa eſt. Iuvare me plurimum debere illi profiteor, qui me tam præclare apud te prædicavit, hoc eſt, qui tam amanter tibi impoſuit, plus etiam tibi ipſi, qui id adeo candidè credideris, ut ſola hac commendatione motus non modo offeras amicitiæ communionem, ſed etiam immortalitatis memoriam promittas, idque illi, quem vix credo tibi ſemel atque iterum viſum, ſane nulla familiaritate notum. Certe, tuum hunc animum niſi ex animo redamen, non ſum dignus amari. Adnitar igitur pro virili, ne & illum mei encomiaſten prædicaſſe pudeat, nec te prædicanti fidem adhibuiſſe pœniteat. Ut nihil aliud, certe mutuo amore quidvis præſtare poſſim, nec non interim queam pro mea mediocritate eſſe officioſus, ſi quando occaſio, detur, quæ utinam nunc detur, efficerem ut

ſcires

ſcires te non fungum amare. Quod vero polliceris te nomen meum literis tuis conſecraturum, adeo me commovit, ut diu neſcirem, ſerione an joco mihi eſſet accipiendum, dum hinc meam exilitatem, inde viciſſim literarum tuarum candorem, quibus nihil fuci, nihil falſi, ſubeſſe videbatur, contemplabar. Cum vero poſt liquidò perſpexiſſem te ſincero quodam mei amore ſentientem ex animo ac vere hæc ſcripſiſſe cogitabam, quid reſtat quam ut illum viciſſim immortalem optem, qui mihi tam impenſe immortalitatem favet. Sed etiam atque etiam vide, mi SUFFRIDE, ne nimis calidum ſit tibi hoc conſilium, neve noſtri amore abreptus quicquam ... operis tui, quod tibi forte eſt in manu œconomiam facias. Quid enim in me eſt, ad quod te filum orationis tuæ, niſi ex abrupto, adducere poſſet? Qua occaſione facies tantuli homuncionis mentionem in opere ſerio? Niſi forte in animo tibi ſit ignotis pro elephanto muſcam obtrudere. Animum igitur tam candidè candidum non modo amo, ſed etiam ſuſpicio & adoro. Quod offers officium tuum, perquam gratum eſt, & viciſſim habebis me ad omnia paratiſſimum. Clientis nomen non accipio, ſed amici, & eximii amici, quod nomen jam in amicorum meorum album retuli. Bene vale, ornatiſſime SUFFRIDE. Ex noſtro monaſterio *Lidlum*. XXIX. Maji.

Tuus devinctiſſimus Servitor & Amicus

ISBRANDUS HARDERWYK,

Abbas in LIDLUM.

EPISTOLA XCIV.

Ornatissimo Viro

SUFFRIDO PETREO, Frisio.

Literarum humaniorum Professori.

Erphordiam.

LIteræ tuæ, PETREE Ornatissime, mihi longe gratissimæ fuerunt, grataque profecto tua in iis amicitiæ nostræ nuper contractæ commemoratio, ejusque constabiliendæ, ut tu loqueris, voluntas. Ac, quantum quidem ad me attinet, nihil sane, aut optatius, aut jucundius esse mihi potest, quam in eorum amicitia conquiescere, qnos & virtutis & eruditionis laude ad veram gloriam posteritati relinquendam contendere conspicio; quo in cursu, dum & me socium præbere cupio præclarum esse duco, mutuis exemplis posse excitari etiam currentes, atque utinam, quod tu optas aliquando daretur in una eademque vivere civitate, quod quidem ego mallem istic, quam hîc fieri; quamvis tu paulo aliter sentire videaris. Sed crede mihi, si eam Provinciam deseras, atque huc te referas fore, ut brevi consilii tui pœniteat vehementer, nec enim tam brevi hoc, quod tu speras hic futurum prospicio. Equidem egi cum CYPRIANO VOMELIO, ut, si fieri possit, ad Germanicam aliquam provinciam me promoveat, nam vana sunt omnia, quæ hic possunt expectari. Vale. Lovanii IX. Kal. Aug. CIↃ IↃ LX.

BOËTIUS EPO *Rordahusius,*

Tuus ex animo.

EPISTOLA XCV.

Eruditione & modestia ornatissimo Viro

SUFFRIDO PETRO,

Literarum Professori.

S. P. *Erphordiam.*

LIteras tuas, SUFFRIDE ornatissime, pridie Iduum Septemb. accepi, una cum iis, quas ad HOPPERUM nostrum dedisti, quasque ille postero statim die ut legeret, à me curatum est diligenter. Quod successibus meis congratularis, amplector animi tui candorem. Certe eam vitæ rationem, DEI munere ducta uxore, ingressus sum, ut & honeste & eleganter in privato vitæ genere studiis meis consultum esse videatur, quo quidem ego à primis studiorum incunabulis nihil præclarius duxi, nihil ardentiori voto à summo DEO expetii: Itaque valeat ambitio, valeat aula, valeat fori strepitus. Ais tuæ te provinciæ ita tœdere, ut aut Lutetiam adire, aut Lovanium redire statueris; quorum prius si fiat, bibliothecam apud me deponere desideras, quod equidem lubens in tui gratiam facerem, quando sic tibi consultum videretur. At, mi SUFFRIDE vide, quam tui tuorumque studiorum provehendorum sim studiosus. Antequam mihi plane deliberatum constitutumque esset hîc figere sedem, oblata mihi erat ex commendatione HOPPERI provincia literaria per. D. N. ANTONIUM PERENOTUM, alias Antistitem Atre-

Atrebatenſem, nunc vero Cardinalem: ea hæc erat, ut ad tempus ampliſſimo ſane ſtipendio inſtituendos ſuſciperem filios *Paumgartneri*, negotiatoris Auguſtani opulentiſſimi, atque cum iis & Italiam & Galliam perluſtrarem. Petii itaque ab HOPPERO, ut, quoniam mihi eam ſuſcipere non integrum eſſet, te eo promoveret, addita commendatione homine tui amante nec inepte fortaſſe judicante digna: egitque ille hac de re cum Cardinali, ita ut jam non Paumgartnerianam conditionem, ſed longe ſplendidiorem ultro obtulerit Cardinalis præſente quoque VIGLIO Præſide. Hæc hujuſmodi eſt, ut jam ante biduum mihi ſignificavit HOPPERUS; ut nimirum tu ipſi Cardinali ſis ab epiſtolis, Amanuenſem vulgus vocat; & Librarius per triennium opera tua ipſi addicta, habeaſque menſem liberam cum Oeconomo ipſius, & in ſingulos menſes tres coronatos, cum binis veſtimentis in annos ſingulos. Ad hæc, ſi cælebs manere volueris, ſpe propoſita promotionis non vulgaris. De his ut tu quam primum certior fieres ipſe Cardinalis in mandatis dedit. Tu, ſi placet conditio, quam celerrime fac illinc te extrices, aut certe ſine mora tuam voluntatem nobis perſcribe. Nihil mihi moleſtius, quam hanc meam epiſtolam tam diu, ut metuo, fore in itinere, dum hinc primum in Friſiam proficiſcetur, ut ſic hæc provincia te ſemper per ſemeſtre & amplius manebit.

De Lucubrationibus in Ciceronis opera scribis; ea hujusmodi sunt, ut spem tuam minimè fallant: eruditissimum est seculum & ad *Erasmicum* stylum omnino nauseans atque fastidiens, præsertim apud Italos & Gallos & Hispanos, adeoque omnes & elegantioris & numerosioris pressioriſque dictionis paulo studiosiores & observantiores. Nihil autem humanæ menti proclivius, quam quæ sibi probentur eadem & aliis probatum iri putare, quanquam id judicium esse non dubito, ut nihil nisi quod elimatum sit & vulgi judicium vel potius eruditorum contemnere possit, temerè edendum statueris. Comperio enim & in me ipso juvenilem illum impetum ætatis maturitate retundi; quin alioqui plurima habeam parata, inter quæ & *jurisprudentia Ciceroniana*, quæ, si ante septennium habuissem, fortasse *digna Musis & Apolline*, &, ut Flaccus ait, *linenda cedro* juveniliter judicassem, ac nunc *Membranis intus positis delere licebit*. Hæc scribo liberè plane & candidè nihil aliud optans, quam ut Frisiorum nostrorum scripta & acuminis & judicii & nitoris laude apud posteros prædicentur: quod de tuis fore cum primis mihi debeo polliceri. Vale, mi SUFFRIDE humanissime, & BOËTIUM tui amantissimum existima. Lovanii Idibus Septemb. Anno à nato CHRISTO Liberatore, CIↃ IↃ LXI.

BOËTIUS EPO.

Roordahusius Tuus.

EPISTOLA XCVI.

Doctissimo & humanissimo Viro

SUFFRIDO PETREIO, Frisio.

D: Cardinali Granvellano ab Epistolis.

S. P.

IAm per multos dies nihil ex te neque de te: eò forte, quod indies me ipsum expectaris. Constitueram enim istuc exspatiari, at ego hactenus necessariis occupationibus domi retentus id facere nondum potui: facturus tamen propediem, fortasse crastino die, si scirem adesse HOPPERUM nostrum, quod nuncia, quæso, quam primum, si quem inveneris qui nuncium perferat. Interim uxori meæ isthac in Flandriam iter facienti hanc dedi ad te epistolam, cui adjunxi exemplar literarum HOPPERI, quibus te vocari jusserat, ut certior sis tandem de veritate eorum, quæ tibi ea de re tum significavi, quandoquidem retulit mihi nuper TACO tuus HOPPERUM non satis omnium meminisse, una tamen in re me lapsum memoria tum fuisse puto, quod pro singulis duntaxat vestibus in singulos annos, ut vides HOPPERUM designasse, ego binas, nisi fallor, nominaverim. Id accidit quod sola literarum illarum recitatione REGNERI TEGNAGELII, quem omnino puto binis pro singulis propter celeritatem pronunciasse, contentus nullum exemplum præ festinatione & lætitia perscribendæ ejus rei statim ad te tum mihi dari curabam: reliqua

omnia vides, quam non minora, sed majora sunt iis quæ paucis tibi indicabam, ne meum in te studium arrogantius commendare viderer. Tuum est conditionem eam ut oblata est ita constanter tueri, nisi ad tempus paulo secius tibi evenire tua modestia sponte pati velit. Fac plene cognoscam plene de rerum tuarum successu & de supellectili tua recepta, nec ne. Ad hæc si quid habeas de spe mea quam alias injecisti certius. Vale. Lovanii. XIV. Maji. Anno CIↃ IↃ LXII.

Tuus ex animo BOËTIUS EPO.

Inter alia sic ad Dominum REGNERUM TEGNAGEL scripsit IOACHIMUS HOPPERUS.

***. *Dixi supra me tandem ocium nactum ad scribendum, id, ecce, dum his exarandis occupor, interrumpitur, atque quod pluribus ad amicos epistolis decreveram hac una defungi. Scripsit ad me his superioribus diebus* BOËTIUS *noster de* SUFFRIDO PETREIO *Professore Erphordiensi, homine docto, una etiam mittens ipsius ad me literas, etquid ad Paumgartnerianam conditionem, cujus apud eum subinde memini, illum possim commendare. De ea re hoc velim* BOËTIO *à me dicas, me quanta potui diligentia caussam illius apud D. Cardinalem egisse, qui verbis meis inflammatus, non Paumgartnerianam, sed aliam multo luculentiorem conditionem per me proponi ei voluit. Etenim ut forte postridie convenimus D. Cardinalis, D. Præses & ego, cœpit ipse Cardinalis mentionem facere* SUFFRIDI *cujus negotium egeram, quærens, quibus moribus, eruditione, religio-*

gione, eloquentia ac statu esset. Cui mox respondi, quod & Præses probabat, hominem esse modestum, Linguæ Græcæ ac Latinæ valde peritum, à studiis juris & Philosophiæ Aristotelicæ linguaque Germanicæ non alienum, catholicum, facundum, annos natum xxxv. plus minus, Professorem Erphordiensem, cœlibem, & cætera quæ ad veras ejus laudes putabam pertinere. Quæ ubi intellexit, continuo rogavit, anne secum bonis conditionibus agere vellet; quod quia me aiebam ignorare, suspicari tamen non excusaturum, negotium mihi dedit, ut ad eum de ea re vel ipse scriberem vel scribendum curarem. Quæ præposita fuere, sunt, ut Librarius & Amanuensis sit Cardinalis & ad triennium se illi addicat, honorario, ut apud mos victum apud Cardinalem cum ipsius Oeconomo perpetuo habeat, præterque hoc in singulos annos singulas vestes & in singulos menses ternos coronatos aureos, quibus & nonnulla alia accedere, & maxime. Idem si vitam Ecclesiasticam sequi velit. Hæc, quoniam ipse ocium non habeo, velim BOËTIUM *ad eum quam primum perscribere, ut quid Cardinali respondeamus scire possimus, cui hujus partis epistolæ exemplum dabis.*

EPISTOLA XCVII.

Ornatissimo & Humanissimo Viro ac Domino

SUFFRIDO PETREIO,

LEOVARDIENSI,

D. Cardinalis Granvellani Secretario.

S. P. *Bruxellam.*

SUFFRIDE Humanissime, quod & candore, & studio in me tuo & amicitia nostra dignum est, dum tanta sedulitate, diligentia, cu-

ra denique mearum rerum commodis invigilas. Duacensium Legatus jam superiore die Dominico mihi provinciam eam docendi juris proposuit, & auspicium professionis jam ad Divi Remigii sumendum esse pro certo confirmavit, convenire se mecum posse negabat inconsultis D N. Præside & Domino HOPPERO, animum duntaxat meum expiscari volunt, quod si hoc unum certo præscire possem, quod tu scribis, Professiones non ante vernum tempus inchoandas esse, jam tute de rebus meis, quoad conducendas alias ædes, constituero; quare, ut id non incerto rumore, sed veris argumentis cognoscam, effice quæso quam celerrimè, si potes; Petii idem ab HOPPERO. Nam si certum esset, quod Legatus mihi de auspicando dixit, & deinde si mea esset conditio ob mensem unum aut alterum alias ædes sine maxima jactura, ut nosti, conducere non possem. De professione Latina & Græca? Quid si apud HOPPERUM experiaris, anne ulla ratione DN. Cardinalis in novæ Universitatis gratiam Duacensibus & quasi invitum & reluctantem concedere velit: mihi sane non videretur inconsultum. FACONIS tui ea mihi erit cura ubi huc eum miseris, ac si mihi frater esses germanus, eorum omnium quæ requiris diligenter per occasionem memor. Vale. Lovanii IX. Junii. Anno CIↃ IↃ LXII.

Tuus ex animo

BOËTIUS EPO.

EPISTOLA XCVIII.

SUFFRIDO PETRO, LEOVARDIENSI.

Viro Eruditissimo ac humanissimo

CÆLIUS SECUNDUS CURIO.

S. P. D.

TUas *Castigationes*, Optime SUFFRIDE, *in M. T. Ciceronis Officia* vidimus, tuamque in eadem præfationem legimus, in qua ostendis nequaquam priorum laboribus deterritum, quo minùs tuas in omnia Ciceronis opera vigilias sis editurus. Et quoniam ex illis paucis, de tota tua ratione corrigendi cognoscere facile potuimus, atque ex unguibus, ut dicitur, totum leonem æstimare, cupido sane haud parva incessit, etiam reliqua videndi, quod quidem non tam meâ solius caussâ fit, quam quod video cum literarum communi utilitate tuam quoque laudem non vulgarem conjunctam fore. Tecum igitur ego studio quodam atque ardore bonarum artium conjunctus etsi alioqui fortassis ignotus, te etiam atque etiam hortor oroque ne diutius tuos istos præclaros labores desiderari patiare. Quod si etiam de Typographo, qui eleganter & nitidò totum cum tuis lucubrationibus Ciceronem sit impressurus, me audire non abnuis, ecce tibi THOMAS GUARINUS civis & typographus Basileensis politissimus ac diligentissimus, qui hoc sit susceptorus & bona fide, DEO

bene juvante, perfecturus. Nec est quod existimes te cum homine ingrato acturum: ea enim est æquitate atque benignitate erga homines eruditos & in re literaria desudantes, ut non sit passurus te hac in parte hominis grati officium desideraturum. Quicquid igitur de toto hocce negotio constitutum habebis, nos facias quam primum certiores te vehementer etiam atque etiam oro. Vale. Basileæ Cal. Sept. An. CIↃ IↃ LXIX.

EPISTOLA XCIX.

Clarissimo Doctissimoque Domino

CÆLIO SECUNDO CURIONI SUFFRIDUS PETRUS, LEOVARDIENSIS, *U. I. Licentiatus.*

S. P. D.

CAlendis Septembribus anno superiori literas ad me dedisti, Doctissime CÆLI, quibus hortaris ut *Castigationes* meas *in opera Ciceronis* inchoatas porro absolvam, & easdem THOMÆ GUARINO excudendas tradam. Ad quas cur hactenus nihil tibi responderim in causa fuit, quod post diutinam in Frisia moram superiori demum Iunio Lovanium reversus eas acceperim. Nihil autem mihi gratius fuit, quam tibi homini in primis Ciceroniano meas lucubratiunculas probari, quas in Ciceronem paro. Itaque Hercule tua epistola mihi tantum calcar addidit, ut destiturus non antea

sim

fim, quam ad umbilicum perduxero, quod auſpicatus ſum, eritque non minima ejus emolumenti portio aſſcribenda tibi, ſi quod ex opella noſtra ad hunc autorem illuſtrandum redundabit. Multis annis me OPORINUS remoratus fuit, qui abſolutas & acceptas à me Caſtigationes meas editurus diſtulit, donec LAMBINUS præveniret, has ubi jam integras retexuiſſem anno CIↃ IↃ LXVII. in patriam revocor, ubi per factioſos quoſdam toto fere triennio hæſi detentus. Iam igitur & infortunio & mora animum fere languidum & fractum peroportune recrearunt, & ad intermiſſum ſtudium excitarunt literæ tuæ, ut quod moræ diuturnitate omiſſum fuit, id curarum vigilantia ſarcire geſtiat. Cum igitur ad Reip. literariæ utilitatem conſilia tua te referre non dubitem, non poſſum non libenter obtemperare tibi in eo etiam, quo me THOMÆ GUARINO potius, quam alteri cuivis opellas meas imprimendas tradere hortaris. Ideoque ſcripſi jam nunc ad eum literas, quibus facio certiorem quid à me exſpectare debeat, quas cum ille non gravatim, ut arbitror tecum ſit communicaturus, intelliges me conditionibus non iniquis cum eo eſſe acturum. Cupio igitur, Vir Clariſſime, ut qui ultro & nihil minus exſpectantem literis tuis humaniſſimis dignatus es, jam cupientem & obſecrantem me ſæpius inviſas, & in album amicorum tuorum penitus recipias: ego viciſſim operam dabo, ut amicitiæ legibus in te nuſquam

desim. DEUS OPT. MAX. te Reip. literariæ diu conservet incolumen. Vale Lovanii XXI. Augusti. CIↃ IↃ LXX.

EPISTOLA C.

THOMÆ GUARINO,

Typographo Basileensi.

SUFFRIDUS PETRUS LEOVARDIENSIS.

S. P.

CÆLIUS SECUNDUS CURIO superiori autumnali mercatu Francofordiano per literas à me petiit, GUERINE celeberrime, ut *Castigationes* meas, quas *in opera Ciceronis* post OPORINI mortem edere decrevissem tibi excudendas traderem, promittens de te in autore imprimendo diligentem industriam, tum in meo labore remunerando gratitudinem liberalem: cujus literas cum ego superiori demum Iunio post integri ferme triennii absentiam ex patria Lovanium reversus apud amicos offenderim responso hactenus prosequi non potui. Nunc igitur cum ejus viri, qui de omni literarum genere tam præclare meritus est, authoritas apud me tanta sit ut quidvis jubenti libenter obtemperaturus sim, non tergiversabor diu in eo, quod literis officiosissimè scriptis velut optimum factu suasit, nihil enim dubito, quin ille pro suo in literas humaniores affectu, si meas castigationes utiles fore Reip. judicet, idem quoque

que te judicet eas commodius in lucem editurum, quam cæteros, plane enim mihi persuasum habeo illum & tibi & mihi rei literariæ nomine ex æquo bene consultum velle: quæ quidem sententia si & tibi adhuc stat, uti tum stetisse puto cum ille hæc scriberet. Equidem jam hîc sum, & hortatu illius offero tibi quicquid in Cicerone castigando deinceps acturus sim. De diligentia tua sollicitus non ero, quam libri abs te castigatissimè excusi abunde testantur. Quod ad liberalitatem attinet remunerationis equidem gravis tibi futurus non sum, pecuniam nullam postulabo, libraria supellectili si me aliquando nonnihil instruere pro re nata voles eam non averfabor. Officia separatim excusa puto te vidisse, eadem ratione & cætera quoque separatim excudi velim, ut singulis autoris partibus peculiares tomi destinentur, donec omnibus ita vicissim absolutis opus integrum simul in majori forma edi possit: nunc autem in parte philosophica primum absolvenda pergam, quam ego tibi ad proximum mercatum vernum effectam dabo, prius enim non possum, tum & negotia plura sint & contractiores dies. Velim autem ut in unum tomum tum simul excudantur officia, modo te nihil impediat. Horum Officiorum exemplaria ego hactenus non nisi duo accipere potui, quorum etiam alterum fuit mutilatum, quod propter OPORINI mortem accidisse puto. Hîc autem nulla omnino reperiuntur. Facies igitur mihi rem gratam, si tria aut quatuor (modo istic sint) nunc ad me transmit-

mittas. Excudit olim OPORINUS *cum Interpretatione & Scholiis* meis *opusculum Plutarchi de educandis liberis*, quod ego recognitum simul cum philosophia Ciceronis ineunte vere ad te mittam, si voles excudere, exemplaria enim omnia, quæ excuderat OPORINUS, unis nundinis distraxit. Ex Plutarchi moralibus permulta verti, versurus etiam reliqua omnia si Codex Græcus emendatus haberi posset; fertur autem HENRICUS STEPHANUS eum diu pollicitus, qui si jam ediderit, quæso transmitte & pretium ascribe. Idem etiam in Demosthene facias, si LAMBINUS ediderit. His adde si quid præterea novum & eruditum forte editum fuerit, ut sunt PETRI VICTORII *Observationes novæ*, & si quid ejusmodi sit, quo Cicero peculiariter illustrari queat. Mittendi & remittendi ultro citroque inter nos quæ volumus, ego viam commodiorem nullam novi, quam per *Ioannem Plantinum*, aut *Arnoldum Mylium*, Birckmannorum famulum, tu, si expeditiorem noveris, indicabis. Bene vale, mi GVARINE & quid de his quæ Scripsi tibi placeat rescribe & CÆLIUM de me, quam potes officiosissimè saluta, cui & hasce literas tuis quæso involutas trade. Lovanii XXI. Augusti. An. CIↃ IↃ LXX.

CEN-

CENTURIA SECUNDA

EPISTOLARUM,

A B

ILLUSTRIBUS

E T

CLARIS

VIRIS

SCRIPTARUM.

Clarissimo Viro ac Domino

CAROLO LANGIO,

Canonico Leodiensi, amico suo.

SUFFRIDUS PETRUS,

U. I. LL.

ANno LXII. LANGI Clarissime IOACHIMUS HOPPERUS certior factus me in omnia Ciceronis opera moliri Castigationes, hortatus est, ut meas vigilias cum tuis conjungerem, quod in hoc stadio decurrendo te priorem esse, & magis instructum diceret, iis omnibus quæ ad præsens negotium rite absolvendum necessaria forent, quod quidem quo minus ego tum potuerim, in causa fuit, quod IOANNES OPORINUS jam anno antea absolutos labores suos in manu sua haberet, qui me sex integris deinde annis remoratus fuit. Nunc autem cum Clarissimus Vir, idemque mei tuique amantissimus GUL. CANTERUS ante dies aliquot mihi obiter indicasset, te nuper admodum, cum hîc adesses, de Castigationibus tuis Ciceronianis fecisse verba ac declarasse te justis de causis

cum

cum alio quovis eas cupere communicare, modo is talis esset ut ad publicam rei literariæ utilitatem promovendam & amicitiæ privatæ fidem conservandam non ineptus videretur, respondi, & me quoque eodem animo esse, & proinde prima quaque occasione de hac ipsa communicatione ad te scripturum. Ut igitur jam hujus rei nomine te interpellarem oportuna hæc profectio Cl. V. Dn. VICTORIS GISLINI fecit, qui mearum literarum sarcinam non detrectavit. Quod autem ad Castigationes meas attinet postquam LAMBINUS meam editionem sua prævenisset, OPORINUS mihi flagitanti vigilias meas remisit, quas ego ad incudem rovocavi & corrasis undecunque manu descriptis exemplaribus, de integro locupletavi: & cum notæ sint in universum opus comparatæ, majorem quoque notarum partem rationibus adjectis prælo jam præparavi. Nam cum post biennium relicto Cardinali Granvellano Lovanium reversus essem otium fuit profundissimum. Specimen industriæ meæ extat *in Castigationibus ad Officia* separatim excusis ab OPORINO Anno CIↃ IↃ LXVIII. quæ si non vidisti receptis abs te literis transmittam. Ex his igitur de utilitate publica ipse judicium facies. De amicitiæ legibus à me conservandis ne quid addubites, equidem fidejussores dabo communes amicos tres, STEPH. PIGHIUM; GUL. CANTERUM, & præsentem mediatorem D. VICTOREM GISLINUM; si plures voles equidem non detrectabo. Tuam

igi-

igitur optionem esse volo, utrum ne tu tuas mecum, anego vero meas tecum communicem. Plane enim judico alterutris dignum cumulum esse accessurum alterutrorum adjectione. Et ego cum nemine mortalium meas communicare malim, quam tecum, propter singularem tum eruditionem tum candorem tuum, quem in Castigationibus tuis editis representas. Mittam igitur omnia mea sine fuco, si voles, ad te ita uti sunt, & defungar hoc opere in totum libentissimè, aut si tu defungi mavis, ego humeros meos subjiciam non invitus, & quidquid abs re accepero, cum tui nominis incremento syncere & candide in lucem proferam. Tu igitur utrum malis elige, & per D. GISLINUM certi aliquid rescribe per quem ego jam parcius scripsi, propterea quod is tibi de meis rebus coram omnia melius referre poterit, quam ego literis quamlibet prolixis. Benè Vale. Lovanii Idibus Septembr. Anno. CIↃ IↃ LXX.

EPISTOLA II.

CAROLUS LANGIUS

Clarissimo Viro

SUFFRIDO PETRO.

CIceronis libros aliquot aliquando recognovi cum vetustis manu exaratis exemplaribus,

bus, bona quidem fide. Tu si voles his meis laboribus frui, nihil invideo, modo publicè prosim. Sed quia Ciceronis opera quibus usus sum duobus tomis tantum compacta sunt alterum quidem mitto inpræsentiarum, quod eo solo carere possum, fateor minoris esse momenti & minus ad rem tuam facturum, dabis tamen locum huic causationi meæ, quod reliquum est, mittam cum licebit. Ego enim partim Valetudinarius, partim rebus impeditus nullam continuam operam studiis do. Rogo te si quid in Svetonium usquam observasti vel exemplar aliquod vetus sicubi latere meministi, mihi indices. Vale & CANTERUM saluta de me, quem valde opto apud nos dies plusculos, feriit enim me cum primum vidissem, malo quodam non illo quidem quo Galatea, sed quo studiosi humanitatis omnes sese invicem alius alio pulchriore: habet enim ut mihi videre videor, modestiam quandam venerabilem, cum lepore conjunctam, qua nullum scio illicium vehementis. Iterum Vale, nam calamus nescio quo rapitur. Leodio III. Kal. Octob. aliud agens. In libris de Officiis & aliis, quos ego aliquando effudi duobus aliis exemplaribus usus sum, quorum non facio mentionem. Tu tamen ex ipsa editione videre potes, quid habeam. Gratissimum erit si D. VALERIUM salutes verbis meis, Virum, ni fallor, bonum in primis.

EPIS-

EPISTOLA III.

SUFFRIDUS PETRUS LEOVARDIENSIS THOMÆ GVARINO,

Typographo Basileensi.

S. P.

SUperiori mense Augusto scripsi ad te, GVARINE Celeberrime *de Castigationibus* meis *in Ciceronem*, quas anno præcedenti tuo nomine CÆLIUS CURIO scriptis literis à me flagitaverat: ac CÆLIUS quidem responsorias meas literis ad te datis inclusas morte præventus non accepit, tuas vero tibi redditas esse nihil dubito, cum perspecta sit ejus fides cui fuerant commissæ, miratus igitur sum cur & mercatu nihil ad me rescripseris, sed cum rationem temporis expendo facile occupationibus tuis id concedo; nunc itaque cum mei interfit aliquid habere certi, neque tibi quicquam prosit me diutius tenere suspensum, rescribe quæso quæ tua sit voluntas, ut aliis flagitantibus addicere possim lucubrationes meas, si tu nolis, quas ego propter intercessionem CÆLII tuas esse volui si cuperes. Benè Vale. Lovanii. v. Decembr. Anno. CIↃ IↃ LXX.

EPISTOLA IV.

Clarissimo Doctissimoque Viro ac Domino

DIONYSIO LAMBINO, MONSTROLIENSI, SUFFRIDVS PETRVS.

S. P. D.

CUm doctissimus hic juvenis ORICHIUS DOIHEM Istæ Italiam petiturus mihi indicasset, LAMBINE clarissime, se summo desiderio teneri doctos Galliæ conveniendi, arripiendam occasionem duxi, qua & illi & mihi, & fortasse tibi quoque aliqua ex parte commodarem. Quanquam enim ante multos jam annos visis ac lectis tuis lucubrationibus merito te semper magni fecerim, tamen & ex quo tecum in eadem palæstra exerceri cæpi, crevit amor erga te meus, præsertim cum videam cursus meos judicio tuo non prorsus improbari. Oblata igitur jam hac oportunitate literis meis te salutare volui, ut & tibi percontandi de me quæ velles & ORICHIO tui conveniendi facultas esset. Ex illo igitur tu cætera, quod ad palæstram nostram attinet. THOMAS GVARINUS ad me scripsit ex nundinis expectari vernis abs te, quæ jam tum sub prælo esset, alteram Ciceroniani operis emendationem. His nundinis ille ad me misit exemplar excusum Venetiis apud *Aldum* anno superiori, quod & MURETI & tuum & PAULI MANUTII nomen præfert. Sed quia literæ ab illo aut non

sunt

sunt additæ aut saltem interceptæ, fit, ut de tuis conatibus hactenus plane sim incertus, qui nec aliunde quidem expiscari quicquam potui. Cupio igitur ut me certiorem facias, utrum ne me præcedere te an subsequi malis in editione Ciceronis. Nam cum habeam in illum authorem parata jam illa, quorum specimen in Officiis exhibui, tradam ea typographo, si tu paratus non sis, quia nihil dubito, quin tibi itidem ac mihi placeat ea conditio in promovenda re literaria, ne alter alterum impediat. Rogari me per amicum quendam nuper voluit is, cujus nomen tu taceri mavis quam celebrari, essem ne iniquo animo laturus, si & ipse aliquid inciperet in Cicerone? Respondi, Me nequaquam iniquo animo esse laturum illum quoque aliquid incipere in Cicerone, modo ipse non iniquo animo ferret, me perficere in Cicerone quod cepissem. Mihi enim in communibus autoribus operam communem necessariam, & ab ea suscipienda proinde atque perficienda neminem deterreri oportere persuasum semper fuit. Qua in re nec te quidem à me dissentire satis apparet ex scriptis tuis. Sed illi non videtur eadem esse mens. Quanquam quod ad Ciceronem quidem attinet, ego nihil aliud illum quam verba fundere existimem. Tu igitur, mi LAMBINE, scribe quæso quid nobis de tua editione expectandum sit, & si quid me vicissim tibi præstare velis impera. Literas autem tuas Antwerpiam ad *Plantinum*, Typographum transmitte, qui facile porro huc eas diriget: Vale. Lovanii IV. Kal. Decemb. Anno CIↃ IↃ LXXI.

EPISTOLA V.

DIONYSIUS LAMBINUS SUFFRIDO PETRO, LEOVARDIENSI.

S. D.

ORichio, qui mihi tuas literas reddidit, omnia, quæ in mea potestate sunt, detuli, omniaque adeo mea patefeci, quia eum mihi commendaveras, si opera mea uti volet, si consilio, si re ulla mea, meum erga se officium & studium non desiderabit. De Ciceronis editione, vellem literæ tuæ mihi ante essent redditæ, quam, quod jam pridem omnibus nationibus pollicitus sum, præstare incepissem, consilium omne meum abjeciissem potius quam te præcurrere voluissem. Nunc cum literæ tuæ ad me tum perlatæ sint, cum res non esset integra, cum primum volumen scriptorum Ciceronis, quod Rhetorica continet pene ad finem perductum esset, dabis mihi veniam, si rem inceptam de manibus ponere non possim, cum præsertim hoc negotium ex alio quoque arbitrio pendeat, non solum ex meo. Non enim te præterit etiamsi velim id quod cœpi inchoatum relinquere: tamen typographos & bibliopolas, quorum sumptu res geritur ut id fiat non passuros. Sed nihil te hoc conturbare, aut ab eo quod instituisti, revocare debet, licet enim tibi, quamvis nostra Ciceronis editio incœpta

sit

sit tuam nihilominus maturare & typis mandare: & tuorum laborum tuæque industriæ mercedem ac fructum nihilominus consequare. Nihil enim tibi obsto, neque fructum quem speras atque exspectas virtutis atque ingenii tui præoccupo. Utrique nostrum unum & idem propositum est, quemadmodum tu ipse præclare scribis nempe ut literarum studiosis consulamus, & linguam Latinam illustremus latini sermonis Auctore Principe in suam integritatem restituto, & fortasse quod neque ego solus, neque tu efficere poteramus, nos communi studio eandem incudem tundentes, atque in idem studium incumbentes consequemur. Quare, mi SUFFRIDE, perge ut cœpisti, & tibi persvade me quicquid facturus es, sive me antevertas, sive sequâre tuum factum probaturum. Malim tamen, ut tibi quod sentio libere dicam te una mecum si paratus es, quando in eodem stadio currimus, uno tempore è carceribus exire, & hoc laudabile spatium decurrere, ut cum ad metam pervenerimus, utrique nostrum præmium aliquod, sed tibi præcipuum, & eximium tribuatur. De illo quem scis à me nominari non libenter laudo, quod ita, ut ad me scribis ei respondisti, qui te illud idem de editione Ciceronis rogarat. Omnino illum meritò odi, homo est improbis moribus & ingenio fero atque immani, quod nisi eum talem esse mihi compertum esset, injurias illius in me non invitus ei condonassem, ut & condono. Sed cum talis sit, qualem omnes qui cum eo

aliquid rei contraxerunt, cognoverunt, ut eum amem, inducere animum meum non possum. Amo enim modestiam, pudorem, fidem, humanitatem & similes virtutes: superbiam, impudentiam, injustitiam, perfidiam, inhumanitatem acerrimo odio persequor, & quamdiu vivam persequar. Hæc habui, quæ tibi ad literas tuas responderem. Te, si me tua amicitia dignum esse judicas & si me tibi in amore pariter responsurum speras, ut me ames valde rogo; ego quoque me tibi eam quam potest amicissimus homo in quenquam præstare benevolentiam præstaturum recipio ac spondeo. Vale. Lutetiæ a. d. VII. Kalend. Ianu. Anno CIↃ IↃ LXXII. Scripsi hæc præproperans as cum me hinc ORICHIUS exspectans urgeret, hinc Plautini Commentarii, quos habeo in manibus, occupatum detinerent. Iterum atque iterum Vale.

EPISTOLA VI.

Amplissimo Viro ac Reverendo

D. LEVINO TORRENTIO

Archidiacono Brabantiæ & Canonico ad S. Lambertum Leodii,

SUFFRIDUS PETRUS U. I. L. S. P.

SUperioribus hisce diebus cum DN. M. HUGONEM BONTIUM officii gratia convenissem, Archidiacone dignissime, vidi translationem doctissimi cognati tui LIVINEI, quacum

cum ego supra modum delectarer, mox improvisum hoc gaudium meum inexspectata mors CAROLI LANGII relata mirifice discussit, non solum ob Reip. detrimentum, quam ille si vivere potuisset, magnopere juvare posset, sed etiam ob privatam quandam necessitudinem inter me & illum contractam. Cujus nomine tamen eo minus mihi dolendum esse intellexi, quod humanitas tua velit, prudentia possit, non mihi tantum, sed & quibus vis aliis subvenire in eo quod æquum sit. Ideoque ne tuas occupationes diu morer paucis expediam: quid hoc sit in quo tuum auxilium implorem. Anno superiori octavo die Iulii cum hîc esset piæ memoriæ D. CAROLUS LANGHIUS a me utendum sumsit, pollicitus intra duos menses remissurum, manuscriptum codicem, membranis colligatis, in forma ut vocant quarta, in quo codice erant officia & paradoxa Ciceronis & Hyginus & ni fallor quædam alia. Transmiserat autem hunc codicem ad me Colonia huc interposita fide sua *Arnoldus Birckmannus*, ea conditione, ut, cum ego eo usus essem, istuc remitterem, ut Bibliothecæ restitui posset, unde sumptus est. Cupio igitur, dignissime Domine Archidiacone, ut Codex hic, qui Domino LANGIO usui amplius esse non potest ad me prima quaque occasione remittatur, ut ego, qui nondum eo ipse usus sum primum fructus speratos, ex eo percipiam & deinde meam atque *Birckmanni* fidem restituendo liberem. Deinde est hîc apud me volumen unum

unum CAROLI LANGII in quo sunt operum Ciceronis posteriores tomi duo excusi, Basileæ apud Hervagium & ipsius LANGII manu castigati notis ad marginem adjectis ex collatione manu scriptorum Codicum. Promiserat autem & alterum volumen se missurum cum primum mihi eo opus foret, quod ego propter superioris anni motus Belgicos non petii. Nam cum uterque nostrum in Ciceronem laborasset, uterque etiam labori defungi cuperet, ego illi optionem detuli, ut aut mea ipse acciperet, aut mihi sua traderet, quæ in hunc authorem collecta essent, ille liberari maluit, ut & literæ ultro citroque scriptæ & GUIL. CANTERUS & VICT. GISLINUS nonnullique alii eruditi testari possunt. Tui igitur nunc erit arbitrii, ut aut alterum volumen istud ad me transmittas, aut hoc recipias una cum laboribus meis; quos ego nec libenter nec gravatim impartiam, si quis est, quem tu huic operæ deditum cognoveris, quoniam tamen LANGIO viventi operam meam pollicitus sim, præstabo etiam defuncto, si voles, nec detrectabo pro utroque volumine restituendo fidejussores dare, quos voles, ne quis te, non præstiti officii arguere queat; ideoque facias hac in re, quod optimum facto judicaveris. Denique pervenit ad manus meas ante aliquot hebdomadas autoris incerti *MS. Chronicon Episcoporum Tongrensium, Trajectensium, & Leodiensium*, quod ut hactenus in lucem nunquam editum puto; ita tamen ut edatur ob ingentem antiquitatis memo-

moriam digniſſimum eſſe judico. Sed cum ultra annum CHRISTI CIↃ CCCCII. non pertendatur ſupplemento opus eſt, quod ego quidem libenter adjicerem, ſi auctorum ſubſidio fultus eſſem. Nam *Placentius* ille, quanquam centum & quatuor annos expleverit, non placet, qui plurium ſcriptorum epitomen congeſſit, nimis aridam & jejunam, tibi autem difficile non eſſe puto aliquid ſuppeditare, quo conatus noſtri adjuventur. In his igitur quæ dixi, Archidiacone Digniſſime, ut votis meis pro tua humanitate benignè ſatisfacias etiam atque etiam rogo, nihil veritus ne beneficium conferas in me ingratum, cui nihil accidere jucundius poterit, quam ut aliquo gratitudinis officio tibi penitus innoteſcere poſſim. Si quid igitur miſſurus es, id quæſo mittas vel ad Cognatum tuum, qui has tranſmiſit vel ad DN. M. H. BONTIUM, & ſimul ſcribas quid me tibi viciſſim præſtare velis. DEUS OPT. MAX. amplitud. dignitatemque tuam ſemper in majus ac melius augere dignetur. Lovanii. Anno CIↃ IↃ LXXI. XVII. Maji.

EPISTOLA VII.

Venerabilibus Viris

D. DECANO & CAPITULO *Divæ MARIÆ Trajectenſis &c.*

Sincerè in CHRISTO dilectis.

VEnerabiles, Syncerè in CHRISTO dilecti: Sunt apud nos ſtudio juris incumbentes TI-

BE-

BERIUS MARTNA, utriusque Juris Licentiatus, Magister IOANNES MOMME Canonicus Ecclesiæ Beatæ Mariæ Trajectensis, confrater vester, Io. HERLINGEN & IOANNES STRUYS, qui nuper circiter festum divi Martini ultimè præteritum, subducentes se extra portas oppidi Lovanienſis deambulandi gratia, inciderunt in colloquium cum quodam incola illius loci, & ut postea compertum est, pessimo nebulone, à quo post longum & varium sermonem, ut fit, de via ultro & citro habitum, invitati fuerunt in sequentem aliquem diem hora ad recreationem animi invicem constituta. Profecti autem postridie, ut dictum fuit, reppererunt illum nebulonem in omnibus quæ ad recreationem facere potuerunt officiosum: à quo cum sub vesperam domum repetere vellent donati fuere aliquot cuniculis, sed dolosè: nam paululum progressi, ecce, apprehenduntur à Forestariis & Officiariis Dominæ de *Chievres* pro furibus cuniculorum ac publicis nemorum depopulatoribus, & in carceres detruduntur: à quibus post quartum tandem diem media cautione, quam præstitit Magister SEVERINUS FEYTEN de HERLINGEN confrater noster, redimuntur, & causa deinde coram concilio dictæ Dominæ discussa innocentes reperti dimittuntur, & absolvuntur, verumtamen non sine laboribus & expensis. Attendite quæsumus quid fecerit perversus ille nebulo, quomodo imposuit nostris Scolasticis, corruptus, ut dicitur, pare caligarum, eosdem more

Isca-

Iſcariotis prodendo, vendendo & tradendo. Habenda igitur eſt ratio eorumdem præſertim quod non fuerint in dolo, ſed ne in culpa quidem aliqua, niſi quod crediderint tam facile tali impoſtori, adoleſcentes ſiquidem & ad hujuſmodi impoſturas proclives. Itaque ſi ex his Magiſter Momme, Confrater veſter non ſatisfecerit ad unguem juratæ reſidentiæ ſuæ pernoctando ſcilicet extra pomœria Academiæ noſtræ, attribuetis illud imprudentiæ, neceſſitati & improvidæ adoleſcentiæ. Quod ut facere velitis illum charitative & fraternaliter tractando hortamur & majorem in modum oramus. Interea valete in CHRISTO nobis reſcribendo. Lovanii die XI. menſis Maji. L. D. XXI.

RECTOR & UNIVERSITAS
Academiæ Lovanienſis
PALUDANUS.

EPISTOLA VIII.

Eruditiſſimo Viro

GULIELMO CANTERO.

Venetias.

CAROLUS SIGONIUS GULIELMO CANTERO S. Ex proximis literis tuis in ſpem veni, fore brevi, ut te Bononiæ videam. Qua quidem in ſententia omnino perſiſtas velim, videbis enim urbem cum pulcherrimam ac nobiliſſimam, tum vetere ſtudiorum ac literarum fama, laudeque florentem. Quod ſi feceris, quem

quemadmodum tibi faciendum esse censeo, cave cujusquam hospitio utaris, quam SIGONIANO. Non erit, ut spero, à rationibus itineris, ac peregrinationis tuæ alienus Bononiensis iste Congressus. Bibliothecæ Venetæ videndæ, si adhuc Clarissimus Vir BERNARDINUS LAURETANUS, qui ejus custos est, copiam tibi non fecit, fac meum ad eum nomen alleges, eumque qui sis, & quam mei cupidus, doceas. Neque enim ille pro suo erga me amore, quanquam occupatus, tibi quidquam denegare audebit⌣. Adde, quod cum ipse eisdem, quibus non, devinctus studiis sit, tum ingeniis excellentissimis mirificè favet⌣. Vale Bononiæ. XVI. K. Aprilis M. D. LXVII.

EPISTOLA IX.

Ornatissimo Doctissimoque Domino,

D. IOANNI AXELIO;

In Metropolitano Ultrajectensi Templo Canonico ac Thesaurario, nec non Ejusdem Ecclesiæ Præpositi Vicario generali, Domino & Mœcenati suo.

S. P. *Ultrajectum.*

IUssisti quum Trajecto discederem, Ornatissime Domine, ut datis ad te literis, subinde initam non ita dudum amicitiam foverem⌣. Verum quum propter sublata inter Hollandos cæteraque Provincias commercia, rari sint qui hinc ad vos proficiscantur, Ultrajecto nobis expectandi sunt nuntii, si quid eò mandatum cupi-

pimus. Ego certe qui tuam amicitiam, loco ſummi beneficii habere debeo, ingratus eaque indignus omnino haberer; ſi in ea colenda, peccarem negligentiâ, quod ne fiat, pro virili adnitar, tum tamen liberius, audaciuſque quum tuis è literis, id tibi non ingratum fore, intellexero. Quæ abeunti commiſeras, diligenter curavi, ut te ex literis Domini *Petri Dammais* intellexiſſe ſcio, qui tua commendatione tanta me animi benevolentia proſecutus eſt, ut plus deſiderare non potuerim, quare vel hac ſolum de cauſſa, me tibi plurimum devinctum fateor, quod in humaniſſimi optimique viri familiaritatem amicitiamque me inſinuare dignatus fueris. Confirmavit is mihi, quæ jam antea ex tuis literis, Romæ ſcriptis, didiceram, omnesque Adverſarii dolos narravit, qui cum auro ac amicis valeat, ſine dubio diuturnam gravemque litem intentaturus eſt, quam tamen te facile contemptaturam ſcio, ſi ad Theſaurariæ poſſeſſionem, pervenire potueris, quod imprimis tibi eſt conandum, ea tamen cum fiducia, ne hyemalibus diebus, niſi à ſole tenebris bene diſcuſſis, unquam temere fidas, ut jam dudum es admonitus, memor ſemper veteris proverbii: *Neſcis quid ſerus veſper vehat.* Ac Didonis Virgilianæ, quæ *Omnia tuta timebat.* Quod reliquum eſt, congratulor tibi, Ornatiſſime Domine, dignitatis adeptionem, utque felix fauſtaque ſit poſſeſſio precor. Diſcedenti mihi DEUS iter ſecundavit nullo uſpiam hoſte obvio, conſpectove. Moleſtum fuit, quod quum octiduum

um octiduum Arnhemii frustra justum comitatum expectassem, tandem pedes Antwerpiam iter conficere cogerer, capto per *Helmout*, Endoviam, ac *Tournhout*, longissimo sed felici circuitu. Novarum rerum hic nihil habemus, nisi quod Gallia parturire quid putatur, ac timeatur, conciliatis ibi inter se partibus fœdere Punico. De Albani successore prudentiores mihi desperare omnino hîc videntur, ac proinde bellum in Hollandia malis artibus cœptum, gestumque pejoribus adhuc protrahendum, ac tandem horribili superstitum cum servitute finiendum, timent. Languent adhuc Mechliniani, ignari, quid de ipsis Rex sit decreturus, sed Probe vires pro tempore resumunt. Vestris de rebus tanta hîc indies mendacia sparguntur, ut Ægyptiacis tenebris sint crassiora, nisi quod de clade navali in sinu meridionali accepta, ac captivitate Comitis de Bossu, Domini in Crunyngen, multorumque aliorum nobilium, cæde aut captivitate, constans multorum literis ac relatione fama, fidem nobis, proh dolor summo animi cum dolore fecerit. Verum *Omnis ferendo superanda fortuna est. Duremus, dabit DEUS his quoque finem.* Rogavit me *D. Petrus de la derriere*, num D. Ioannem Axelium in summo templo Ultrajecti Canonicum', novissem: affirmante me, atque brevi ad te scripturum dicente, instanter pro veteri notitia ac familiaritate me rogavit, ut quam officiosissimè suo nomine te salutarem, quod quum me facturum recepissem, ecce nunc exolvo. Ad me

quod

quod attinet, recte satis valeo, proinde si qua in re hîc mea opera Doctiss. Domine tibi usui esse poterit, uti ac pro arbitratu abuti licet, ac ut facias rogo. DEUS OPT. MAX. te diu nobis incolumen servet meque albo tuorum clientum inscriptum postremo non esse loco sinas precor, compensaturus quamdiu aliud non potero, hanc tuam gratiam assiduis ad DEUM precibus ac præcipue cum sacra faciam. Rursum vale, Ornatissime Doctissime Domine, ac D. *Henrico Simonis* ejusque conjugi, contubernalibus tuis, meis verbis salutem plurimam dicito. Mechliniæ Octavo Kalend Novemb. anno restitutæ salutis, CIↃ IↃ LXXIII.

Vestræ Dominat. addictiss. atque ex animo tuus, ut suus

PONTUS HEVYTERUS.

Quum has obsignare pararem interpellavit adventus, Domini *Iohannis Back*, apud quem quum familiariter vinum biberem, tui mentione quam honorifice facta, narravit, quid in negotio D. Præpositi de *Bousso* egisses, communicavitque literas, quibus prædictus D. Præpositus te in Archidiaconatus dignitate, sibi vicarium statuit, manu propria subsignatas, ac sigillo communitas, expectabatque fabri operam, qui majus sigillum sculpebat, quod tibi mitteret, quo absoluto, una cum literis *Back* erat transmissurus, utrumque fortasse ante has meas literas accepturus. *Conjurationem* meam *Gorinchomianam* ædere non statui,

nisi oppido ad antiquam Regis obedientiam redacto, qui necessarius conjurationis finis est futurus.

Repertum est hoc carmen Bruxellæ in valvis regiis

CREVIT IN IMMENSUM QUOD SOLET ESSE NADA.

EPISTOLA X.

Reverendo Domino

IOANNI HOGELANDO,

Decano Ecclesiæ nostræ Beatæ MARIAE Trajectensis cum primis in CHRISTO nobis dilecto.

HEroicam animi tui virtutem, atque cordati pectoris dexteritatem, Reverende Domine DECANE, memorando commonstrasti exemplo: qui non contentus cum tuo Capitulo, præter votum, omnemque spem, privatim nobis gratificari, cæteras etiam Ecclesias, ea qua polles auctoritate & suadela, in beneficentiæ ac liberalitatis erga nos vestræ consortium perduxeris. Ea propter nos tibi tuoque Capitulo tantum debere profitemur, quantum vix ab ullo grato homine refundi queat, certe quidvis nobis potius defuisse cernetis, quam paratissimam de vobis benemerendi voluntatem. Qua de re fusius in literis nostris ad quinque Ecclesias. Valeat Dominatio Vestra ævo semper optato atque felici, suisque confratribus plurimam dicat salutem, nostro nomine, nec non plurimam gra-

gratiarum actionem, nullo unquam tempore abolendam. Batavoduri. IV. Aprilis. Anno CIↃ IↃ LXVI.

FREDERICUS,
Archiepiscopus Trajectensis.
Ex animo Vester.

EPISTOLA XI.

HERMANNUS van ZANTHEN HUBERTO DUYFHUYS.

S. P.

SAlve plurimum eximie atque eruditissime Domine HUBERTE, mitto per præsentem responsum ad literas tuas, nunc abundantiore per infirmitatem ocio concesso manu propria tandem exaratum, quod ipsum nuper aliena descriptum, mox ubi tuas perlegeram ad ædes vestras deportari jusseram, sed cum renunciaretur te foras abiisse redditum authori suo fuit. In quo si veritatem divinorum eloquiorum per omnia sequar (quod ipse quam maxime velim, nec hominum quorumcunque judicia formidabo, quibus non servio sed CHRISTO, nec te (nisi desipis) refragantem habebo. Sin autem à veritatis ipsius tramite vel minimum contigerit aberrare (est enim omnis homo mendax sicut scriptum est) edoctus salutis viam, de qua LIBERATOR noster, *Angusta & ardua est*, inquit, *via, qua ducit ad vitam*, & quod ignoran-

ter tenuí, libenter deferam, & quod DEO docente salubriter didici velut obedientiæ filius prompte suscipiam. Quod si fortassis non tam adversus sententiam tuam, quam ex tuis verbis præscriptam opinionem, videbor pugnasse, hoc ipsum putari vel dici non molestè feram, modo fidei veritatem eandem ambo teneamus, & uti DEUM, atque adeo CHRISTUM ipsum dividere non possumus, sic neque plures ipsi magistri fieri, quod B. Iacobus Apostolus prohibet, velimus, neque fides plures aut confingamus ipsi aut confictas alijs annuntiare tentemus unus DEUS, unus CHRISTUS, una fides. Simus ergo perfecti in eodem sensu & eadem scientia solliciti servare unitatem spiritui in vinculo pacis. Nam quod opinantur hodie complures esse tempori subserviendum, & de religione catholica remittendum nonnihil publicæ tranquillitatis obtentu, pulchrum quidem & improbis plausibile videri potest consilium, iisque pergratum, qui vel spe gratiæ vel metu indignationis principum amittendarumve facultatum semper ad partes pro tempore valentium declinant. Sed mihi probari nullo modo potest, qui divinis sum edoctus eloquiis, condescendendum quidem infirmioribus, sed ût eosdem ab erroribus revocemus, non ut nos ipsos eorum erroribus misceamus. Alioqui quis nescit cum de veritatis custodia tractaretur Apostolum exclamasse, Quibus nec ad horam cessimus subjectionis gratia, ut veritas Euangelij permaneret apud vos? Qua de re pulchrum & egregium extat D. Basilij respon-

ſponſum Hiſtor. Tripart. lib. VII. cap. XXXVI. quod brevitatis cauſſa prætermitto. Miraberis fortaſſe quo conſilio tam multo ante paratam reſponſionem deſtinare diſtulerim. Accipe igitur moræ noſtræ atque diuturni ſilentii duas præcipuas cauſſas. Intelligebam circa id tempus, quo te hinc proripuiſſe cognoveram, hoc abs te inter alia peti, ut, exemptus à poteſtate & jurisdictione eccleſiaſtica, cui te DEUS ſubdidit, ſæculari poteſtati ſubeſſes: quæ petitio, ut verum fatear, mihi vehementer diſplicuit, eo quod neque in ſcripturis ſacris, neque in CHRISTI aut Sanctorum exemplis ullum ejus extaret documentum, nec idoneum mihi videbatur, ut populum ad obedientiam ſuo principi vel magiſtratui divino jure debitam hortaretur, qui propriæ poteſtatis jugum ſuperbo tumore detrectaret, & acceptæ pro CHRISTO legationis oblitus & ſacramenti ſui prodigus à miſſione ſua (citra quam nemo recipi debeat) proprio judicio palam excideret per hoc quod ἀνεφάλως eſſe vellet. Accedebat ad hæc, quod te in civitatem paſtoralis officii cauſſa reverſum audirem, jam non obſcurè nec latenter contra catholicæ religionis dogmata diſputantem, ſed apertè atque manifeſtè adverſus illam ejuſque cæremonias ac Sacramenta tum moribus & habitu, tum ore ſacrilego & verbis impiis oblatrantem & obſtrepentem. Hæc ut omittam, alia non ſine magiſterii divini authoritate fecerunt, ut ineptum videretur congredi tecum & labor irritus ac nullus effectus tuam rabiem tractatibus coercere,

ideoque suppressis his, quæ dudum scripseram, conticui penitus, & impatientiam patientia vici, verecundius ac melius existimans errantis imperitiam silentio spernere, quam loquendo dementis insaniam provocare. Verebar enim magis contradicendi studio, quam voto discendi disputationem ineundam, quod que clamosis tandem vocibus personans malles tuam imprudentiam ingerere, quam nostra patienter audire. Sed enim cum sentiam gementibus bonis ex nostro silentio malos vel uti triumphum ante victoriam canentes insolenter elatis cornibus exultare, ultra tacere non oportet, ne jam non verecundiæ sed diffidentiæ esse incipiat, quod tacemus, & dum errores impios contemnimus refutare, videamur impietatem approbare. Respondemus igitur, & tibi pariter & cæteris, quos tu forsitan concitasti, & adversum nos odia, tuis maledicis vocibus, seminando comites tibi plures radicis atque originis tuæ pullulatione fecisti. Quos tamen sermonis nostri admittere credo rationem. Nam ut rectissimè Cyprianus, ait, contra Demetrianum, *qui ad malum motus est mendacio fallente, multo magis ad bonum movebitur veritate cogente.* Vale in DOMINO frater & mecum veritatem invenire quærendo, atque inventam aperire docendo labora. Datum Trajecti CIↃ IↃ LXXVIII. 1. Decemb.

Tibi deditus

HERMANNUS van ZANTHEN.

EPISTOLA XII.

Excellenti & Magnifico Domino

D. PHILIBERTO BRUXELLÆ

Regiæ Majestatis à secretis Consiliario in summo Senatu Bruxellis.

S. P.

EXcellentissime D. mirareris fortasse literas tibi à Becano adferri homine in hoc genere molestiæ negociique amicis exhibendi quod ociosis salutationum lectionibus quotidianarum capi solet minime ambitioso : nisi statim inspecto nomine meo causam scribendi intelligeres tametsi nihil amplius adderetur. CHRISTOPHORUS PLANTINUS importune urgendo & datis etiam duobus sumptu suo scribis adjuvando coegit ut ea quæ *de Antiquitatibus Antuerpiæ & Atuaticorum*, qui primi urbis conditores fuerant, in adversarys habebam, studiosis omnibus communicarem. Cui hoc lubentius consensi quod Magistratus Antuerpianus, dum nihil videret in lucem edi, me nihil eorum quæ mandaverat vel affectum vel perfectum habere arbitraretur atque ea causa aperte mihi quod permiserat honorarium negaret. Accessit eodem sinistra quædam sycophantarum calumnia, quam licet apud tres pastores Antverpiæ præcipuos idoneis & gravissimis testibus impudentis & nefariæ falsitatis convicerim, nihil tamen putavi clarius apud omnes demonstraturum, qualis essem, quamque religionem tenerem, quam hæc ipsa, de

quibus ago, adversaria; sive istas quas in manibus habere te intelligo, ex tempore à me effusas potius, quam scriptas commentationes. Quamobrem, cum CHRISTOPHORI & mea interfit, ut quam fieri poterit citissime, lucem videant, oro atque obsecro, ut hac in re favorem tuum, quem semper in me propensum existimani calere proinde atque nostras preces & properandi studium feruet, sentiamus. Verum quia CHRISTOPHORUS retulit nihil esse quod Senatum istum amplissimum moverit ad onus legendi hæc nostra scripta, quam quod vereantur vix posse Antverpiensem historiam scribi citra offensionem, certiorem te reddo prorsus me nihil de imperii cum regia majestate controversia attigisse atque adeo ne historiam quidem scripsisse, sed antiquitates duntaxat ad Diodori & Dionisii Halicarnassæi imitationem, qui dum Romanorum res gestas describere proponerent prius antiquitates à prima origine inquisiverunt: Et ne passim per totum volumen summo tædio & incerto itinere sit vagandum dicam breviter capita summa rerum, quas singulis libris tractavi. Primo itaque Antverpiam Atuanicum esse doceo a Cimbris Tentonisque ante mille si sexcentos annos conditum, adjunctis omnibus iis quæ eodem tendunt, vel ad confirmandum vel ad illustrandum, addita etiam in fine antiquis urbis fanis. Secundo rejicio eorum stolidam vel opinionem vel fabulam qui Hantwerpiam à manuum projectione dictam volunt & Brabantiam à Brabone, quod melius ut faciam,

am doceo unde Brabantia vocetur ac deinde Marchionatus antiquissimam originem ostendo quam tantum abest, ut imperio Germanico alligem, ut doceam etiam tempore Gallieni imperatoris Marcæ nomen in hac regione celebratum fuisse. Hinc ad fabulosum gigantem hujus urbis transeo, ac ne odiosa esset scriptio ex hypothesi ad thesin argumento deducto in universum contra receptam vulgo de Gigantibus opinionem ago; in quo dum cubito omnia fere mensurantur corpora, de ejus magnitudine contra illos disputo, qui eum in sacris literis incertum fecerunt, adeo ut in arcæ dimensione unum cubitum sex valere dicant, atque ita necessitate quadam rapior ad arcam accuratius & verius tum delineandam, tum metiendam, tum etiam ad verba Hebraica accommodandam, quam quisquam hactenus fecerit; quibus post adiiciuntur, quæ falso de priscorum hominum proceritate creduntur. Tertio libro rursus contra aliam opinionem pugno, qua plerique omnes viri docti usque ad IULIUM SCALIGERUM etiam crediderunt hanc totam regionem ex illuvie Mosæ, Scaldis & Rheni accrevisse, non aliter atque omnes de Ægypto uno consensu scribunt. Doceo igitur contra omnes nec hanc regionem nec Ægyptum à fluminibus invectam, & quia Aristoteles & cœteri ex Homero; ut ita sentirent, videntur hausisse, monstro ab iis poetæ versus perperam esse intellectos qui de flumine exundante non de mari perpetuo egit, ac commonstro ab eo causam inundationis Nili

fuisse perspectam addito neminem hactenus incrementi causas vere tradidisse ⁀. Quarto lib. Cimmeriorum antiquitatem aggredior & quo id citra molestias faciam eorum, qui gravibus, ut videri volunt, auctoribus nixi contra atque ego sentiunt; prius novem libellos antiquarios falsis titulis se venditare doceo demonstratione irrefragabili, inter quos sunt præcipui Berosus, Manethon, Metasthenes, Archilochus, Myrsilus, Cato cum aliis inferioris notæ, Fabio Pectore, Sempronio & Xenophonte de æquivocis in quos omnes *Annius* scripsit commentaria ejusdem fidei. Hinc Cimbros & Cimmerios alio nomine à Comero sive Cimmero & hunc à Iapeto Noachi filio deduco, docens una unum solum non multa diluvia fuisse, quibus ut lucem adderem, adieci quibus nominibus Noë apud Poetas sit vocatus & qui ejus filii Iapet & Cam explicatis plurimis, quæ hactenus perperam tradita sunt à Macrobio Ovidio & cæteris de Saturno, Iano, Chamese & festis & templis & ritibus Romanorum ubi plurima mysteria aperiuntur, quæ confirmant aperte ea omnia quæ Mosis historia continentur de diluvio, adjectis manifestis etiam symbolis, quibus Christus venturus docetur etiam ipso tempore consignato, quæ hactenus omnia vel à nemine sunt attacta vel perperam intellecta ab iis, qui ea tetigerunt ⁀. Addo deinde concordiam novam inter eos, qui de ætate mundi scripserunt à nemine etiam quod legerim, audiverimue cogitatam ostendens inter Ægyptios, Chaldeos & He-

Hebræos vix esse discrimen triginta annorum ac postrema libri clausula maximum Funci & Iosephi errorem prodo de ætate Semi, Iapeti & Cami. His positis initiis temporis notatione, qua Gomer vixit, explicatisque illius ævi monumentis ad quintum librum accedo, quo hæc continentur, ubi Gomer primum habitarit; quod ut sciatur necesse fuit intelligere ubi arca quieverit, qua in re ab omnibus hactenus erratum. Hoc igitur demonstro Mosis auctoritate à Iosepho & eum secutis vel non bene animadversa vel male intellecta vel saltem male applicata. Addo unde arca venerit, ubi fuerit facta & unde Noe ad locum, quo fabricata est commigrarit & quam longe à Paradiso. Ubi fuerit paradisus, quod docetur tum per alia tum per arborem scientiæ boni & mali hactenus à nemine vel cognitam vel demonstratam, additis miisteriis & symbolis planè divinis & à nemine unquam animadversis, quibus tota historia de pomo Adæ intelligetur. Hinc ejecti homines quo migrarint addo, dum Noachum ad locum fabricæ deduco ac deinde ad locum in quo quievit à diluvio, monstrato quo loco invenerit vinum, explicatis etiam fabulis aliquot Poetarum de Noacho scriptis & non intellectis. Addo etiam quomodo illa prima ætas vocata, & quo sermone usa, atque ad eum sermonem voces primorum hominum interpretor, quas quidem reliquas habemus in bibliis, quæ hoc sunt mirabiles quod & in prima lingua suas rationes habeant optimas artificiosissimasque &

præ-

præterea in Hebraica etiam lingua ſua contineant myſteria & vaticinia, ſic Deo in confuſione diſponente ⁀. Et hæc quidem hactenus, cætera reliquis libris omnia ſimiliter nova futura nec aliunde emendicata, quibus & poetis & hiſtoriographis & geographis plurimum adferetur lucis & adjumenti. Atque ita per analyſin exorſus ac deinde rurſus per ſyntheſin finiens ab Antverpia ad primos Antwerpienſium auctores & eorum primos patres adſcendo, ac hinc perpoſteros paulatim rurſus ad eandem Antverpiam redeo Cimmerios per omnia loca, quæ ante habitarunt, quam huc venirent, deducendo Hæc obiter ſunt librorum argumenta, quibus perſpicum fit, nihil hæc facere ad reip. ſtatum vel controverſias regnorum ⁀. Oro igitur ne hæc excuſatio aut potius juſta legendi, uti viſa eſt, de libri titulo, cauſa diutius me & CHRISTOPHORUM demoretur. Ubi libri excuſi fuerint curabimus, ut per ocium minore moleſtia cognoſcere poſſis, quæ tradamus, ſi modo tantulum temporis à ſeriis poterit decidi. Vale patrone mi in primis colende, & qualem te ſemper erga me habui, talem velim hac in re experiri. Uxori non poſſum quin de veteri familiaritate ſalutem adſcribam. Iterum vale duodecimo Decembr. Antverp.

Tuus

IOANNES GOROPIUS BECANUS.

EPISTOLA XIII.

IOHANNI DRUSIO.

Londinium.

NOn evincet morbus, mi DRUSI, ut non ſcribam: hoc tantum evincet, ut breviter. Nam ego adhuc ex veteri illo morbo langueo nec facile vires aut valetudinem totam recupero, per hanc hiemem. In te amo amorem, qui pariter te impulit ad ſcribendum & res tuas mihi ſignificandas; cui eæ certe curæ. Etſi, ut ais, nihil adhuc firmum⌣. Nec tamen ambigo, quin honeſtus tibi brevi locus apud honeſtiſſimam & humaniſſimam gentem⌣. Ad quam quod me quoque Generoſus D. DIERUS evocat: erigit me & recreat tam effuſa benevolentia. Sed qui poſſim hoc tempore & hoc morbo? Alioqui non nego quin jamdiu mihi deſiderium, qui pleraque Europæ loca vidi, luſtrandæ tam vicinæ & tam laudatæ regionis. Quis ſcit ſi neceſſariò fiet aliquid hac æſtate? Nam res noſtræ turbidæ, minari neſcio quam in propinquo tempeſtatem videntur, quæ eiiciet multos bonos. Videbo & pro me ille DEUS. Interea tu, mi DRUSI per amiciſſimum noſtrum, (ita audeo ſcribere) DIERUM, Illuſtriſſimo Comiti Leiceſtrenſi, Illuſtri D. Walſingamo, ingentes dicito gratias: quibus benigne viſum hunc adfectum eximium erga ignotum hominem induere: qui haud multum de re literaria meruit niſi volendo. Nam ad di-

vam

vam illam manum, quæ audacia mea, si adspirem? Ego vero procul positus, hoc (fas mihi ita dicere) numen veneror: quo clarius nihil natum scio in illo sexu. Vale & nos de rebus tuis serio certiores fac. Reverendo Viro D. WITTAKERO si eum vides, salutem: quem amo ex scriptis & miror. Ante omnes Generoso D. EDUARDO DIERO; cum quo cæpta mihi hic amicitia, meo quidem animo æternabit. Leidæ. XI. Kal. Decemb. CIↃ IↃ LXXXIV.

Tuus ex animo

I. LIPSIUS.

EPISTOLA XIV.

IOHANNI DRUSIO.

Franekeram.

SAlve, mi DRUSI. Paucis diebus à tuo discessu, librum quem vides & ad te epistolam accepi, ab AUG. THUANO AYMERIO, Viro docto & mihi amico. Quid desideret, tu videbis: ego illud, ut in occasione prima respondeas, & literas ad me mittas. Qui eas porro Lutetiam curabo. Constare enim illi de fide mea volo. In hac re illi mihique rem gratam facies: qui te amamus. Leidæ XI. Kal. April. CIↃ IↃ LXXXVIII. D. LYDIO salutem multam dicito, cujus liter. here accept. prima occasione respond. Nunc nimis impedior.

I. LIPSIUS *tuus.*

EPISTOLA XV.

IUSTUS LIPSIUS HADRIANO VANDER-BURCH,

Graphiario in Curia Ultrajectina.

Ultrajectum.

VAlde benigne me provocas, Vir ornatiſſ. & ad amandum & ad ſcribendum⁀. Quorum alterum nunc facio : alterum olim. quia revera amavi te & æſtimavi, ex quo tempore verſus tuos legi non falſos indices elegantioris ingenij & doctrinæ. Addo fratrem tuum virum egregium, & in me ſic amicum, ut ejus cauſſa amandos mihi omnes putem, qui ad illum. Ut ſi in te cauſſa amoris mei non ſit (quæ eſt largiter) ſumere poſſim ab illo. Itaque vere & ſerio hoc ſcito, redamari te à me; cultum te à me iri ſcriptione, literis, cum res feret, alloquiis & omnigenere officiorum hujus inter amicos. *Nota* tua *in Propertii verſibus* acuta & proba. De Silio & Rufo, non obſcurum, vitam ſine admota ullâ externa vi finiiſſe eos pertinaci abſtinentia à cibis. Vale vir prudentiſſime, & brevitati huic ignoſce, cui languor meus cauſſa. Nam diuturnus ille morbus meus ne nunc quidem dimiſit⁀. Lugd. Bat. XVII. Kal. Ianv. CIↃ IↃ LXXXV. D. Decanum fratrem tuum valde à me ſalvere velim⁀. Exemplar hîc tibi adjunctum centuriæ epiſtolarum quam nunc emiſi, habe ut novæ amicitiæ noſtræ arram⁀.

EPIS-

EPISTOLA XVI.

IUSTUS LIPSIUS LAMBERTO VANDER-BURCH,

Decano ad S. Mariam Ultrajecti.

REverende Domine, & libros à te & literas jam binas accepi, ac respondissem ad priores dudum, nisi aura hæc nautas tenuisset, per quos non literas solum mittere cogitabam, sed Valerii adjunctos libellos. In quibus facta honesta tui mentio, ut beneficiis merêris. De judice Bibliothecæ, te amo. nec quid velim, scribo: quia spero brevi me illuc venturum, & acturum coram. Interea humanitas hæc tua in me & literas jure grata: cum qua utinam aliqua re pariare possim. Animus est ... rè, imò supereſt. De hospitibus qui domi tuæ non ex tuo voto, doleo. Sed turbas è turbis vides, & cathenata, ut sic dicam, Belgicæ nostræ mala. Quis præter magnum illum medicum medeatur? Sanè increscit morbus, & utinam mutatio aliqua finem ei adferat, non intritio rerum? Illud speramus, hoc veremur. Apud nos jam nunc aula, quæ rectâ ad vos iter habet. Quæ caussa me quoque avocat à scribendo, salutationibus & ejusmodi officiis crebro nimis interpellatum. Salve Vir Amicissimè cum D. Graphiario fratre tuo, àme IUSTO LIPSIO, qui æternum vester. Lugd. Bat. III. Id. Mart. CIↃ IↃ LXXXVI. Prima opportunitate plerosque è libris tuis aut remittam aut ipse feram.

EPISTOLA XVII.

IUSTUS LIPSIUS ADRIANO VANDER-BURCH.

Ultrajectum.

AMor hic tuus me delectat, quem epistola tota spirat. Cui respondere mihi cum aliis rebus certum est, tum inprimis amando. Scriptiunculis nostris delectari te merito gaudeo, cum ex eo sperem nec aliis eas abjici: idque magis, quod placent tibi nec recentes. Nam CONSTANTIA sanè nostra gratiam novitatis nunc perdidit. Molior; & jam pœne ad exitum perduxi POLITICA DOGMATA: quæ Principatum formant atque etiam firmant, non improba futura, spero, apud probos. Cum edidero, videbis. Omnia jam parata & excusa, præter NOTAS. Sed valetudo langvidior sæpe me tardat, aut arcet à scribendo. Quam utinam instaurare mutatione aëris & peregrinatiuncula possem paullò magis longinqua! Animus valde propendet, & videbo quid vires & res meæ permittant. In Gallia res turbidæ valde. Et opida plerunque, id est, vires regni, alienarunt se à rege. Exitus in DEI manu est: sed ego video rem ire ad præsagium quod expressimus in CONSTANTIA nostra. Vale vir clarissime, & Rev. Viro D. Decano fratri tuo ex animo salutem, à me dicito item D. CANTERO Consuli, cui ante biduum respondi. Leidæ. x. Kal. Iul. CIↃ IↃ LXXXIX.

EPISTOLA XVIII.

IUSTUS LIPSIUS LAMBERTO VANDER-BURCH.

REverend. D. Decane; Scripsi nuper abunde satis de consiliis meis ad te & CANTERUM. Nunc sum Leodii, & spero me illic hibernaturum. Gratum mihi erit à vobis audire aliquid. Uxorem jussi ad me venire. Plura nunc non licet: te & Fratrem & CANTERUM ex animo saluto. Etiam D. Prætorem ZULENUM, si est occasio. x. Iul. CIↃ IↃ XCI.

EPISTOLA XIX.

IUSTUS LIPSIUS LAMBERTO VANDER-BURCH.

Reverende & Nobiliss. Domine,

ITa nullas à me literas? non mea hæc culpa, sed temporum aut latorum est, quià certò ad ante menses aliquot scripsi & benigne epistolæ tuæ respondi. Absit ut mihi elabaris: qui in animo & pectore isto es, atque eris, quamdiu ego in rebus humanis. Sed nec in scriptione tardus aut lentus esse soleo: non certe ad tui similes, quos stilo libenter adeo atque alloquor, cum non licet lingua. Tamen non ingrata mihi querela tua est, etsi injusta; quia caussam fontemque Amorem habet, nec literas meas cuperes, nisi valde cuperes mihi. Quod autem

me

me hortaris ut incurſum illum Weſtphali in me contemnam: feci, & facio, & quamvis ad procacem libellum nullum adhuc nos verbum. Nec ſane faciemus. Cum illo frutice me componam? Muſas noſtras cum illo rure? plus ſapio, & quanquam incitantibus quibuſdam ſtili hujus aciem nunquam diſtringam in illum. Hoc fateor, cum libidinem hanc atque etiam licentiam calumniandi videmus, haud valde incitari nos ad ſcribendum aut edendum: niſi quod Natura & Genio tamen impellimur communicare cum aliis ingenii hujus, ſiquæ ſunt, dotes. Itaque grande & nobile opus ſuſcepimus FACEM HISTORICAM, quod valetudine tamen meliori atque etiam loco egeat ad abſolvendum. Nam nos Leodici, ſed temporario & inſtabili domicilio ſumus; nec librorum hic nobis copia, quæ ad conſummandum opus, Videbo quæ facies afflictæ Belgicæ futura hac æſtate ſit: ſi ſit turbida & mæſta, jure deſperem de ea & conferam me ad externas gentes. Haud libens ſane, & maluiſſem vergentem hanc ætatem in patria agere ac traducere: ſed DEO & fatis, qui pugnemus? De Pace, ut vides deſperata ac depoſita actio: & belli adminiſtratio lenta eſt, nec pro guſtu multorum. Nec in Gallia quidem feſtinatur. Ad ſummam turbæ è turbis, & niſi DEUS reſpicit, quid niſi manſuræ noſtrum hoc ævum, Certè vitia ſic exigunt; quæ etiam ſine materie creſcunt, & Belgæ noſtri ſunt, quod mireris, in ſumma inopia luxurioſi, in afflictione ſuperbi. Itaque DEUS faciet quod ſolet, &

quod dixit, Eccl. XII. *Impiis, & peccatoribus reddet vindictam.* Interea tibi quoque otium hoc gratulor, & quod in navim Reip. non es, in qua pauci boni. Perge cum in aliis tuis studiis, tum in cœpto illo opere, quod præclarum futurum auguror, uti vidi fundamenta. D. APSOVIUM, qui tuas mihi reddidit, tua causſa familiarem & amicum habeo. Brevi ad Fontes eo, qui utinam plene & firmiter mihi sint salutares! Fratrem tuum D. Graphiarium ex animo saluto. Vale. Leodici, III. Id. April. CIↃIↃXCII. ADAMUM LEEMPUTIUM rediisſe jam ad vos arbitror, rogo ut mea causſa benè illi velis.

EPISTOLA XX.

IUSTUS LIPSIUS N. N.

Domine Secretarie;

MUltis nota est familiaritas noſtra. Ideo multi operâ meâ apud te utuntur, quidam fortaſſe abutuntur. Ac neſcio an inter poſtremos hic nobilis Anglus. Qui ſerio cupiit interponi meum nomen apud te pro immunitate, quam p'enam ambit. Si potes ei gratificari, & niſi cauſſæ juſtæ tibi ſunt aliter ſentiendi, velim IUSTO tuo hoc des: quem ſcis eſſe TUUM.

EPIS-

EPISTOLA XXI.

IUSTUS LIPSIUS *IANO DOUSA.*

SAlve mi Dousa. Qui ſcidam hanc tibi tradet, Hermannus Drews eſt: is cupit, & merito, finem aliquem cauſſæ ſuæ imponi. Quam ex eo intelliges aliam ſanè, quam hactenus putavimus. Miſeret me hominis, qui nunc ſaltem, juvandus, ut ne ultra fluctuet. Commendo eum tibi, & cætera ſervo in ſermonem. Cum tua iterum ſalve.

EPISTOLA XXII.

IUSTUS LIPSIUS *IOANNI HEURNIO.*

Magnifice Domine Rector,

PEto uti velis negotium dare D. Vulcanio Secretario ſcribendi ſcedulam immunitatis pro D. Plantino membro & Typographo Univerſitatis, quâ immunis ſit in advectione ſupellectilium, veſtium, &c. ex legibus & privilegiis Univerſitatis. Concipi ita debet formula ut valeat in futurum & in præteritum. Id ut fiat intra horam aut alteram neceſſarium eſt ob ſubitum diſceſſum nautæ. Si placet Magnif. T. mittat ad Vulcanium per hunc ipſum puerum.

EPISTOLA XXIII.

IUSTUS LIPSIUS ADAMO LEEMPUTIO.

UNa cum tuis gaudeo, quod incolumen te patriæ restituerit benignus ille DEUS. DEUS inquam, & illi soli incolumitatem tuam inter tot viarum discrimina debes. In iis qui illum timent, verum est quod Spartanis olim à Pythio editum, Καλὸν μῦθός τε καὶ κλῆρι θεὸς παρέστασαι: atque ille suos contra vim, contra insidias, tegit amplo illo providentiæ suæ scuto. Imo tunc quoque cum nos perdit: & bene, si perimus illi, qui nos fecit. Quod de filio serio agis, gratum est: atque ego serio respondebo cum ero in solitudine mea Spadana. Illuc brevi imus. O si ibi tu? DEUM meum testor, vellem. Sed quod ad filium, mi LEEMPUTI, monstraveris te esse patrem, & cura quæ ea quæ non ad corpus solum sed quæ ad animum, id est verè ad ipsum. Audi virum, quem publicè & privatim tibi sæpe laudavi; *Arist.* II. *Ethic.* ὁ μικρὸν διαφέρει τὸ ἥπως ἢ οὕτως ἐυθὺς ἐκ νέων ἐθίζεσθαι, ἀλλὰ πάμπολυ, μᾶλλον δὲ τὸ πᾶν. *haud parvi refert, sic an sic statim à juventute informari: imò plurimum, aut potius in eo omnia.* Profectò quæ vulgus liberis procurat ac relinquit, vana aut infirma omnia; hoc immortale tenue, quod tangit partem illam immortalem. De pecunia nolim te sollicitum esse. Nihil festinamus, & nautam retinent, ut intelligo, aquæ supra so-

solitum abundantes. Mirum est, quam Iupiter Pluvius regnum hic tenuerit ⌣; si apud vos, nonne cum magno detrimento? Sane hic perpetuo pæne fuit, ut cum Poëta magno dicam, ὁμίχλη ἀελιομάχε ὀπιδι. Vixi lustra supra octo, non similem memini κατακλυσμόν. & mirabor si is sine insigni detrimento jacentis & palustris vestri soli. Nos, ut dixi, brevi spadam; sed aura tenuit atque etiam nunc tenet sicca sed aspera: atque si aliquid in valetudine firmi, dabimus brevi quæ te atque alios juvet vidisse ⌣. Nam tempora me non frangunt; contra valetudinem ne mens quidem potest; & quamdiu terra succumbit terrenæ huic feci; certe quatenus actiones istas edit ministerio sensuum & corporis instrumentorum ⌣. Si WILTIUM vides; illum, qui olim apud me, saluta; etsi de valetudine aliter (aliquid audisse videor) suade de his Aquis; sic tamen si Pater & securitas permittant. Vale, mi LEEMPUTI. Saluta uxorem tuum & Socerum; Itemque D. Decanum & CANTERUM, ad quos nuper scripsi. VI. Idas Majas. CIↃ IↃ XCII.

EPISTOLA XXIV.

IUSTUS LIPSIUS ADAMO LEEMPVTIO.

SCripsi ad te, nihil responsi. Non moveor, modo ut meas acceperis, & constet tibi idem pro parte mea de pecunia factum. Id enim signi-

nificavi. Addidi de filio promissum: quod ne nunc quidem exsequor, sed tua culpa. Scire enim progressum ejus volebam, & verè debebam, ut dirigerem porro in reliqua vita. Alias fiet. Imò quid si aliquando apud me fiat? Nam ego cis paucos dies Lovanium; quo animus me jam dudum, & nunc Ordines atque etiam civitas vocant literis & oblationibus perhonestis. Sed ut rem tibi dicam, res ibi ægrè expeditur, id est solutio & pecunia; & ut nunc administratio est, navis nostra hæret in illo vado. DEUS & tempus medebuntur; nos interea nostro succo. Tu, mi LEEMPUTI, quid? Animosum te velim, cætera adsunt. Si turbant te communes istæ turbæ; cum exemplo & excusatione peccas, sed tamen peccas. Communis & vera est illa consolatio, quæ in magno poëta obvia: —Τὰ μὲν ἄρπυιαι ἐπίκλωσαν θεοὶ αὐτοί. Dii inquam (DEUS potius) sic voluerunt; non potes, non debes, non dico aliter facere, sed velle. Post nimbos, soles; & ii aliquando nobis elucebunt, vel exemplo sit hæc æstas continuo nimbosa & turbida, nunc quam splendet? Spadæ nos fuimus, nostro bono; majore, nisi iterum fugassel ille, qui nuper. O malum fatum! Sed hoc quoque ferendum, quoniam — κακὸν μακάρεσσιν ἐέλδειν. Sumus in studiis, quibus solitudo quidem amica est, sed non ita ut fructum eorum eliciat, atque illa protrahat in lucem. Videbimus cum incertâ sede. Te & Tuam & Tuos valere interea mihi votum; votum & videre. Non despero, nec quisquam

qui

qui res vero modulo Prudentiæ metitur. Vale Leodici IX. Kal. Sextil. CIↃ IↃ XCII. ORANUS te amat & sæpe meminit, & salutat; LAMPSONIUS (heu, quid homo est?) tam à tribus mensibus animo & corpore deficitur, atque illo ita cecidit, ut non dicas esse eundem. DEUS nos serva, vascula è luto & allidit nos minimus casus.

EPISTOLA XXV.

IUSTUS LIPSIUS LAMBERTO VANDER-BURCH.

REv. & N. Dom. Primas tuas literas in hac urbe lubens vidi; utinam tempora ferrent ut aliquando ipsum te! Sed quid speremus? Labuntur omnia præter bonorum vota aut mentem: & tu de diu turno bello jam præsumpsisti. In quo tamen tecum non sentio, & hæc ipsa finiendo illi erunt, quæ videntur esse alendo. Luxus ille fortunæ corrumpet imperitos ea uti. Ut crapula quosdam necat, sic affluens felicitas perdit, & præsertim in tali gubernatione, & tali causa. Plura non dico. Mihi spem aut vota longioris vitæ valetudo non tribuit: tamen fallor, aut videbo his oculis sensibusque meis mutationem. A Gallia vos & Europam reliquam pendere, non est prudentioribus ignotum; atqui res tibi satis bonæ bonis. Amplius tibi dico, lento pede procedere soliti nostri reges, sed firmo. Ab annis sexaginta fundamenta jecerunt magnæ fortunæ: & *Deus* mirificè cottidie auget. Lusitaniæ & Indiarum adjectio pondus & momentum habet supra quam æstimemus. Sed satis de publicis.

Ego

Ego valetudine sum qua soleo, imbecilla, paullo tamen per aquas meliore. In studiis jam DE CRUCE libellos tres absolvimus, quos brevi habebis. Totum illud supplicium explicavimus, & una multa, quæ ad Historiam sacram, & Dominicam mortem. Tuum quoque opus procedere gaudeo, & si miseris partem (uti scribis) libens videbo, & dijudicabo. Fratris filium quod mihi commendas, velim posse quæ vultis. Sed, mihi crede, juventus hic fluxis moribus est, & ad lasciviam proclinatis, nisi quidem freno melioris disciplinæ & custodiæ stringantur. Ipsum ego bis, ter, vidi, & honestum repperi in gestu & sermone; spero & reliqua talia esse, atque ut sint adnitar quantum in me erit. Patrem ejus ego saluto amanter & CANTERUM nostrum. Est apud vos ADAMUS LEEMPUTIUS vir probis & antiquis moribus, qui comes itineris mei fuit. Amo virum, & velim mea quoque causa ames. Lovanii. IX. Kal. Octob. CIↃ IↃ XCII.

EPISTOLA XXVI.

IUSTUS LIPSIUS ADAMO LEEMPVTIO.

Herbipolem.

LIteras quas postridie Idus mensis ultimi dederas, accepi demum XVI. Kal. mensis primi. Tu considera an non justa mihi admiratio imo & querela fuerit tam diuturni silentii tui, qui

qui nec hoc quidem sciebam, ubi esses, & an esses. Nam à discessu tuo, nullum de te verbum. Itaque, ut cum Homero dicam, πολλὰ φρεσὶ μερμηλίζοντα invenerunt tandem literæ tuæ & levarunt omnis curæ. Herbipoli te esse, & ex voto tuo esse, gaudeo. Sed quam diu mansurus? Ego censebam festinare te debere & mentem ac pedes ad tuos reflectere, qui avide exspectant. Ita enim è RAPHELENGIO juniore intellexi, qui nuper mihi adfuit, atque istinc Antverpiam iit. Ratio etiam ita vult, quæ non doctrinam illinc petere sed testimonium suadet. Parens quidem tua inclamet — πῆ δ' ἰθέλεις ἰέναι πολλὸ ἐπὶ γαίαν μένος ἠΰ ἀγαπητόν. Sed hæc pro re administrabis, atque etiam pro famâ, quam non censeo negligendam. Nos etiamnunc Leodici, & id facile per te suspicaris. Quo enim me moveam cinctus undique & quasi circum vallatus his turbis? Uxor tamen nuper Lovanium ivit, ad res domesticas expediendas, tum etiam spe loci præparandi, si tamen quietis aut securitatis ulla spes sub hanc æstatem. Vix adhuc videtur, maxime cum Batavi pertinaciter ac pænè proterviter (ita nunc audimus) actionem omnem rejecerint de pace. Sed in Gallia si quid secundi facile ponent animos istos qui ex nuperis successibus nimium tument. Ita me DEUS amet (& tu scis) faveo genti isti: quæ utinam in tempore se & sua respiciat & honeste redeat, unde inhoneste discessit. nisi facit, ὤιμοι, μέγας θησαυρὸς ὠς ἀνοίγνοτιν κακῶν; malorum, inquam, quæ & sibi & vicinis

nis ſuis concinnant, terminanda tamen denique in ipſis. Nos identidem in Italiam vocamur, atque etiam Romam: ſed nondum mihi animus trans Alpes, nec temere de patria deſperabo, atque in ejus limine hærebo hanc etiam ætatem. Si nihil fit Germania me habebit. Familiarem te illic piis doctiſque viris eſſe, gaudeo: inter eos P. NICOLAO SERARIO, quem, oro, à me ſalutes Nomen mihi ejus Moguntiæ innotuit. Salutant te ORANUS, LAMPSONIUS, tui memores: atque imprimis ego. Quem æternum tibi, fide & benevolentia, quam in itinere oſtendiſti, habes obſtrictum. Atque ego *Iſthæc dicta te experiri & operis & factis volo.* Vale & de rebus tuis porro ſcribe. Leodici XV. Kal. CIↃ IↃ XCIII. Literas Ultrajectum curabo, per ordinarium noſtrum, qui nunc abeſt. Si quid aliud voles, fiducia amicitiæ noſtræ, petes audactar. Pallium tuum væniit ſeptem florenis, caligas tribus. Eam pecuniam ego accepi & in rationibus meis pones.

EPISTOLA XXVII.

IUSTVS LIPSIVS HADRIANO VANDER-BURCH.

GRata mihi memoria mei tua, quam & ſcriptione & munere teſtaris. Sed munus ipſum, id eſt libellum, nondum accepi, & negat latrix ſe habere: itaque de eo nondum aliud poſſum, quam me expectare. Ego verò & te & fratrem tuum illic amo, & hunc, qui hic eſt,

est, colo, valde in me benignum & pronum. Sæpe jam experior. De Republica nihil tango, nec opus est, nec in animo lubet: privatim inter nos amemus, quod facturum me spondeo, & à me quoque hoc nuncia (cum salute) tuo fratri Decano. V. CL. Vale. Lovanii prid. Id. Febr. CIↃ IↃ XCV.

EPISTOLA XXVIII.

IVSTVS LIPSIVS HADRIANO VANDER-BURCH.

ALloquium tuum quam mihi gratum est, tam vellem occupatio & valetudo permitterent semper & promptè respondere. Affectu certè facio, qui locorum aut temporum intervallo in te aut fratrem nihil mutat. Hoc ei, quæso, dicito: & adde de carmine me satis facturum, si quid alacre aut Musicum valetudo permittet: quæ sane ab his amænitatibus jamdiu abduxit. POLLIONEM sic inopinatò abiisse, caussa filii doleo, quem ut amore, sic sensibus, optem mecum consentire. Sed heus tu, quid vos illic de consilio isto Regis novo, inopinato, & pæne supra fidem? atqui fidum certumque est, & recta ad exitum ibit. Utinam eas res tamdiu abjunctos vos jungat! utinam aditum & comercia, sed & convivia mutua aperiat! vivere in hac senescenti ætate novam incipiamus & juvenilem vitam. Sanè si hæc fideliter & feliciter patrantur, quid nisi caussa omnis dissidiorum & suspicionum à stirpe est excisa? Bonis & sapientibus facile persuadeatur,

tur, utinam & potentibus, quos DEUS eò flectat. CANTERUM & WILTIUM amicè saluto, imo & CANTERUM filium (ut audio & gratulor) jam patrem. Lovanii. v. Id. Decemb. CIↃ IↃ XCVI.

EPISTOLA XXIX.

IUSTUS LIPSIUS LAMBERTO & HADRIANO VANDER-BURCHIIS,

fratribus.

DAtè veniam, ut una scriptione utrumque alloquar & compellem: quid ni? Fratres & unanimes fratres, & pænè unos. Tibi HADRIANE gratias initio & seorsim ago pro libello Carminum ad me missō, & pio sane & eleganti. Tibi autem LAMBERTE, quid nisi amorem veterem nunciem (etsi quid in eo novi?) non alio scribendi argumento? Publica enim non tangimus; à nostris honestè & à Rege liberaliter habemur; quod superest, Musarum toti & quietis. Animus interdum ad vos refertur, fateor, & invisere loca hominesque optat, in quibus & cum quibus suaviter vixi; sed contumacia hæc spernendæ pacis, quam spem nobis facit? nullam. Et ô miseram tamen Bataviam, si armis ad officium & obsequium venit? De bonorum affectu non ambigo, nec de mediocriter quidem bonorum aut prudentium consilio; sed quid dicam nisi aut Fa-

ta

ta aut Fatuos obſtare, & florentiſſimam regionum in exitium trahere? ſuperi mihi teſtes, dolenter me hoc ſcribere, & toto pectore favere incolumitati veſtræ; vos ô iidem ſuperi inopinatâ aliquâ viâ date. Salvere utrumque jubeo, Lovanii VI. Id. Iul. CIↃ IↃ XCVII.

EPISTOLA XXX.

IUSTUS LIPSIUS

N. N.

REv. ac N. Domine. Epiſtolam tuam cum veteris affectus notis accepi, ſed ſuſpicionibus tamen ſauciam; quod mihi doluit, eô magis quia iniquis, & nec colore quidem æquo, ut mihi videbatur, tinctis. Duo quæris. Prius, gratum mihi, quia ab amore bono etſi tenero, quod neglexerim ſalutare te per hanc tabellariam: quod illa ipſa negabit, ſi fide uti volet⌣. Nemo eſt apud vos, de quo prius ſemper, quam de te rogaverim: & fratrem item, id eſt, te alterum adjunxi. Scribere ſemper (ignoſce) non eſt otii mei, etſi animus velit⌣. Amare, hoc poſſum: externa omnia ejus ſigna aut fomenta uſurpare, ut mea conditio & valetudo eſt, non poſſum. Sed altera querela de fratre, qui fuit & qui cum DEO nunc in beatis locis (ita vovemus) vivit⌣ Ego Præſidi nunc RICHARDOTO gratulatus ſum, & inter alia ſcripſi [*Vide Cent. ij. ad Belgas Ep. xxxij.*] *Caput eum jam ante revera conſilii fuiſſe.* Hoc tu aut ille in-

interpres tuus, ad fraternam injuriam trahit, & quasi ille nomen habuerit muneri suo impar. Ah, quam sauciat me hæc maligna interpretatio? nam ita loquendum est: vel nisi pravi ingenii atque etiam affectus in me, quicunque hoc suggessit. DEUS bone! verba mea, quæ alio non dicam ire possunt, sed palam eunt, sic abstrahi & averti? Quæso tecum ea lege, & sic isto inculcato intellectu, quid aliud dicunt, quam caput fuisse, cum caput non esset, id est, à fratris tui morte: quod res est, & locus ille, (ut scis) diu vacavit, & ipse auctoritate & directione implevit. Miseræ epistolæ nostræ, quæ sic etiam ab amicis malè habentur! quid ab inimicis fiet? sed vel sero sapiemus, & silentio à fama & infamia nos asseremus. Fatuos nos in hoc ævo qui scribimus (res dicenda est) ævo, non nisi calumniis & cavillis farto. At vero quæ honestissime & apertissime de fratre tuo scripsi, illa negligis, aut quasi non scripta habes; quæ alii justius ad ignominiam sui trahant. Est in centuria primâ, si memini, epistola ad FRANCISCUM VANDER-BURCHIUM, filium Præsidis. In qua præter alias laudes, scribo; *Regi, patriæ, curiæ, ministrum, civem, collegam ereptum, quem haud facile reparabunt.* Ec quid hoc est, nisi eum præferre præsentibus & futuris? Amavi virum, & ipse me & honestum: sensum meum leviter & fortiter prompsi; si quis Panegyricos volet, alibi querat. Habes V. R. & N. meum sensum & sine fuco excusationem; & ita accipias rogo, & me tuum ames. Lovanii VII. Idus Sext. CIↃ IↃ CII. D. graphiarium animitus saluto.

EPISTOLA XXXI.

IUSTVS LIPSIVS
HADRIANO VANDER-BURCHIO.

SUm etiam nunc in morbo, mi Amice, & juſtiſſimo eo titulo ad ſilentium apud alios utor. Apud te ſic jam olim mei amantem recuſo, neque debeo. Atque adeo vix legi epiſtolam tuam calidi affectus plenam, quin ego quoque accenſus ad ſcribendum ſum; & rem vides. O gratam enim mihi ſemper veſtri memoriam! Veſtri. nam & fratrem jure includo. Quando erit, ut coram ore, & oculis & brachiis promere hunc amorem liceat? quando? Dies mihi ſunt anni, anni ætates. Et tamen ſpecula illa, quæ ſuſtentavit, neſcio quo malo Belgarum fato, langvere aut abire mecum videtur. Nam & ego langveo jam à ſex ſeptimanis, neſcio an extremum. DEUS decernet. De concertatiuncula illa pro honore meo, amo te, nec tamen amo. Obſecro, quid me anteferre? neque debeo; & ſi debeam, non ille nunc ſpirant apud vos Favonii, qui LIPSII famam producant. Alienat à me quoſdam, quod bonos jungit: quibus ego me adſero, nec præmia aut pericula abjungent. Tecum item vinculo æterni Amoris hæreo, & cum optimo fratre Decano, quem animo geſto & amplector. Lovanii, prid. Kal. Majas. CIↃ IↃ CIII.

EPISTOLA XXXII.

IUSTUS LIPSIUS HADRIANO VANDER-BURCH.

CEnturias tuas ἑξακοσίους legi, & meum alibi nomen; atque ita ingenium simul tuum amavi & in me affectum. Certe ingenium apparet in tam multiplici inventione & fœcunda ac facili conformatione stili; Perge & in ævo jam senescenti vigorem animi ostende. Brevi à nobis aliqua videbis, sed tetrica & philosophica, scis quam non pro deliciis, an vanitate etiam dicam, præsentis ævi. Cæterum miratus alibi sum tuam libertatem, & succurrit illud Tragici,

Fortem facit vicina libertas senem.

Illa malis eripiet; neque pax aut felicior status dabit, ut res istæ eunt. Fatum Belgicæ est, pareamus, & inter nos, quamdiu sumus, amemus. Vale Vir N. & CL. Lovanii. v. Idus Febr. CIↃ IↃ CIIII. Fratrem D. Decanum, itemque D. CANTERUM saluto.

EPISTOLA XXXIII.

IUSTUS LIPSIUS IOANNI MIRÆO

Episcopo Antverpiensi.

Reverendissime in CHRISTO *Pater & Domine*;

MIRÆUS noster epistolam mihi attulit, atque ille poterat pro epistola esse. Sed quæ

quæ tua benignitas est, scripto etiam placuit me compellere, & *ad Miracula Divæ Virginis in Colleaspero patrata describenda* incitare. Quomodo refugiam, quo tam gravi auctoritate impellor? Etsi ingenue maluissem ipsum auctorem id perfeciſſe, qui feliciter cæperat, & nominis ac dignitatis suæ titulo pondus narrationi adjeciſſe. Tamen judiciis vestris (nam & alii vocant) libens manus dederim, præsertim in hac re Pietatis, quam magis magisque colere me ingravescens hæc ætas ac valetudo suadent. Faciam igitur, cum bono DEO & DIVA & utar auxiliis quæ benigne submiſtrasti. Mora tamen aliqua interponetur ab occupationibus & scriptis, quæ jam cæpta excudi non licet seponere, & ea me distringunt etiam & sibi habent. Sed ea ipsa morula usum fortasse habebit, & materies interea crescet scribendorum. Est aliud, Reverendiſſime Domine, in hac occasione, quod petam. Is qui istas tradet, PHILIPPUS RUBENIUS, libellum & operam suam obtulit D. D. Ordinibus in professione linguæ Græcæ. jacet ea hic, turpe Academiæ, & pæne dicam patriæ toti. Instaurandi spes est: nisi à liberalitate Ordinum: neque impendium maximum erit. Scripsi ad Consiliarium vestrum D. MASIUM, & cum eo hic locutus sum de tota re: rogo Reverendiſſ. D. T. beneficium hoc præsenti & futuro ævo donet juventuti (pro sua parte) neque patiamini ornamentum illud linguarum ab Academia & Ecclesia tolli. Reverendiſſime in CHRISTO Pater & Domine

Deus incolumem, bono Ecclesiæ, diutissime R. D. T. Servet. Lov. XVI. Kal. Novemb. CIↃ IↃ CIV.

EPISTOLA XXXIIII.

IUSTUS LIPSIUS ERNESTO,

Archiepiscopo & Electori Colonienſi, Episcopo & Principi Leodicenſi, &c. Comiti Palatino utriusque Reni, Duci utriusque Bavariæ, &c.

Sereniſſime Princeps,

LEgi quæ CELS. TUA dignata est ad me scribere, & gaviſus sum in curâ & serio instituto, quod ea suscepit religioni & doctrinæ propagandæ. Uterque enim hic fructus, spero, manabit è collegio, quod auspiciis CELS. TUÆ hîc instituetur; ut gloriam & nomen omittam, quod apud posteros manet. Itaque libens pro mea virili, adjuvabo & conforam ad tam præclarum opus perficiendum; & jam nunc cum Reverendo & Eximio D. CLARIO egi de Præfecturâ ejus collegii suscipiendâ. Quem virum bono judicio & consilio CELS. TUA elegit, & vocavit ad hoc munus, præter doctrinam rariorem, etiam peritum & usu factum ad gubernandum, & qui auctoritate sola continere possit juventutem. Neque ille suscipere abnuit; quædam tamen proponit & rogat quæ CELS. TUA inspicere dignabitur, & pro sua sapientia, de iis arbitrari. Ego

SER. PRINCEPS

in hac, & graviori omni re, sum semper & ero CELS. TUÆ devotiſſimus & obsequentiſſimus cliens. Lovanii IX. Kal. Mart. CIↃ IↃ CV.

EPISTOLA XXXIV.

IUSTUS LIPSIUS HADRIANO VANDER-BURCH.

VIdi hominem qui literas à te tradidit, sane adolescentem sermone, moribus, judiciis mihi probatum. Est è bona domo & disciplina. Quod autem tu mihi gratularis de honore, quo Principes me auxerunt: scire te cupio, quod ignarum & inopinantem, & à Reip. semper administratione alienum. Neque nunc temere miscebor, & titulo contentus in veteribus meis studiis & vitæ ista tranquillitati conquiescam, & consenescam. In tuo autem dolore nuper, ita DEUS optata mihi donet, dolui & in hac ætate graviore gravem tuam plagam. Adolescens magni animi & ingenii erat, solatio futurus parentibus; sed DEUS (si DEUS, quomodo non bene?) ad se vocavit, & illic auxilio etiam esse suis potest. Ita spero & voveo; & te hortor, ut quæ toties legisti, quid legisti? imo ipse scripsisti, in memoriam revoces, & robur sumas in hunc & alios casus. Decet virum, decet eruditum, decet maxime Christianum. Qui hanc vitam pro carcere aut pœna habemus, aut ut levissime dicam, diversorio, & tendimus ad æternam illam promissam cælitus, mansionem. Fac, te quæso. Divas meas videris, & in iis semina hujus mentis. Mitto exemplaria bina Hallensis recusæ, dabisque (jam tu à me habes) quibus voles. Respondere calumniatoribus, non est consilium; divina sunt extra ictum. Vale V. N. & Cl. & fratrem D. *Decanum* ex animo saluta, itemque *Canteros*. Lovanii III. Kal. Sextil. CIↃ IↃ CV.

EPISTOLA XXXV.

IOANNES ACRONIUS MENSONI ALTING.

Emdam.

QUam legis, unde ferat, miraris forte, salutem,
MENSO peregrina litera scripta manu.
Non hæc Peligni gelido Nasonis ab Istro,
Neu à Sarmaticis est tibi missa Getis.
Inde tuos petiit vultus, ubi florida Rhenus
Cæruleis Nemetum jugera findit aquis.
Grata domus nuper pulsis ubi reddita Musis,
Auspiciis præstans Dux CASIMIRE tuis.
Nec tibi fert tristes lachrymas, madidasve querelas
Exilium Domini nec luget illa sui.
Non me etenim patriæ depulsum finibus urbis
Vertere natalem culpa coëgit humum.
Hæc quæsita meis fuit, hæc inventa Camœnis,
Hæc animo intrata est terra volente mihi.
Hac ego Musarum sector regione cohortes,
Dî faciant fausto sit mihi tacta pede.
Atque sinant longum hic me vivere fata, diuque
Terra relegato præbeat ista locum.
Non ego tunc dicar Scythicas detrusus in oras,
Nec gravis exilii pœna futura mihi est.
Ista meis autem nuper sunt reddita votis,
Hæc mihi cùm de te nuncia fama tulit:
Ingenuas multos MENSO qui duxit ad artes,
Atque sacrum ad Musas sæpe recluſit iter.
Ille tuis bene nunc consultum partibus optat,

At-

Atque etiam ſtudiis nunc favet ille tuis.
Ille ſequi te poſſe dabit phœbeia caſtra,
Parte tuæ & ſortis proſperiore frui.
Tu modo te patriis obſtrictum legibus ultro
Subjicies facili, ſpe comitante, jugo.
Atque tuas Phryſiæ (ſi quæ ſint forte) Camœnæ,
Et ſtudia antiquis cuncta ſacrabis avis.
Non ego Ryphæis quondam ſum montibus ortus,
Neve mihi vitam Scythica terra dedit.
Me pietas etiam, patriæque arrecta cupido
Immemorem Gentis non ſinit eſſe meæ.
Ipſe ſuum genitor revocat poſt funera natum,
(Hei mihi cur vivum dicere fata negant.)
Et me ſuſceptum clarias qui duxit ad artes,
Quæque mihi vitæ Mater origo fuit.
Ipſi etiam chari, ſi qui ſint forte, ſodales,
Quos mihi ſyncero fœdere junxit amor.
Sæpe ego quos noſtro memini certamine victos,
Cumque his me æſtivos fallere ſæpe dies.
Tunc quoque cum nobis præbebat Cynthia lucem
Et brevior ſolito luſibus hora fuit.
Adde etiam primos hoc quod ſibi vendicat ortus,
Et tot amicorum contegit oſſa ſolum.
Scilicet ingratus, cunctiſque exoſus amicis,
Atque ſuæ indignus nomine gentis erit;
Quiſquis in ignotis temnet ſua viſcera terris,
Atque ſuam patriæ ferre negabit opem.
Non dubia eſt Ithaci prudentia; ſed tamen optat
Fumum de patriis poſſe videre locis.
Aſſuetos tauri ſaltus, aſſueta leones
(Nec feritas illos impedit) antra petunt.
Daulias æſtatem diffuſa per æquora portans

Suſpenſas repetit ſemper hirundo domos.

Tuque iſta quoniam laudem pietate mereris;
Non erit officii gratia ſurda tui.
Chaoniam viridem nectet tibi frondes coronam,
Seque tua ſalvam Phryſia dicet ope.
Ipſe ego inoblita referam tua munera mente,
Dum rapidas Amaſus in mare volvet aquas.
Neve meis fuerint contraria numina votis,
Indigna haud patria Muſa futura mea eſt.
Ipſe ſacer viridi cinget mea tempora lauro
Phœbus, & Aönio pectora rore fovet.
Atque ego Threicio modulabor carmina plectro,
Diſparibus jungens verba diſerta modis.
Scribere plura libet, ſed vox mihi feſſa loquendo,
Deficit & laſſo pollice ſiſtit opus.
Accipe, quo ſemper finitur, Epiſtola verbo,
Perge mei & nunquam non memor eſſe. Vale.

Neapoli Nemetum. v. Kal. Martii. cio io lxxxij.

EPISTOLA XXXVI.

IO. DRUSIO.

Londinium.

MItto ad te Iobum, doctiſſime DRUSI, à me poëtica metaphraſi explicatum; in quo cum viderem LXXII. Interpretum, ſi diis placet, & ipſam adeo vulgatam tranſlationem inter ſe paſſim diſcrepare, neque ex iis ipſis aptum plerunque ſenſum poſſe erui, iis omiſſis ad ver-

veritatem Hebraïcam, hoc est relictis rivulis ad fontes ipsos recurrere necessarium mihi fuit: quod ex lectione statim primo aspectu deprehendes. Sed cum in hoc libro ut tute ipse scis melius, infiniti pæne loci sint, in quorum explicatione ne ipsi quidem Rabini inter se conveniunt, hinc etiam factum est ut in iis vertendis sæpius à scopo aberraverim, quod me diu, de editione ejus cogitantem, ambiguum tenuit; tandem interpretationem nostram, qualis qualis ea est, edere decrevi; non tam ut lucem videat, quam ut doctorum virorum censuræ subjiciatur; inter quos cum te semper præcipuo loco habuerim, cum ob miram linguæ Hebraicæ peritiam, tum ob humaniorem & delicatiorem sacrarum literarum tractandarum à vulgo Theologorum neglectam rationem; putavi me rem non alienam facturum, si quicquid industriæ à me in eo positum est, tui judicii facerem; ac tuam super locis in margine, numeris versuum quibus respondent, notatis, sententiam rogarem. Propositum mihi fuit in eo (DEUM testor) non tam privatæ gloriæ studium, quam utilitatis publicæ commodum, cujus summe interest, mea quidem sententia, tam sanctum & pium librum ac nostris temporibus tam privatim quam publice utilem, ab omnibus legi & intelligi. Quod honestum & laudabile desiderium ut opera tua adjuves etiam atque etiam oro: id autem efficies si ad ea in quibus adhuc hæreo, amice, cum per otium licebit, rescribas, & quæ ipse in eo

libro accurata illa tua diligentia annotasti, mecum benigne communices. Atque utinam in totum librum notas tibi scribere vacaret, quales in Ruth & Estheram nuper dedisti, & in alios sacros libros te domi habere professus es. Certe in totis Bibliis non alius liber te dignior, & qui te interprete magis egeat: ut non dubium sit, si post MERCERUM & TREMELLIUM ei ultimam manum admoveas, quin ex obscuro situ in quo diu latuit in purissimam lucem & terfior industria tua exiturus sit. Quod ut efficere possis supremam Majestatem suppliciter oro, ut tibi otium & voluntatem concedat; nam facultatem non deesse scio. Interim te rogo ut ad ea quæ à te in præsentiarum peto non graveris pro humanitate tua respondere. Vale & me hominem hactenus tibi incognitum porro amare perge. Lutetiæ Parisiorum Idib. Ianuar. Anno CHR. CIↃ IↃ LXXXIIX.

IAC. AUG. THUANUS.

EPISTOLA XXXVII.

IOANNI DRUSIO *IAC. AUG. THUANUS,*

S. D. *Franekeram.*

DIu est ex quo nullas ad te dedi, V. Doctiss. quod occupationibus molestis, quæ tua humanitas est, facile condonabis. Cum his accipies exemplar primæ partis Historiarum nostrarum,

rum, quas secunda cura recensuimus. Eas censuræ probatissimi & cultissimi ingenii tui subjicio; si forte in his legendis subsecivarum horarum aliquot jacturam facere dignaberis: nam seria tua studia, atque adeo sacras occupationes, cur enim non ita vocem exactissimas tuas in sacris libris explicandis lucubrationes? nolim his nugis interpellari. Veritatem in his professus sum, quam ex actis, aliorum commentariis, variisque scriptis non editis, certa fama, vix magno labore erui, & longo rerum usu ac virorum, qui ante me negotia publica tractavere, familiaritate non solum apud nos, sed per alias provincias peregrinando mihi comparavi. Libere scripsi, procul amore & odio, quod mihi tamen pro gratia, quæ seculi malignitas est, immerenti repensum est. Meliorem sortem apud vos opto & spero, & à te imprimis, quem æquitate summa candorem nostrum minime fucatam æstimaturum, & in iis, quæ venia egebunt, excusaturum confido. Vale & me amare perge. Lutetiæ Parisiorum KL. VII. brib. CIↃ IↃC IIII.

EPISTOLA XXXVIII.

THEODORUS BEZA SIBRANDO LUBBERTO.

MAgnum opus præstitisti, Vir Eximie, & summè observande frater, tam doctè & solidè, addo etiam tam graviter simul & tam perspi-

ſpicuè explicatis Chriſtianorum dogmatum principiis, & contraria refutata ſententia. Itaque DEO gratias ago quod, pro bonitate ſingulari ſua, novas ſubinde faces accendat, quibus & ipſius veritas ſplendeat illuſtrius, & tenebrionibus iſtis oculi magis ac magis perſtringantur. Tibi verò pretioſa hæc χειρόμακα gratulor, & ut cum Paulo noſtro loquar, ἀναζωπυρεῖν. Ad me quod attinet, quamdiu me volet Dominus ſpirare, & aliqua frui quiete & valetudine, conferam quod mihi dabitur otium ad ſedatiora ſtudia. Et utinam mihi per adverſarios in hac mea ſenecta, ſedatiore deinceps ſcribendi genere uti liceret. Sed ecce contrà quaſi neque exteri veritatis hoſtes nobis exercendis non ſufficiant, nec domi ſit ſatis turbarum, duo ex Anglia prodierunt Scriptores, in Presbyteria noſtra conjurati: alter tamen ab altero in multis diſſentiens: quibus ſi tertius addatur Eraſtus ille redivivus, triceps profecto monſtrum Anglia nuper pepererit. Ego verò quid hîc agerem, tot præſertim calumniis & convitiis ab altero, unà cum magno illo Calvino, impetitus? Diſſimulare tamen hanc injuriam mihi certum eſt, & ſemel conſtitutum. Veritatem enim per meum latus confoſſam deſerere vel potius prodere fuit nefas. Saraviæ igitur quid reſponderim ex reipſa cognoſces. Alterum autorum autem illum petulantiſſimum convitiatorem adhuc mihi viſum eſt contemtu & ſilentio

tio ulciſci. Vos autem quibus notior eſt Saravia, quam mihi, & quos iſta non minus quam nos attingunt, an hîc conticeſcetis? Tibi quidem certe, Generoſiſſime & omni virtutem genere ornatiſſime Domine Marnixi, niſi valde fallor, ſervatur hæc palma: & hoc beneficium à te petenti BEZÆ, quem quum juniorem dilexeris, ſenem profecto amare non deſtitiſti, num poſſis veritatis ſimul & amici patrocinium denegare? Sed de hoc tamen videritis. Tantum dico ſtare Eccleſiam (niſi quatenus extraordinario DEI robore fulcitur) non poſſe jurisdictione Eccleſiaſtica vel abolita, quod contendit Eraſtus, vel ad civilem Magiſtratum tranſlata, quod vult ille convitiator, vel, ex Saraviæ ſententia, Epiſcopali dominante gradu, niſi forte quæ ſit iſtorum ſententia non intelligo. Et de his quidem hactenus. Ad res autem noſtras quod attinet, ut uno verbo omnia. Geneva, ſi nunc alia ulla ſub cœlo civitas verè, quod ad humana præſidia attinet nunc unius DEI manu ſtat. Vos illam, ſi unquam alias, precibus veſtris aſſiduis juvate. Plura vetat pudor à vobis poſtulare, quibus tam multa jam debemus. Fratres omnes velim quam officioſiſſime & à noſtro toto cœtu, & à me ſalutari, & quidem nominatim D. LIDIUM noſtrum, & D. TAFFINUM, quibus privatim eram de his ipſis rebus ſcripturus, niſi jam eſſem dictandis literis prorſus defatigatus.

Be-

Bene Vale, vir Eximie, & summè observande frater. DOMINUS IESUS tibi sanctisque tuis laboribus quam cumulatissimè benedicat. Genevæ XX. Augusti. CIↃ IↃ XCII.

EPISTOLA XXXIX.

THEODORUS BEZA SIBRANDO LUBBERTO.

ETsi, mi observande frater, nullum nisi triste scribendi argumentum hæc tempora miserrima nobis jampridem suppeditant, gaudeo tamen hanc oblatam mihi scribendi occasionem fuisse, qua alter in alterius sinum miserias in eadem causa communes effundamus. Audio tamen paulo pacatiora nunc esse vestra, nempe sicut scribit Plinius, mare Caspium esse cæteris dulcius, id est, minus amarum; vobis tamen quicquid istud est ex animo gratulor. Nos verò in hoc tam truculento & tam diuturno bello sensim eo redigimur, ut & præsentia non sine maximis difficultatibus perferamus, & in posterum imminere nobis durissima quæque videantur. Pergimus tamen in hac prorsus necessariò tum corporum, tum animarum salute susceptа defensione, fortiter, ut spero, DEI bonitate & clementia freti ad extremum quicquid DEO & Servatori nostro visum fuerit toleraturi. Vos autem, sat scio, non estis nobis assiduis precibus defuturi, quod etiam à vobis velim existimes totam hanc civitatem, Ecclesiam & scho-

lam

lam obnixè postulare. Ego hac hyeme invitus domi per sesquimensem me continui, virium corporis imbecillilate, licet per DEI gratiam adhuc inusitata coactus, ex qua nunc rursus convalescens ad meum munus, prout hæc senecta mea pati potest, recurri, perrecturus, DEO favente, donec reliquum curriculi mei spatium peregero. Interea editæ sunt Gallicæ meæ *in historiam resurrectionis DOMINI conciones*. Dictavi quoque per intervalla *scriptiunculam* quandam *de renovatis istis per importunissimos satanæ emissarios diffidiis*. Ea si ad vos usque pervenerint, velint ut inspicere ac etiam dijudicare ne graveris, conatum hunc meum saltem, sicuti confido, non improbaturus. Bene vale, vir eximie & mihi summè observande. DOMINUS IESUS quam feliciſſime tibi sanctoque tuo ministerio magis ac magis benedicat. Genevæ. XX. Martii. CIↃ IↃ XCIII. D. DRUSIUM, doctissimum virum, plurimum jubeo salvere.

EPISTOLA XL.

Q. SEPT. FLORENS CHRISTIANUS

Optimo & erudito viro

GERARDO TUNINGIO.

S. D.

IBo & ego in tua vota, mi *Tuningi*, utinam diuturniorem hic feciſſes moram, neque per tran-

transennam quod feciſti, mihi viſus & cognitus eſſes. Nam & (quod te ipſo & tua legatione dignum fuit) hoſpitio indulſiſſem, & quas videris velle, cauſas morandi innexuiſſem, ac proculdubio commiſiſſem in tuam fidem quædam mea ſcripta quæ meus pudor non tam vulgabit quam ſtudioſorum mei & tui ſimilium amor, hoc præſertim tempore civilium bellorum quo non ſolum bonorum Typographorum rara nobis copia, ſed liberè & benè ſcribendi iuxtà ac loquendi adempta eſt facultas. Quæ etiam ſi hic renaſcantur, dico tibi habere me multas cauſas propter quas typos Plantianos diligam præſertim quorum doctus & diligens Raphelengius ſit ἐργαπιςάτης. Quo magis credas en tibi Andromacham Tragædiam Euripideam quam non ſolum togatam ad Romani habitus imitationem ſed etiam Notatis aliquot Prætextam mitto ad Douſam patrem virtutis ergo jamdudum mihi amicum & notum, & egregii filii munere de me benè meritum. Nimis velim doctos qui iſthic ſunt omnes, ſcriptorum meorum, eſſe arbitros & cenſores nam ſatis multa reperient in meis digna nota cenſoria, & lima ſeveriore. Nauſium imprimis arbitrum capio ſi iſthic ſit, tum Vulcanium quem audio Græcas literas apud vos cum laude profitentem cujus judicio vel edatur Andromacha vel cognato deo Tardipedi dicetur. Quod ſcribis donare te mihi imagines Regis & Scaligerorum, habeo gratiam animi ergo non muneris, Nullus enim accepi & verè munus eſt imaginarium. Hoc ipſo die Propri-

pridie Kal. Maias accepi tantum literas tuas, neque à te aut de te, ita me Deus amet, aliud quid inaudiveram aut acceperam ex quo tempore hic migrasti. Vale mi Tuningi. Vindocini Prop. Kal. Maji. CIↃ IↃ XCIII.

Resalutat te officiosissimè noster Puppinchius, cui ego meritò optem feliciorem conditionem quam qua apud nos fruitur. Ejus opera accepi tandem Imagines illas ex Iossentio, simulque Epistolam ad Monavium, & Carmen Scævolæ, quum jam ista superiora scripsissem. Itaque gratias jam meras tibi ago. Petoque à te ad me quoties poteris de rebus vestræ Academiæ certiorem facias.

EPISTOLA XLI.

Q. SEPT. FLORENS CHRISTIANUS

viro nobilitate generis & laude literarum clarissimo

I. DOUZÆ á NORTWIC.

S. D.

HEri tantum (hoc est sex integros menses postquam scriptæ sunt) tuas accepi literas, mi *Douza*, mittente Io. Iossentio, qui nunc Cæsaroduni Turonum Scaligerum nostrum operitur ad vos merito iturientem & cum has accipies, portum ut spero, vestrum applicantem. Gratulor viro istam è Gallia nostra abitionem, & voveo fælix iter, vobis vero planissimè invi-

deo bona tanta, quanta in hoc Copiæ cornu fruituri estis quæ propria nobis essent si saperemus. Sed bene quod sub libera conditione Principem virum & verè ἐλεύθερον conduxistis. Nam & ex animi sententia istic morabitur, & regressum habebit liberum. Quanquam, si me audit, amabit vestros focos, quando in hac terra Gallia, nullum operæ suæ dignum nactus est pretium. Vestrum erit causas morandi innectere, ut qui nunc vocatus tædio ruentis patriæ & multa prece motus Bataviam petit, vestra demum comitate & toleranti prudentia delinitus & victus, videatur ultro ambiturus. Neque vero miror fuisse apud vos genus hominum qui Scaligeri erga vos propensum animum & simplicem voluntatem imminutum irent etiam in his regionibus ii percrebuerant sermones, qui totum istud negotium pessundare poterant. Nam de vobis Batavis ea circumferebant, quæ certo scio ficta fuisse commenta invidæ & malignatis ἐχθρᾶς, quasi vero ut Lipsium urereris Scaligerum tantum accersendum putaveritis. Imo neque hnnc unquam. In mente vestra sensum fuisse arbitror, & certum habeo neminem esse ex ista gente literata quem libentius videat & de facie norit quam *Scaligerum Lipsius aut Lipsius Scaligerum*. Quicquid aggrediemur aut quoquo grassabimur, illiberale est & impium gradum sibi facere ex aliena ruina aut lætitiam ex dolore, neque cadit in humanitatis professores tam fera cogitatio. Vellem equidem aut *Lipsio* non præbitam aut ab ipso non arreptam discedendi

à vo-

à vobis occasionem & haberetis δύω κοσμητῆρε μισεῶν. Non me latet posse non leves causas adferri propter quas istud dissidium factum sit, sed sic censeo, talium virorum amicitias non disrumpendas, sed (si necesse sit) dissuendas. Vidi his diebus, Epistolam ipsius ad Monavium, Hui tantas turbas propterea! Cui bono? quid velle istos dicam nisi in lente unguentum? Non dissimulabo tibi, quædam in illa esse quæ multis etiam bonis viris suspicionem augeant non constanter servatæ sed læsæ religionis Christianæ, vel cum ait, Deum sibi posthac colendum per vestigia majorum. Id quamvis per se rectum est & laudandum (agnoscimus enim majores Apostolos) tamen non perinde ab omnibus aut intelligetur aut accipietur. Neque ego probaverim scribentis animum, si hac cautione quæsivit famam deferendæ Ecclesiæ, ut nec legentis si id immerito suspicetur. Multi quidem in Gallia multum hac parte pecavimus, sed metu mortis instantis, quam vis & Tyrannis præferebant neque sponte, sed, ut semel dicam vitio humanitatis. Hæc ego, mi Douza, libere ad te & apud te scribo, non qui sim πολυπράγμων, sed ut omnes Batavi intelligatis mihi laudis vestræ amantissimo dolere hoc vobis deesse ornamentum, ac vero moneam (si quid monitoris eges tu) sæpe bona à Deo data nobis excidere culpa nostra, præsertim si tale ingenium nobis sit, quod in iuventæ calore præcipiti vocat Horatius, amata relinquere pernix. Cæterum magnam iniviſti à me gratiam

in literis tuis, quibus tam elegantes & amoris plenos elegos attexuisti, Omnia dicta sive soluta sive vincta, recta semper sunt, omnino respondere elegantiæ tuæ non possum: erit tamen cum aliquando carmine te alloquar. Quam jacturam filiolæ tuæ feciſti; ægrè ut debui, tuli. Quanquam mei sufficiat mihi dolores ὥστε μὴ ζᾶν τῶν πέλας σίνεσθαι ut ait Sophocleus Neoptolemus: Tamen ne tu hoc nescias, superat Dei gratia Claudius filius, qui cum defuncto fratre velut equo funali gratissima mihi erat συνωρὶς, Hunc ego Neoptolemum & militiæ nimium amantem vix ac ne vix quidem perſvasi ut arma deponeret & Andeganum proficiſceretur, ubi nunc meret sub juris doctoribus otia Scolastica, non sane quod armorum expertem ipsum velim, aut totum deponere Martis amorem (Nam ea incidimus tempora, quibus vi geritur res) sed ut discat reliquas omnes artes vel belli vel pacis ancillas esse Sapientiæ. Itaque eum opto esse ἡτῆρα λόγου πρακτῆρα τε ἔργων, utinam Deus mihi sospitet superstitem & spiritu suo dirigat, si tamen ille ipsum cum timore diligat. Qui ut domum tuam uxorem & liberos tecum prosperassit eodem animo precor. ἔλε τε καὶ μέγα χαῖρε, θεὸς νυτὶ ὄλβια δοίη. Vale Vindocini. Proprid. Kal. Majas. CIↃ IↃ XCIII. Ego semper te ut Olorum Herodotus μακαρίζω τὸ τέκνιας propter filium DOUSAM cui faveo ex animo.

EPIS-

EPISTOLA XLII.

Q. SEPT. FLORENS CHRISTIANUS.

Nobili & eruditiſſ. Viro

IANO DOUZÆ à NORTWIC,

Patricio Batavo-lugdunenſi.

REgni hujus gallici, *Douza* Vir clariſſ. ſtatus lætus olim & invidenda ſorte exteris omnibus admirabilis, ita nunc mutavit ex ὀχλοκρατίας cæco furore, & ſperatæ ὀλιγαρχίας temeraria ambitione, vix ut ulla videantur ſupereſſe veſtigia priſtinæ felicitatis, adeò nunc eſt illætabilis ille & miſerabilis, hoc uno adhuc felix quod aliquod vicinis gentibus miſeritudinem conciverit, inter quas Bataviam veſtram numero, qui unus terræ angulus inter paucos videtur hodiè velut inconcuſſus & tutus à crudeli tyranni illius μίλωνος uſurpatione, neque hoc ſolum, ſed quia malorum non inſciens imo doctus ſuperbas fortunæ vices expendere & vereri, optatus oppidò patet portus miſeris & afflictis. Eò factum eſt ut multi qui inter publica negotia, Muſarum otia & ſeceſſum quærimus, ſolos fermè felices Batavos exiſtimemus, ſive à gentis virtute ſive ab auſpiciis Generoſi Principis & fortiſſimi ducis Comitis Naſſovii qui non ex more ſtultorum Principum Nobilitatis veræ gloriam in armatis ſolum hominibus, ſed etiam

in litteratis reponit⁀. Tandemque intellexi non omnino vanam fuisse fidem Brocardi illius qui apud vos Prophetam non ita pridem agebat: quum toties nos de sedis tranquillitate sollicitos antea, & à patria exules moneret Batavos amare focos. Nunc quoniam mihi integrum non est vertere hoc solum non solum quia ego natura & institutione φιλόπατρις sum & φιλοβασιλεύς, sed multis aliis de caussis, peto à te ut quamvis iniquis longissimè spatiis inter se dissiti tamen nos amemus, jam veteres præsertim amici, & vestræ felicitatis aura frui tantisper possimus quamdiu bonarum artium & litterarum quietum obtinebitis domicilium (quod voveo & spero vobis perpetuum, vel propter Scaligerum μισηγίτλω qui aderit vobis tanquam θεὸς ἀπὸ μηχανῆς) ut scilicet nobis ne invideatis quicquid boni excudetur in nobili illa vestra Typographia, altero vestræ Academiæ vestrorumque ordinum ornamento, præcipue si quid à Scaligero, Lipsio & utroque Douza, aut aliis quorum judicium & nomen in literis magna. Hoc ut à te eliciam ecce mitto tibi Andromacham Euripideam cum Notatis aliquot, veram nostrorum temporum imaginem ut tute ipso statim initio cognosces. Eam tantidem laudis pro pretio mereri volo quanti vel indicaveris vel judicaveris. Parum enim abest quin eam scripsisse puditum sit postquam vidi actum me egisse quem ornatiss. & spectabilis Ratallerus vestras & vester olim edidit, sed qui sciam Aratæi carminis versionem à Cicerone datam non deterruisse posteriora ingenia ab ea-

eadem re etiam felicius tentanda. Nemo, ut opinor, æquior arbiter id à me factum culpabit, qui me judice nefas putabit parare sibi laudem ex aliorum reprehensione vel potius obtrectatione. Vale Clarissime & charissime Douza. Vindocini. Pridie Kal. Maji. Anno à servata per Dominum Iesum Christum humanitate CIↃ IↃ XCIII.

EPISTOLA XLIII.

IANUS DOUSA LAMBERTO BURCHIO, S. D.

O Factum bene de fasciculo librorum ad nos misso. Incredibile est; quanta, non dico me, verum & *Lipsium* meum atque adeo Hautenum, omnes denique familiares meos, voluptate hoc tam lucrificabili nuncio in commune affeceris. Nam quid literas tuas dicam,

Omne malum mihi quæ tota de mente fugarunt
Deformis ægrimoniæ, dulcibus alloquiis?

Eas itaque ipsus hercule tantum non legendo ac relegendo contrivi, in quibus illud sane liberalissimum visum, de reliquis Snöii Commentariis, parte illa dico altera, cujus brevi oppidò potiundi spem tibi ab amico haud obscurè factam literæ porrò nobis adsignificant tuæ. Quod utinam, iterum utinam; tuo tamen commodo. O mi Burchi, tantine obsecro literarum mearum fructus æstimatus tibi, ut præ-

ter tantam tamque omnibus modis festivam nostratium Scriptorum copiam, etiam de vernacula ejusdem BECANI HISTORIA, & quidem duplici ac bipartita: de FASCICULO TEMPORUM ac tralaticia Io. Veldenarii Editione, aliisque talibus Cimeliis verius, quam libris; haud apud te modo, verum & apud amicos tuos insuper in secretiore Lararii parte sepositis, atque inter pretiosissima habitis gratiam nobis facere velle animum porro inducas tuum, & quidem tua ipsius sponte? proinde flagitatus quid faceres? Quanquam ego CONDITIONE ISTA NON UTOR. Uterer vel impermissa, siquidem CANIS illud Catulliani Os non dico FERREUM, sed (quod durius impudentiusque est) aut GELDRUM BURENI PECTUS, aut CARRIONIS nostri frontem multo perfrictissimam haberem. Et fac quæso, qui ego sum, esse te, estne aut tui pudoris, aut nostri, Cimeliorum bellissimum quodque à patrono, vel benevolenti auferre velle; neque reliquum quicquam facere homini amico? de rebus longè carissimis loquor, quarum me unum, excluſis aliis, dignum abs te judicari qui particeps fiam, non jam gaudeo solum; sed, si in re humili, verbo uti superbo licet, TRIUMPHO VITULORQUE merito. Essentque, mi Patrone, facilia omnia atque in proclivi, si vel DIEM REPETUNDARUM modo, easque saltem leges præscripsisses nobis, ut isto munificentiæ tuæ cumulo non anteà DOUSÆ tuo uti-frui esset copia, quam priora illa denuò re-

recepiſſes. Mihi tamen iſta prothymiæ tuæ largitas grata acceptaque oppido (*Quis enim damnet ſua vota libenter?* imo vero peropportuna. Vixque adeo, ac ne vix quidem diſſimulare apud te cupiditatis meæ impotentiam poſſum. Verum eſſe vel hinc uti videas Salluſtianum illud ſcilicet: ANIMO CUPIENTI NIHIL SATIS FESTINATUR. Illud permoleſtum eſt modo quod oneri prius, quam uſui eſſe cogimur tibi, ſubverentes identidem, ne nimia iſta beneficentia tua abuti videamur. Itaque crebro reguſto literas tuas. In his acquieſco: meque ipſum ruſticitatis crimine ſubinde accuſare non deſino, qui mihi bene eſſe amicorum opera pati haud poſſim; nec permiſſo uti, dum licet, dumque adeſt occaſio: quæ *fronte capillata, occipitio calvo,* haud temere à Poëtis noſtris, neque citra rationem perhibetur. Habes cofitentem Reum; ſed eum tamen, qui Iudicis ſui faventia tutus, animo ſecuro in Ius deſcendere, cauſſamque pro ſemet ipſus dicere nullo porro tempore ſit reformidaturus. Et quidem eo mehercule fidentius, quod maximam & graviſſimam noxiæ iſtius partem auctoritas ſuſtineat tua. Quam, tantum abeſt, ut defugites, ut cupiditati huic noſtræ inſuper *ſecundas agere*, ac velut alimenta ſubminiſtrare magis etiam magiſque perſeveres quotidie. Proinde cauſſam nullus video, cur ruſtico huic pudori potius, quam ingenui animi deſiderio morem gerere debeam diutius; in tanta præſertim conſcribillandæ HISTORIÆ, opportunitate. *Quorſum hæc tam putida tendunt,*

inquies. Eò, mi suavissime BURCHI, ut plane perspicias, me haudquaquam sponte mea; sed enim facilitate ipsius tua ac promtitudine corruptum, URBANÆ AD PREMIA FRONTIS, hoc est, ad *Libertatem* hancce plus quam DECEMBREM ita familiariter descendere. Qua fiducia fretus, ecce & hoc abs te precario videor audere contendere, ut alterum è duobus vernaculis saltem istis, BECANUM inquio, nobis aliquando properes representare. Quo, facta inter se geminorum Exemplarium conlatione, utrum alteri antistet, compertius in re præsenti dijudicare possim scilicet. Qua re patrata, quid reliquum est porro, nisi ut pars aliqua depositi vorsoriam ad te rursus hoc est ad creditorem suum capiat postliminio? de CHRONICIS BECANI LATINIS loquor; quorum me hercule desiderium æquiore porro animo videor laturus, quam INTERPRETUM istorum quos prædicas mihi. Ita enim rem natam scito, ut exoticis domestica, hoc est, LATINIS BELGICA, jure, & quidem optimo, multis millibus anteponam. Quod proclivius ut accredas, haud abs re videtur, paucis prius toties instituti nostri rationem, quam planissimè potero, humanitati tuæ ob oculos proponere. Filiolum habeo natu maximum modò non duodecennem, qua spe, qua industriæ indole puerum, te ex aliorum relatu malo potius, quam à me, qui illi parens cluo, cognoscere. Unum istuc præstare haud verecundabor tibi, tantos eum progressus in utriusque Linguæ literatura fecisse,

ut

ut & jam ſapiat aliquid ad Genium hujus adoleſcentioris Academiæ: nec Vulcanii, aut Tiaræ Lectionibus modo; ſed & LIPSIO meo docenti quotidianam aurium operam locare idoneus cenſeatur. Is mirabiles mihi commoditates præbet, non in Apographis conficiundis ſolum, aut excipiendis dictatis (quæ quidem ille pro ludo habet) verum adeo in Phraſibus quoque Hiſtoricis coacervandis, TACITO utique ac LIVIO peculiaribus: quos auctores familiares jam illi aſſidua LIPSIANARUM LECTIONUM frequentatio fecit. Ego DUUMVIRIS iſtis C. inſuper SALLUSTIUM adſtruxi, cujus Atticum planè ſcribendi genus ipſi quoque ſubinde per feriarum intervalla inculcare non ceſſo: cum bona ac certa ſpe, fore, ut nobis aliquando in inſtituti jam operis exædificatione & uſui ſimul & levamento eſſe in poſterum poſſit. Quod adeo facilius ut aſſequar, eidem particulam interdum aliquam BATAVICORUM ANNALIUM thematis loco ſoleo proponere, ex IDIOTISMO hoc noſtro in ROMANUM ſermonem transferundam: non quidem ut medullam, aut nucleum, hoc eſt, rem ipſam (cujus adeo intelligentia in tantulæ ætatis captum haud cadit) ſed ut verba ſolum ac voces in partem ſuppeditet mihi: à Salluſtianis, aut Cornelianis certè fontibus ſaltuatim petitas, velutque in locos quoſdam communes puerili meditatione digeſtas. Qua ratione efficitur, ut & ipſe aſſiduè legendo, commentando, atque excolendo ſtylo uberes ac tempeſtivos diligentiæ ſuæ

ſuæ fructus capiat denique; & mihi pars laboris haud modica dematur minuaturque; opera inquam atque induſtria ejus, quem Fata (ut ſpero) hæredem olim mihi ac ſucceſſorem deſtinarunt. Cui ego poſteà, collatis undique (quod in me eſt) cum artis, tum ingenii luminibus, inverſa ſubinde narrationum ſerie, ordineque totius dictionis commutato; novoque rerum ac ſententiarum ornatu, & quaſi delectu quodam adhibito, hoc eſt, toto orationis corpore ad SALLUSTIANÆ FRUGALITATIS limam revocato, acrem porro me præbeo caſtigatorem, & velut Ariſtarchum. Eo dico, ne mirere, cur Interpretem BECANI potius, quam Auctorem ipſum tractare lubido ſit mihi. In cauſſa eſt (ut dixi) Douſa filius mihi, adde Primigenius; cujus immaturæ ætatulæ ex uſu magis (meo quidem animo) ac conducibilius videtur, de vernaculis argumentis Latina, & quaſi ſua facere; quam ex inquinato & proletario dictionis genere labem, animo hæſuram, trahere in poſterum; merique ruris ac ſordium infici contagione. Quid? an antiquam illam Venuſini Poëtæ ſimilitudinem oblitus?

Quo ſemel eſt imbuta recens, ſervabit odorem
Teſta diu.

Itaque frequentem addo operam, facioque ſedulo, ut hanc inter cæteras quoque cautionem adhibeam, ne ingenium ejus induſtrium ac *capitale* ſcabiei quidpiam, aut æruginis contrahat. Quod bene conſtitutum ſi aliena barbaries infuſcaret, graviter mihi accideret. Et certè (ut quod

quod res est, prædicem) si quid generis istiusmodi nos delectat, Latinitas non delectat. Quam tamen tantum abest, ut abhorreat aut refugiat animus; ut nihil appetam cupientius, nihil consecter avidius; præsertim si sub pannuceo centone purpuræ lumen alicubi, hoc est, sub OPICARUM vocum stribiligine gazæ aliqua abstrusioris lateat copia; unde sic, velut è fodinis aurum, subtilioris nobis HISTORIÆ argumentum nascatur, novoque operi fabricando materies & quasi cæmentum Architectis suppeditetur. Quo in Lustro jure censuerim non nostratem istum BECANUM modo; sed vero & SPECULI HISTORIALIS, & FASCICULI TEMPORUM, CHRONICI item BERGOMATIS structorem; & (qui haud paullo istis antiquiores ac Latini magis) GILDAM puta, ac BEDAM: AIMONIUM cum ADONE VIENNENSI: DITMARUM denique ac SIGEBERTUM: adde etiam REGINONEM, LUITPRANDUM, WITTIKINDUM, EGINARDUM, LAMBERTUM SCAFNABURGENSEM, OTTHONEM, RADEUVICUM, ROMERIUM, GUNTERUM, HELMOLDUM: SAXONEM grammaticum, CONRARDUM ABBATEM URSPERGENSEM; non contemnendos sanè BRITANNICARUM, FRANCICARUM, aut GERMANICARUM RERVM SCRIPTORES. Quorum vix vola tamen, vel vestigium hodie comparet uspiam, in hac turba novorum voluminum. Ego tamen opera mea parcus non ero, quin & hos ipsos alicunde è latebris eruam, terraque aut mari evolvam tandem.

Ve-

Verum id fruſtrà, an ob rem faciam, vel hinc (BURCHI doctiſſime) æſtimare poſſis, quod & bonam CHRONOLOGORUM iſtorum partem jam adeptus, & plures adipiſcendi aliquando fiducia mihi ab iis facta, quos ego ſtudiorum quaſi Socios, ac tantum non contubernales habeo: quorumque adeo Libraria ſupellectile utor-fruor perinde ac priva; meopte potius, quam Novorum Ædilium arbitratu. Literæ interea Amſterodamo, & quidem Ferentariæ. Quid quæris? Prorſus εὐαγγέλια. O mihi nuncium beatum, lepidum, feſtivumque adeo ac voluptabilem. Quid vero boni? inquies. Nimium. Exemplaria manuſcripta ſcilicet, totidem quot ego, ac tu ſumus. Quorum alterum, ſanè vetus, à Caroli Calvi Donatione initio facto, domi militiæque medio tempore res geſtas, uſque ad GULIELMI VII. Principatum, commemoratione non indignas, ſtrictim & quaſi ſummatim complectitur: alterum, univerſa COENOBII EGMONDENSIS Dominia, Iura, Immunitates, Latifundiaque ac poſſeſſiones jam inde ab antiquo uſurpatas diſſignat. Auctor boni tanti *P. Meerhautanus*, Gymnaſio Amſterodamenſi Præfectus à quo alia item nonnulla, propoſito huic noſtro non aliena, brevi ſanè me habiturum confido. ITA SUPERCILIUM SALIT. Inprimis CHRONICON quoddam multo vetuſtiſſimum, præter ſuperioris Ævi Memorias, jam inde ab ipſis uſque Aboriginibus noſtris altiſſime repetitas; etiam famoſum illud, ſed velut per caliginem tantum, neſcio qua

qua CHRONOLOGORUM invidia, satis pol fastidiose ad posteritatis notitiam transmissum, *VERONÆ inquam nostræ Excidium, exitium*, murorumque ac Ædificiorum omnium vastitatem ab ipsis usque fundamentis, celeberrimæ illi VETERUM FRISIORUM METROPOLI, meritissima belli lege inductam continens. Quod simul atque accepero, poteris & ipsi tanti quoque Thesauri, si voles, in partem compos fieri; jure tuo, vel (si mavis) arbitratu. Etenim (quod ille ait) *omnibus amicis, quod mihi est, cupio esse idem.* Interim BARLANDUM tuum reducem habebis tibi. Quem quidem à capite ad calcem totum hic describendum curavimus, eo animo ac consilio, ut is nostra porro opera typis aliquando recudatur, fiatque Publici Iuris denuo: hac tamen exceptione, NISI TU NE VIS. Nolis autem? vah. Procul certe malignitas ista à BURCHIANI GENII Ingeniique candore, seu munificentia potius; quæ reapse nobis, ac verissimis experimentis cognita compertaque, cogitationi huic nostræ solidam maximamque fiduciam tribuit⌣. Quamobrem *Caussadictionem* à nobis, aut supervacaneum audaciæ istius Patrocinium exspectes, cave. Alterum illud potius, novam BARLANDI nostri EDITIONEM scilicet, nitidissimis inquam PLANTINI formis, tum LIPSIANO insuper ELOGIO cohonestandam? quo vendibilior ac commendatior in manus inque ora Civium Suorum venire possit denique⌣. Dabis hoc imprimis GENIO ipsius AUCTORIS, dabis etiam Dou-

sæ tuo, dabis denique non *Hollandis* meis modo, sed vero & *Ultrajectis* tuis. Quorum vel cumprimis interest Heroica *Principum Virorum*, ac *Nobilitatis* suæ facinora, cum nobis, tum posteris innotescere;

Et natis natorum, & qui nascentur ab illis.

Neque ad *Batavas Aures* penetrare solum, verum ad cæterarum etiam nationum, juxtà, seu procul sitarum, atque ad exoticarum gentium notitiam vocalissimo HISTORIARUM PROECONIO, ac præclarorum ingeniorum comitate dimanare, atque in perpetuum diffundi. Neque hanc ERASMI ac BARLANDI nostri popularibus redivivam ac restibilem gloriæ accessionem invidebis, spero: neque adeo jus est? in tanta præsertim CATTIGENIS meis gratificandi opportunitate. Quod si impetro, omnia abs te mihi data putabo: faciamque sedulo, ut in ipso operis vestibulo, hoc est, PRÆFATIONE animi hujus erga Rempub. Vestri, & fide & liberalitate præstantis, haud tralaticia fiat mentio. Et ut scias, cujusmodi Editionis, quam dico, futurâ sit œconomia, illud quoque prædictum tibi habeas velim, COMITIBUS singulis singulas ICONES suas à PHILIPPO GALLIONE graphicè atque ad verum expressas præmissum iri, spectandas exadversum scilicet, & suo quamque loco. Adstruentur & alia nonnulla, argumento haud absimili; atque in his intermortua jampridem ac sepulta pæne BELLI illius ruminatio, quod cum CAROLO GELDRORVM DVCE MAXIMILIANI IMPERA-

RATORIS AUSPICIIS geſſimus. Cujus rei adeo Commentariolum à GULIELMO HERMANNO GOUDANO exiliter quidem, ſed tamen ex fide ſatis (uti apparet) ac rei geſtæ veritate traditum, diebus hiſce HAUTENO meo acceptum tuli; ea inquam conditione, ut (ſi tanti videretur) id ipſum leviter interpolatum, Auctoris ſui nomine, BARLANDO curarem accudi. Nunc itaque in eo ſum totus, ut GOUDANUM iſtum, quem dico, BARLANDO tuo ſic quaſi *Sociennum* adjungam. Sed verò aliquantum (ut dixi) exaſciatum, vel dedolatum potius. Qua in re honori popularis mei conſultum volui: idque de Editoris ipſius, tum LIPSIANA ſententia maximè; ut nobili illo ERASMI Præconio dignum concinnarem ſcilicet, quem alioqui ſæculi iſtius faſtidium effugitare poſſe haud facile videbam. Et quidem eò mehercule lubentius, quod eumpſe non minus veri ſtudioſum, quàm bonum Civem, Patriæque amantem fuiſſe comperior, cum ex ipſius Antelogio, tum ex V CHRONICORVM LIBRI PRÆFATIONE REINERI SNOII; diſertè atque ingenuè profitentis, opera ſe ejus viri haud ſanè mediocriter adjutum; neque ipſius adeo *Hiſtorica Fragmenta* indigna habuiſſe, quæ paſſim ſparſimque operi per cauſſam intexeret ſuo. Unde perſpicuè dilucet nobis, GULIELMUM illum univerſam *Batavicæ Gentis Hiſtoriam* animo complexum fuiſſe jam olim; ſed morte præventum, vel Luxuriæ potius (id quod ERASMUS queritur) intempeſtivo rictu abſorptum;

tum; telam, quam exorsus fuerat, SNOIO superstiti detexendam sic quasi *Testamento Legasse*. Quo majore opere rogatum te volo, ut SNOIUM istum, cujus dimidiatum à te *Annalem* accepi modò, totum aliquando à familiari tuo, quem scribis; precariò exsculpas nobis. Nam cætera illa (de quibus, in Epistola tua, haud infestiva mentio) non moror; ut quæ apud nos, non quidem de Tabernis Librariorum, sed vero ex amicorum scriniis pro arbitrio meo depromendi sit copia. Unum GULIELMUM HEDAM excipio modo; quem si à *Senatore* isto *Haghiensi* Auctoritas nobis expresserit tua,

Rex sum. Regem autem quid loquor! imo Deus.

Idem de integris istis REINERI SNOII *Commentariis* dictum cupio: eo magis, quod Exemplar, quo (virtute beneficentiæ tuæ) dimidiato nunc utor, ejusmodi est; ut qui examussim omnia investigando assequi speret sese, cum SERVO PLAUTINO, *Capillum Promittat* necesse sit, *Incipiatque* HARIOLARI. Ita hiulcæ, perperamque subinde cohærentes Periodi; detruncatæ passim sententiæ; trajectæ voces, aut syllabæ? prorsus,

Ad mentem Auctoris, Archetypumne nihil.

Verbi gratia: *Templorum*, ἀντὶ τῶ *Temporum*: *Vires*, pro *Videres*: *Sinet*, pro *Finiet*: *Non*, pro *Nos*; *Obsidionibus* pro *obsidibus* posita; quis vero absque stomacho, tacitaque animi indignatione, aut fastidio certe legere sese sustineat porro? Scires omnino analphabetum fuisse Apographi ejus sarcinatorem. Mihi tamen tuum consilium stat sequi, ut

ut Centone isto pro tempore vel tantisper saltem *Contentus me Teneam* (*Lucillianam* loquutionem agnoscis) donec integrioris Exemplaris in re præsenti nobis tandem eveniat facultas; quod quidem ab amico jam promissum tibi ad nos Lugdunum usque porro opera mittendum tuæ animis cupientissimis, ne dicam insatiabiliter exspectamus. Hoc itaque curæ tibi, cordique habeas velim⌣. Sed tamen sine incommodo tuo, sine molestia quod fiat. Mandatum tuum de LIPSIO curavi diligentissime; eidemque Epistolæ tuæ perlegendæ feci copiam. Quid vis amplius? Exsilire mihi gaudio propemodum visus; tuique animi candorem, industriam, ac benignitatem utraque manu amplecti, exosculari, laudibusque in cœlum ferre; & (ô Dii) quam facile perspiceres non ex oratione solum, sed etiam ex oculis & fronte (ut ajunt) totoque vultu denique, nihil non tua caussa porro cupere LIPSIUM meum! Quin & hanc quoque SATURNALIUM suorum Editionem nomine ad te transmitti suo; atque istud responsi loco per me Interpretem renunciari adiussit tibi; *Nil prius in Votis, aut studio esse sibi*, quam loci illius, seu diei opportunitatem qua istam Rev.tiæ tuæ prothymiam grata aliqua munisque ac memoris animi testificatione demereri, hostire, & quasi mutuum facere, pro tam insignita faventiæ erga se tuæ declaratione, cum privatim, tum publicitus possit (reapse ac factis, non logis dico) haud quidem in HORATIO recognoscendo (ne quid erres) verum TACITO potius; cujus si-

cuti *Annales* nuper, ità & nunc *Historiarum* libros, LIPSIANIS item *Commentariis* illustratos, propediem es habiturus. Quanquam ad *Venusinum* illum quod attinet, nihil jam aut meâ, aut LIPSII curâ opus esse video, post tantam Commentariorum molem, tot *Notarum* inquam ac *Scholiorum* struices, alias aliis supergestas, non modio, neque trimodio, verum ipso horreo. Nec verò hic LAMBINUM referam (de cujus Interpretamentis, id quod res est, pronuncianti jure assentior tibi) multo minus obsoletos illos atque ambiguæ fidei suspectissimos, ACRONEM puta, ac PORPHYRIONEM, reliquosque ejusdem farinæ ENARRATORES: verum LANDINVM potius ac GLAREANUM, XILANDRUM, FABRICIUM, TURNEBUM, MURETUM, MANUTIUM, HERFIGULUM, Io: BRUTUM, HARTUNGUM, H: STEPHANUM, CRUQVIVM, ac PVLMANNVM denique. Et cui non ex hoc mustaceo laureola petita? Eò dico, ut ne male te habeat, quod eam quam in poëta illo operam à nobis postulare videris, nequeam polliceri. Libenter & hîc quoque petitioni morem gesturus tuæ, nisi (id quod dictum prius) in alienum opus ire verecundarer scilicet. Quod ipsum & in PRÆFATIONE nostra HORATIANO COMMENTARIOLO præfixa jam antea sum contestatus. Huc accedit nova hæcce nostratis *Historiæ* concinnandæ necessitas; ut *Scholia* interim in omnes PLAUTI COMOEDIAS, *Centurionatus* Titulo inscripta: tresque PRÆCIDANEO-

NEORUM Libros in PETRONIUM ARBITRUM silentio præterfluere sinam : quos jampridem adeo ad umbilicum perductos (ne affectos censeas modo) haud ego, sed Chalcoghraphus moratur. Quos simulatque à prælo madentes recepero primulum, unus eris, cui novæ Editionis Primitias nostra imputabit tenuitas. Meritò utique, ac perlubenter. Utinamque par pari redhostiendi contrà (ut ille inquit cum LATRANTI NOMINE) facultas Dousæ aliquando eveniat tuo; faxim, hominem haud nactum te dicas, qui (uti & hic quoque solens porro more Plautissem meo) BENEFICIUM NORIT SUMERE, ET REDDERE NESCIAT. Ne tamen judices nos ad hujusmodi VOTA gratis, & tamquam asymbolos accedere, en tibi, mi spectatissime BURCHI, libellum huncce vix diobolarem:

Pro quo suum nec BUTTUBATTA Nævius;
CICCUMVE Plautus, *aut TITIVILLITIUM*;
BLITUM Catullus, *NAUCI* Afranius *daret*:

NOTULAS has dico nostras in ROMANÆ HISTORIAE PRINCIPEM non quidem in Bellum Iugurthinum, aut Catilinæ Conjurationem, sed vero ad ejusdem *Historiarum Fragmenta*, quæ de tot tamque præclaris *Librorum* MONIMENTIS reliqua nobis modo veterum Literatorum curiositas fecit. Eas proinde Literarii munusculi loco gratas porro acceptasque ut habeas tibi, etiam atque sæpius te rogo, vel tantisper saltem, dum ad primum

musteumque ac recens ANNALIS mei specimen REV.tiæ tuæ exhibendum,

Romano Batavas Legiones ore loquentes,
In Campumque meas acies educere pergo;
SALLUSTI antiquis Insignibus exornatas;
Exorsamque mihi propero detexere telam.

FRATRI (amabo) Clariss. ac doctiss. viro multam à nobis salutem, & quidem de interiore nota. Vale: nosque ama, ac rescribe, quum vacabit ☺. Hoc mihi gratius facere nihil potes. Ego te in oculis fero. LUGDUNI BATAVORUM, Idibus Novembribus. LXXXII.

Rev.dæ Dom.tioni vestræ sic quasi addictus,
tuoque sanè meritissimo

Dousa *tuus*, Burchi *si modo* Dousa *suus*.

EPISTOLA XLIV.

IANUS DOUSA LAMBERTO VANDERBURCHIO,

Decano.

S. D.

VIr Nobilis ac Reverende. Sera gratiarum actio in offensam trahi non debet, præsertim ubi me suspicioni quidem ingratitudinis relictus est locus. Ego vero (mi BURCHI) negligentiæ notam lubenter equidem deprecarer, nisi omnem cessationis hujus culpam partim publicæ, partim (ut fuit) domesticæ occupationes sustinerent. Huc Historiarum tractatio si accedit,

dit, quantillum porro temporis relinquitur, quod literularum ad amicos ſcriptioni impartiamur? Ædepol hominem negotioſum; (inquies). Quid? tantum ne igitur à rebus tibi otii non ſuppetere, ut particulam unam modo, quæ vel familiari Epiſtolio, vel ſaltem ſchedulæ raptim expediundæ ſufficiat, ſolido de die detrahere non poſſis? Mane, iſtuc ibam⌣. Et certè in me verum nimis eſſe experior Horatianum illud, leviter quantumvis immutatum:

Nullum à labore me reclinat otium:
Urget diem nox, urget & noctem dies.

Eò dico, ne me (præter ingenii mei morem) vel beneficiorum immemorem, vel etiam ingratum devexâ jam ætate factum exiſtimes, quod ad Literas tuas, ita eruditè, ita peramanter ſcriptas temporius non reſponderim. Reſponſurus utique, ſi vel tantillum temporis à tricis ac moleſtiis Forenſibus vacuum habuiſſem. Ita tamen, ut Hiſtoriarum tuarum lectioni noctes aliquot imputaverim & quidem eo mehercule avidius ac lubentius, quod & nos jampridem (id quod tangere occæperam modo) tale aliquid molimur. Opus ſanè arduum atque immenſum, ſed tamen nihil eſt quod potius faciamus. Quod jam etiam ſub manus gnaviter porro, haud ductariè procedit: atque ita ut operam hanc celocem, non corbitam locare civibus meis exiſtimari poſſim. Miraris inter tot vitilitigantium argutias, (ne offucias dicam) perpetem hanc laboris tolerantiam, præſertim

in Dôusâ? Quid? si scias, quos quantosque in ANNALIBUS nostratibus progressus faciam quotidie? quam non uniformem, (ne bicipitem dicam) fœtum, editurus, si quidem Lucinam faventem modo, Deosque Nixios propitios habuero mihi. Qui quidem mirificè tibi, immo penè suprà votum opitulati in musteâ atque aureolâ illâ Sereniſſimorum SABAUDIÆ PRINCIPUM Historiæ publicatione. Quid quæris? Exsilui gaudio, quum beneficio tuo primitus tanti Thesauri compos ac particeps factus: nec minus studiis meis privatim, quam rei literariæ in commune plaudere ac congratulari occæpi, cui istiusmodi MUSARUM HERCULES obtigisset. Audi igitur me hoc non Poëticâ, sed vero Historicâ fide prædicantem.

Cedite Scriptores nostrates, cedite Galli:
BURCHIUS Allobrogum primus in Historiâ.
SCALIGERI, & magni meritus præconia LIPSI.
Et quisquam huis sese postulet esse parem?

At enim ego aliquanto non dico industriosior, verum confidentior, qui simplici Laureolâ non contentus geminam personam induerim mihi: & Vatis pariter & Historici partes (ut spero) si non absolutè, at pro virili certè numeros impleturus. Nosti Ovidianum illud: *In magnis & voluisse, sat est.* Etenim bipartitam Patriæ ANNALIUM Editionem adornare me scito, Equestri alteram ac numeris astrictâ; alteram pedestri ac solutâ oratione conceptam: utramque in binas DECADES divisam in proximas (cum DEO vo-

volente) Nundinas habiturus. Et illa quidem jam ad Octavum usque Librum Haghiensibus Typis excusa processit; hæc vero ad Quinti Libri umbilicum à Raphelingio nostro producta. Quæ simul absolutæ fuerint, rectà protenus ad te & quidem curriculo, hoc est, pennato gradu, vel à prælo madidæ, Auctoris missu advolaturæ: neque diem interpositurus, quo minus Humanitatem tuam ante alios ANNALIUM meorum lectionis compotem faciam ac participem: ut æquum est tot tantisque à comitate istâ tuâ beneficiis obstrictum, ac tantum non obrutum, jam inde ab antiquo. Qua quidem Historica Editione, utrum publicæ de me exspectationi ipse satisfacturus sim, nescio; hoc scio, me adnisum sedulo, ut tibi tuique simillimis, id est, & doctis omnibus & probis ingenii mei modulo tum fidem meam, tum diligentiam probarem. Et vero hoc haud timidè asseverare possum, in Patriæ nostræ Antiquitatibus eruendis atque investigandis, multum nos operæ atque industriæ, multum temporis, plurimum denique olei impendisse. Quarum adeo rerum notitiam tuæ potissimum comitati deberi, non sine grati animi ruminatione, LUBENS hercule ac MERITO agnosco; cujus beneficio festivam illam tot archaicorum voluminum copiam, atque in his HEDAM meum adeptus. Idque ipsum publicitus non ingrato memoris Tabellæ Elogio (quando aliud mihi hostimentum pro tempore non suppetit) apud posteros testatum relicturus. Et vero absque istiusmodi

adminiculis foret, sæpe in spissimis tenebris mihi caliginosâ acie micandum, sæpe cespitandum fuisset: & quidem eo gravius, quod manuductore destitutus; meoque remigio, hoc est, domesticis copiis rem gerere coactus; iter intentatum, ac nullius ante solo calcatum fuerim ingressus. In tantis tamen difficultatibus posito, neque animus negotio defuit, neque incæptis labos. Itaque tot tantasque asperitates ex parte eluctatus, è tenaci voragine ac limosis paludibus emersisse aliquando, pedemque jam propemodum extra lutum habere videor mihi: omniaque deinceps porro planiora sperare ac confidere debere, simulatque ad propiora tempora gradum promovero. Interim sustenta, ac sponsionis vicem habeto tibi hanc Epistolam à Douza tuo, amico & Cliente, non quidem nupero aut novitio, sed vero antiquo & veteri; ac non è face Romuli. Libet enim magnificè loqui, ne dicam paratragædiare; & certè decet, apud te præsertim, qui Dousam etiam, non inter Faunos aut Semones, sed Majorum gentium Deos collocare ausus. Nescis (mi Burchi) in quem ruborem me dederit illa pars Epistolæ tuæ, quà me proximè Scaligerum ac Lipsium statuere veritus non es: præ quibus Dousa dignus non est, qui figat palum in parietem. At enim abrumpam melius est, & tu jam (credo) lectitando defessus. Itaque ἀπροσχω simul Amplitudinem tuam ex sententia valere cupio optoque; nosque amare, mutuum utique tuo arbitratu facturos. Fratri tuo Doctissi-

ctiſſimo, integerrimo, amiciſſimo, Poëtæ ac I. C.to ſalutem nunties velim, & interiore notâ, utique Ego vos in oculis fero.

Quod mecum pro veteris illius neceſſitudinis, quam mihi tecum eſſe voluiſti, Iure familiariter expoſtulas; quod quum ſuperiore brumâ iſtic eſſem Amplitudinem tuam interviſere negligens fueram, facis tu quidem benignior & comiter, cæterum ſcias velim hoc ipſum non majori tibi, quam mihi id temporis dividiæ pariter ac moleſtiæ fuiſſe, ac vilem propemodum in naſum conſciviſſe, nimis præter animi ſententiam vorſoriam ad Lares meos capere ac Domnitionem accelerare coacto. Cui neceſſitati cauſa inſuper plus quam ſontica accedebat, Cajæ meæ invaletudo, cui ante omnia morem gerere compulſus, officium tui ac fratris ſalutandi, limenque veſtrum quaſi ex intervallo reguſtandi in commodiora tempora rejicere habui neceſſe, ſumma Satisfactionis noſtræ hæc eſt; Placebo tibi, ſi me culpam emendare permiſeris. Iterum Vale.

EPISTOLA XLV.

IANUS DOUZA F. IANO GRUTERO.

Heydelbergam.

TAmetſi variis curis propter diſceſſum meum diſtractus, volui tamen pauca ad te ſcribere tum amicitiæ noſtræ cauſſa, tum mea.

Ecce

Ecce dum hîc me accingo itineri in Belgium, accidit ut PLESSAEI filius, qui recens è Belgio venit, de profectione sua in præcipuas Germaniæ oras mecum loqueretur. Cumque dicerem me HAMBVRGVM contendere, invitavit me ad partem itineris secum faciendam LIPSIAM usque aut eo unde commodè maritimam aliquam urbem petere possemus. Placuit tandem, quoniam CRACOVIAM etiam se petere dicebat societatem viæ inire usque ad illam urbem unde DANTISCVM paucorum dierum spatio perveniri posset. Itaque paro me planè ad illud iter una cum *Georgio* fratre (nam minor GENEVAM iturus) in quo urbes aliquot magni nominis perlustrare licebit, NORIBERGAM, LIPSIAM, (fortè & WITEBERGAM) DRESAM, PRAGAM, URATISLAVIAM, CRACOVIAM, aliasque. Sed quia sine fructu peregrinetur aliquis in illis regionibus remotioribus à cultu & humanitate civili, nisi diligenter observentur quæ inprimis visenda, neque ea facile observari possunt sine probo designatore, jam literas habent mei comites, quibus commendentur viris dignitate, aut doctrina præcipuis in quaque civitate. Quod tametsi sufficere credo, tamen amor atque humanitas tua, quæ semper erga nos prompta, etiam hic fortè aliquid adjumenti nobis adferet. Scio in illis locis tibi multas amicitias quæsitas, quarum fructum etiam ad alios amicos tuos redundare & amicitiæ lex & consvetudo tua postulant. Ut in pauca conferam,

ro-

rogatum te velim, ut nisi molestum est, amicis tuis, quos passim habes in istis urbibus, per literas nos insinues etiam antequam illos adeamus. Facile id potes tribus verbis, præsertim apud humaniores, quos solos quærimus. FREHERUM mihi aliquando dixisse memini, esse Noribergæ, qui antiquissima nomismata, aliaque multa prisci ævi in ædibus suis spectanda haberet. Ad eum mihi etiam pro humanitate sua commendatitias obtulit, si illuc ire vellem. Cujus rei quoniam pulcherrima nunc incidit occasio, velim, quod incommodo ejus fiat, nostri meminisse velit ac vel in extrema pagella alicujus epistolæ indicare amico suo desiderium quo flagramus visendi etiam ista χειμηλια. Intra octo dies illic futuros nos speramus, atque alteros octo ibidem forte commoraturos. Sed hæc paucis, quia neque festinatio mea patitur, neque amoris nostri securitas exigit longiores logos. Velim quam officiosissimam salutem & à me & à patre (cujus literas his diebus accepi:) FREHERO, MELISSO, SMETIO, & LINGELSHAEMIO nunties. Accepi tiam à SCALIGERO literas plenas fiduciæ, de inventione problematis illius Geometrici tantum ab aliis exagitata. Ita enim scribit: *Scito nos πυξαγωγισμὸν* validissime demonstrasse. Cujus demonstrationis exemplaria in Galliam & Angliam misimus. Exspectamus judicia amicorum de illo. Postea edemus.

Sane

sane magna infamia & flagitio eorum qui nobis obtrectantur, ab illis confessionem exprimemus. Et nisi grave est, volo ut hoc dicas omnibus, quoscunque nosti, & fide mea illis spondeas me aliam editionem Cyclometricorum pollicturum, sed non tam cito. Sponde tamen. * Hæc ille. Iterum vale, & saluta communes amicos. Raptim. Francofurti. VII. April. CIↃ IↃ XCVI.

EPISTOLA XLVI.

IANO DOUSA NORDOVICI,

Patri suo,

IANUS DOUSA FILIUS.

Hagam-Comitis.

DE progressu itineris nostri Pragam usque scripsi ad te dum illic essem. Interea sexdecim & amplius dies effluxerunt, quos partim in illa urbe, partim in itinere, partim etiam hîc consumsimus. Iam quartus est dies cum huc venimus. Urbs sane est inter Germanicas elegantissima, & ornata viris magnis, qui eam illustrant, NICOLAO REDIGERO, & IACOBO MONAVIO; illum, quia rusticatum egressus, nondum vidimus, hunc domi suæ sæpius salutare contigit, virum & humanitate summa & peritia rerum haud vulgari. Ostendit is nobis orationes aliquot excusas, quas haud ita pridem nomine diversorum Principum & populorum Legati aliquot habuerunt coram Po-

lo-

loniæ Rege, ut eum ad ſocietatem belli contra Turcas ineundi ſollicitarent. Inter eas familiam ducit Legati Pontificii BENEDICTI MANDINÆ Epiſcopi Caſertani oratio, quæ & omnibus artis coloribus picta, & ſumma prudentia ſcripta, eoque animi ardore habita fuit, ut & lachrymas omnibus excuſſerit qui adſtabant, & ſitientes reliquerit plura audiendi cum deſineret. Factum id fuit Prid. Calend. April. hujus anni, in comitiis Warſavienſibus. In qua urbe nunc Regis aula eſſe dicitur, eoque venturus Cardinalis Cajetanus Legatus à Pontifice. Percommodè id accidit, quia eà nobis tranſeundum erat, ibidemque viſuri, uti ſpero, nam nunc apud Regem eſt, ZAMOSCIUM Cancellarium, magnum Poloniæ ſuæ decus. Nos hinc recta Cracoviam ituri intra paucos dies. Ibi aut Warſaviæ relicturus PLESSAEUM & gedanum pergam, nam ipſe converſo itinere per Hungariam & reliqua germaniæ Francofurtum redire cogitat. Utinam aut nunc tempus ſuppeteret iſtis peregrinationibus, aut olim mihi eas perficere licuiſſet, nam multum mihi tunc profuturas fuiſſe nunc ſentio. Inprimis tamen ad Galliam aſpiro, matrem omnis elegantiæ, doctrinæ, humanitatis, quam utinam aliquando inviſere liceat, poſt reditum meum ad vos. Pacatiora illic nunc omnia quam aliquot abhinc anuis. Tametſi Caleti amiſſio nupera aliquantum interpellavit ejus felicitatem: mirum quantos animos, quantumque inſolentiæ illa addiderit omnibus Hiſpanienſibus, quales multos Pra-

gæ

EPISTOLA XLVII.

IANO DOVSA PARENTI GEORGIVS DOVSA.

ALiquoties ad te, Pater Chariſſime, jam literas dedi, tam Cracoviâ, quam Leopoli, quibus te de ſtatu vitæ meæ certiorem feci: ad nullas quod reſponderis, nil mirum, quum quo mittendæ eſſent ignorares; his te reſcripturum promittere mihi poſſum. Conſtantinopoli enim jam ſum, ubi fortè tam diu, donec mandata tua ad me perveniant, commorabor. Nactus ſum hic patronum optimum, Douſiani nominis, quod fama illi jam diu innotuit, amantiſſimum; EDOARDUM videlicet BARTONUM S. Anglorum Reginæ, apud Turcarum Imperatorem, Oratorem: Hic in ſuam familiam, ubi primum me vidit, humaniſſimè recepit, ſuaque officia mihi nunquam deeſſe patitur. Humanitas ejus exigit, ut & tute, chariſſime parens, literis eum meo nomine inviſas; tuaque quædam opuſcula, quo melius illi innoteſcas, Conſtantinopolim tranſmittas: lectionem illorum, illi fore gratiſſimam ex odis tuis Lugdunenſibus, quas jam in manibus habet, facile colligo. Etiam G. Codinum mea opera latinitate donatum avidiſſimè perlegit, meque quod hujus civitatis ἀντόπτης eſſe voluerim, ſummopere laudavit; quanquam, prô dolor, vix iſtorum quorum Codinus meminit monumentorum ſuperſint reliquiæ. In ipſa urbe cum

Domino meo jam semel fui *areamque hippodromi, ubi tres serpentes ænei cum duobus obeliscis visuntur, transivi. Carmina quæ obeliscis istis insculpta sunt tibi hîc pono.

Κίονα πετράπλουτον ἀεὶ χθονὶ κείμενον ἔχθῳ
Μὴν ὑπανασσομένῃ δουλοσύνῃ βασιλεύς.
Τολμήσας σφῆλε ὑπερίκλειτος καὶ τροπέῃ
Κίων ἡλίῳ ὑπὸ τελάμωνι δύω.

Ab altera parte hujus obelisci hi versus Latini extant:

Difficilis quondam dominis parere serenis
Jussus & extinctis palmam portare tyrannis
Omnia Theodosio cedunt subolique perenni
Terdenis sic victus fecod.. Mitusque diebus
Iudice sub Proclo § selatus ad auras.

Qui tam sunt duri, ut difficulter à me intelligi possint. In altero obelisco hos versus legi:

Τὸ πετράπλουτον ἅλμα τῆ μιξοφοίνῳ
Χρόνῳ φθάρεν νῦν κωνσταντίνῳ διαπρυσίης
Οὐ ῥώμαν παῖς δέξα, τῆ σκιπλιχίας,
Κρείττων νικητὴ τῆ παλαι θεωρίας
Ὁ' χαῖρ κόλοσσ' ἅμιλλ' ἰῶ σὺ τῆ ῥόδῃ
Καὶ χάλκης ὕτ' ἅμιλλ' ἐστὶν σὺ δὲ.

Vidi etiam in foro, ubi mulieres venduntur, columnam superbissimam, ferreis laminis circumductam, quæ terræ motu forte quassata, jam rimas ducit, brevique ruere velle videtur.

* *Vide* Georgii Dousæ *de Itinere suo Constantinopolitano Epistolam, pag.* XXXVIII. *& seq.*

§ Fac. *Superas elatus ad auras.*

Mul-

Multa alia memoria digna hic reperiuntur de quibus tibi nunc scribere supersedeo. Libellum autem peculiarem, quem his reservo tibi domi, DEO votis meis annuente, legendum dabo; epistolamque concludo si te prius etiam atque rogavero ne libellos tuos aliaque quibus me indigere putas, Constantinopolin mittere oblviscaris. Vale chariſſime parens XII. Maji. CIↃ IↃ XCVII. totique familiæ amiciſque meo nomine salutem dicas.

EPISTOLA XLVIII.

GEORGIUS DOUZA IANO DOUZÆ F. FRATRI.

QUod tam diu, amantiſſime Frater, nihil literarum ad te dederim, non negligentia mea sed occasio prohibuit; cum jam magno itinere peracto salvus & incolumis Bizantium venerim, aliquantulumque temporis hic commorari in animo habeam, tibi sæpius DEO volente scribere dabitur. Vivo hîc in familia Illustriſſimi Domini EDOARDI BARTON S. Reginæ Angliæ apud Turcarum Imperatorem Oratoris; quo homine meliores reperiri vix arbitror, ita est erga exteros humanus, erga suos benevolus. Animum ejus erga captivos nullo modo satis mirari possum: interim quod ego hîc fui ultra decem tam Belgas quam Anglos ex vinclis proprio ære redemit. Nullo itaque modo pœnitere me potest quod hic sim, præ-

sertim cum talem patronum invenerim. Eximia ejus eruditio requirit, ut & tute chariſſime Frater eum per literas meo nomine alloquaris, tuaque poëmata, præcipue notas in Trigam Poëtarum illi tranſmittas, gratiam tibi hoc modo referet maximam, quandoquidem Douſianum nomen jamdiu illi innotuit. Me etiam de ſtatu vitæ tuæ noſtræque familiæ certiorem facere ne oblivíſcaris. Vale chariſſime Frater. STEPHANO, FRANCISCO, reliquiſque fratribus ſalutem precor. Conſtantinopoli XII. Mai. CIↃ IↃ XCVII.

EPISTOLA XLIX.

DOMINICVS BAUDIUS IOHANNI UTENBOGARDO.

Monſieur;

IE ſuis participant en mon ame au dueil, que j'entends eſtre ſurvenu à celle quo mon cœur ayme par deſſus tout ce que j'ay de plus cher en ce monde: tant pour le regard de la tres entiere devotion que je luy ay trouée, qu'en conſideration de l'ancienne cognoiſſance que j'avois avec le defunct monſieur ſon treſcher frere lequel me faiſoit ceſt honneur de me tenir au nombre de ſes bons ſerviteurs, voire de ſes familiers amis. Ie n'oſe vous importuner en un temps ſi mal à propos de me vouloir eſlargir voſtre faveur pour avoir bening accez

vers

vers elle : toutes fois l'integrité de ma conſcience, & la ferme aſſeurance que j'ay en voſtre naturelle de bonnaireté me faict eſperer que vouz ne me deſnierez ce ſignalé benefice, voire avant voſtre partement en France. *Nam animo cupienti nihil ſatis feſtinatur.* Ie ſuis contrainct de confeſſer que mon indiſcretion a beſoin de bon conſeil, mon impatience de reprimende, & vouz rends grace de m' en avoir aultrefois ſerieuſement admoneſté. Ie ſcay tout ce qui ſe peult dire touchant l'oportunité de l'occaſion, qui eſt un des principaux points a obſerver pour conduire a bon & heureux ſuccez les plus belles entrepriſes, & principalement les exploicts d'amour. *In tempore ad dominam venire rerum omnium eſt primum.* Mais d'ailleurs, Monſieur, vous ignorez poinct qu'un feu ne ſe peut tellement couver ou couvrir qu'il ne ſe face paroiſtre ou per ſa chaleur, ou par ſa clarté. Qui voudroit chercher beaucoup de moderation, de retenue, & de reſpect en une exceſſive paſſion telle qu'eſt la mienne, *nihilo plus ageret, quam ſi daret operam, ut cum ratione inſaniret.* N'eſtre pas une douleur inſupportable, un tourment pire que la mort delanguir ainſy que je fais *inter ſaxum & ſaxum*, entre l'eſpoir & la crainte, n'oſant me preſenter devant la face de celle, pour que je vouldrois eſpandre mon ſang : ſi au preallable je n'ay parole de confort & de ſoulas que ma venue ne luy ſera pas ennuyeuſe & qu'elle n'aura pas a deſdain l'offre de

non humble ſervice? Monſieur, ſi j'avois aulcune arriere penſée que ceſte mienne familiere communication de mes plus intimes deſirs vous apportâſt quelque meſcontentement, ou aulcun prejudice a la dignité de voſtre charge, ou amoindriſſement de reputation, je reſpecte & revere tellement les raires dons qu'il a pleu à DIEU vous eſlargir, que je tascherois de tout mon pouvoir violenter ma voluntè pour ne commettre choſe, qui vous puiſſe ou doibve deſplaire. Mais ſi le ciel me prepare tant de bien pour voſtre honneſte entremiſe, que ma nef agitée puiſſe jamais arriver au port de bonne eſperance, je m' aſſeure que vous n' en recevrez ny regret ny reproche, ains une infinitè de remerciements tant d' une part que d' aultre. *Sed ſufflaminandus ſum, fateor. Nimis enim patior me abripi ab impotenti deſiderio.* Il me ſuffit pour le preſent, que je puiſſe obtenir favorable audience ou de bouche ou par eſcript. *Viva vox, & præſentia Turni haberet aliquid ἐλκυστικώτερον & efficacius ad perrumpendum ferreum illud pectus. Sed in recenti luctu vereor ne parum auſpicatus eſſet amatoris adventus.* Toutesfois, Monſieur, je vous ſupplie de croyre que j' ay tellement la craincte du ſeigneur devant les yeux que je ne vouldrois pour choſe du monde luy tenir aulcun aultre propos que plein de tout honneur & de reverence. Ce ſeroit pecher contre le debuoir d' humanitè, contre la raiſon naturelle, contre le ſens commun, contre le ſaincte, la chaſte & loyalle affection que je luy po-

porte. Combien que j'ay moy meſme grand beſoin de conſolation en mes ennuys autant, qu' homme qui vive, ſi eſt ce que je taſcherois luy repreſenter ſelon ma petite portée les raiſons & meditations qui peuvent ſervir de ſoulagement aux ames deſolées veu la triſteſſe ou elle eſt à cauſe du treſpas de ſon treſcher frere.

Contentus ſum modica ſobriaque Theologiâ, nec mihi arrogo magnam in rebus divinis peritiam: ſed pertinax & diuturnus defunctæ chariſſimæ conjugis languor, erga quam omni officio ſum perfunctus, & boni conjugis, & Chriſtiani hominis, effecit ut ſolito diligentius ſacra ſcripta pervolutarem, ex quo limpido fonte ſumenda ſunt vera ſolatia: quibus exulcerata mentes ad ſanitatem revocantur. Sed nimis diffluo ſermonibus, ignoſcas oro verboſitati, & illud facito memineris, quod à Propertio ſcriptum, uſu meum facio, & veriſſimum eſſe experior:

Magnus amor nullum novit habere modum.

Cui concinit aliud ejuſdem vatis oraculum,

Omnis amor magnus, ſed juſto in conjuge major,
Hanc DEUS, ut vivat ventilat ipſe facem.

Vale, Vir obſervande, & proſperè feliciterque rem gere. Dabam Lugd. Batav. Kal. April. CIↃ IↃ CX.

Tuus ἐξ ὁλῆς τῆς καρδίας

Κυριακὸς ὁ Βάνδερ.

EPIS-

EPISTOLA L.

IOHANNES RAINOLDUS IOHANNI DRUSIO.

Franekeram.

CAstigationes tuas in Tobiam (humaniſſime DRUSI) à te per DANIELEM noſtrum MEMINUM dono mihi miſſas, accepi animo gratiſſimo. Tametſi, ut lectiones tuas in Ionam, & apophthegmata à te verſa, ita eas quoque prius ab Aſcanio noſtro nactus eram. Quare lætatus ſum te ſupervacuo ſumptui peperciſſe, qui eas ſolas miſeris: atque ſatis habens te amorem tuum iis mittendis oſtendiſſe, ne deinceps ſimilem ſumptum facias rogo. Valetudine te adverſa conflictatum eſſe, alioqui ad me ſcripturum, vehementer dolui: non tam quod literis tuis carui, licet ob eam quoque cauſſam, quid enim mihi jucundius? quam quod extimeſcebam ne tanto minus commodi ex tuis eruditis piiſque laboribus caperet Eccleſia. Cæterum jam pridem convaluiſſe ſpero: atque ut tu ſalute, nos te fruamur diu, ex animo DEUM oro.

Agnoſcere te porro cum ſanioribus Patribus (ait amicus noſter, amanuenſis tuus.) libros Apocryphos dictatos à Spiritu ſancto non fuiſſe; ac proinde fidei fundamenta ex illis non eſſe eruenda: ſed quemadmodum Iuriſconſulti ſuum Iuſtinianum, Medici ſuum Hippocratem

tem & Galenum, Philosophi suum Aristotelem, omnibus modis & viribus tuentur & defendunt; sic pios istos libros, ubicunque possunt salva fidei doctrina & sacrosancta veritate, excusari cupere. Ego vero, ubicunque salva veritate excusari possunt, tecum plane sentio: sed vereor ne ratio similitudinis, quam adjungit, aliquid amplius postulet, etiam ubi non possunt salva veritate. Qua ex consuetudine quæ & quantæ pestes in artes importatæ sint, dum homines, humanitus lapsos aliquando, tanquam veraces in omnibus defendunt ipsorum discipuli atque sectatores; docet literatè, solidè, sincerè Ludovicus Vives libris de caussis corruptarum artium: ac mihi quidem sic persuasit, ut adversus Philosophorum Aristotelem suum defensitantium distinctionem, de veritate Philosophica, & veritate Theologica; hoc verum in lumine naturæ, illud in lumine fidei: cum eo libeat vociferari. [a] Comprimite linguas blasphemè imperitas, hæc dicitis ex ignorantia eorum quæ loquimini. Immò etiamsi in rebus humanis tolerabile forsan esset hoc indoctum genus censuræ (ut ibidem Vives) saltem præ iis de quibus loquitur, quæ pietatis sunt: tamen, ut Plato [b] dicenti rem quandam, quam reprehendit, parvam esse. At parvum non est (inquit) assuescere; similiter in parvis, exteris, profanis, istam consuetudinem non pos-

[a] Lib. 3. de causis currupt. art.

[b] Laërt. in Plat.

sum facere quin improbem. Itaque cum Aristoteles scriptum [c] reliquerit ex Pyrenæo monte fluere Danubium; Vadianus [d] eum erraſſe post Herodotum hac in re asserat; [e] Camers excipiat Aristotelem ex Herodoti atque aliorum sententia loquutum; & id honestius esse quam Aristotelem in his rebus ignorantiæ redarguere: mihi [f] Vadianus videtur plus spirare veræ probitatis, candoris, sanctimoniæ defendendo suam reprehensionem, eosque arguendo qui Aristotelem nusquam lapsum contendunt, quam Camers Aristoteli patrocinando tam perversè, ac rectum Vadiani judicium carpendo. Quo animo nisi essem, & quidem multo magis, in rebus spectantibus ad Religionem: in castra Papistarum mihi transeundum sit, [*] qui de scriptis profitentur, se in catholicis veteribus scriptoribus plurimos errores extenuare, excusare, excogitato commento persæpe negare, & commodum iis sensum affingere, dum opponuntur in disputationibus, aut conflictionibus cum adversariis. Nos autem (hoc enim audeo de te, mi DRUSI, etiam recipere & polliceri) tantum ab eo absumus, ut negemus Patres erraſſe quum errarint, & contra conscientiam nostram mentiamur; ut ne in Abrahami quidem, patris Patrum, si ita loqui liceat, [-] patris quidem certè sanctorum &

[c] Meteor. l. 1. c. 13. [d] In Pomp. Mel. l. 2.
[e] In Solin. cap. 23. [f] Locor. aliquot ex suis in Melam commentar. explanat.
[*] Ind. expurgat. Ind. univ. Duac. ut lib. Bertr. toler.
[-] Rom. 4. 11.

fide-

fidelium, gratiam id facere fas esse judicemus. Neque enim dubito, quin assentiare potius [g] Lavatero Abrahamum idola coluisse olim è verbis Iosuæ colligenti, & [h] Calvino idem asseveranti; quam [i] Bellarmino Calvinum idcirco perstringenti, tanquam maledicum Sanctorum Patrum obtrectatorem. Quanquam quid te dico? cum Pontificii ipsi, quos Iesuitica lues non infecit, Calvini & Lavateri sententiæ subscribant. Usque adeo ut [k] Andreas Masius exardescens adversus istiusmodi patronos viri sancti, in hæc erumpat verba: Non possum eos audire, qui magno conatu Abrahamum ab hoc turpissimo scelere vindicare, nescio quibus argutiis, studeant: Nec à Masio dissentiat Arias Montanus. Quod si Spiritus Sanctus, in Sacris Scripturis, Abrahami, Davidis, Petri, similiumque errata patefaciat, nec audent viri pii & veritatis amantes ea excogitato commento negare, ne forte contra DEUM pugnare videantur: quis ego sum, qui autores librorum Apocryphorum, Abrahamo, Davide, Petro inferiores, ab errati labe, quam ex infirmitate humani ingenii nonnunquam contraxerunt, vindicare coner? Præsertim cum æque divinæ gloriæ intersit, si quid ego judico, ut horum lapsus detegantur, ad hæreses Papistarum, qui libros Apocryphos adæquant Canonicis veritate, & Purgatorium, preces pro mor-

[g] Hom. 67. in Ios. 24. 2. [h] Inst. lib. III. cap. 14. §. 11. [i] Præfat. contr. 7. Tom. 1. [k] Com. in Ios. 24.

tuis,

tuis, peccata venialia secundo Maccabæorum libro superstruunt, redarguendas: ac interfuit ut illorum indicarentur peccata, ad hominem impuritatis fragilitatisque suæ commonefaciendum; & DEI bonitatem, misericordiam, gratiam, qua peccatores excipit, fovet, sublevat, illustrandam. Quamobrem, quod [l] scriptor quidam eruditus ac religiosus, defendens Siracidem, ut Camers Aristotelem, ait eum loqui secundum opinionem Sauli & Pythonissæ, quum Samuelem ipsum affirmat suscitatum esse: id ego, quia ductus orationis planum facit, [*] Siracidem ex sua sententia loquutum, quippe qui veras Samuëlis laudes voluerit prædicare; & ipsum, non ipsius sub figura dæmonem apparuisse Sauli falso autumarit, dicere non ausim. Quin immò, si eam latebram captarem, vererer conscientias, & tacita judicia, non nostrorum modo sed etiam Papistarum, [m] Vallesii, [n] Vici, [o] Bellarmini; qui quum [p] Iansenius iis aperuisset hanc defensionem, Siracidem loquutum de phantastico Samuele tanquam de vero, qualem suo merito decepti Pythonissa & Saul esse crediderunt; atque adeo adjecisset, non obstare quod in laudem Samuelis id afferatur; tamen agnoverunt ex evidentissima luce contextus hoc tantopere obstare, ut

[l] Lavat. de Spectr. part. 2. cap 8. [*] Eccles. 46.
[m] De Sacr. Philos. cap 33. [n] De desc. CHR. ad inf. Sect. 15. [o] Tom. 1. Contr. 3. lib. 4. cap. 11. & contr. 6. l. 2. c. 6. [p] In Ecclesiasticici cap 46.

illum

illum de vero Samuele loquutum esse adacti sint confiteri; sententiamque illius Bellarminus sic defendere, misere quidem, sed tamen defendere⌣. Quocirca Philosophis, Medicis, Iurisperitis, qui Aristotelem, Galenum, & Iustinianum omnibus modis viribusque tuentur ac defendunt; etiam quum ipsi persuasum habent eos falli, meliorem mentem opto. Ego, [*] Apostolum habens pro exemplo, qui se non posse quicquam adversus veritatem, sed pro veritate pronuntiavit, cum [q] Elihu dico: Ne, quæso, accipiam personam ullius, & apud hominem non utar præfatione; Non enim novi præfationibus uti; paululum utentem tolleret me qui fecit me⌣. Ac in hoc, utcunque exempla, quæ noster proponit tuo nomine, videantur plusculum gratiæ largiri, injuriam tibi faciam, nisi te mihi assentiri credam, vel potius tum assensus esse quum hæc meditareris. Quippe qui ibi tantum excusari libros Apocryphos velle te significes; ubi salva fide atque veritate possunt, & debent; ac ipse ad Apocryphas [-] Estheræ additiones, postquam errorem in iis annotasses, easque non semper oracula fundere monuisses. Viderint igitur (inquis) qui sic eas tuentur, ut canonicis libris non majorem fidem habendam esse viris equisque contendant⌣. Quod autem extremo loco adjungit, te vehementer petere ut si quid in Tobia aut aliis tuis scriptis mi-

[*] 2. Cor. 12. 8. [q] Iob. 32. 21. [-] Ad lib. Esther. addit. cap. 13. vers. 6.

nime

nimè probandum censeam, tibi significem, teque de sententia tua discessurum si mea potior videatur; nihil enim aliud, quam veritatem mecum quærere: equidem hunc animum tuum, de me amanter, de re sanctissimè cogitantem ex animo amplector. Et quamvis maluissem hac libertate uti priusquam ea evulgasses. Quum res esset integra, ut ne opus foret sententiæ mutatione post operum editionem: tamen, prout facultas occasioque foret, enitar id præstare (favente DEO) quod petis; sed hac lege atque omine, ut tu vicissim moneas siquid in meis non probes, & par pro pari referas. Itaque in præsentia mitto tibi partem prælectionis cujusdam meæ (si quid amanuensis peccavit in describendo, ipse facile corriges: neque enim mihi vacavit perlegere) qua tuam de Gorionis filio sententiam, si tamen tuam, non probari mihi significavi. Invitissimus quidem à te similibusque tui dissentio, ita, ut aliis me dissentire judicem, publicè præsertim. Sed huc impulsus sum cujusdam nostratium importunitate; qui [*] epistola quadam typis excusa meum de Mardochæi ætate judicium, immò tuum & multorum, non meum tantummodò, sed ut meum proscidit publicè: atque inter alia testimonium Iosephi filii Gorionis, quem à te putari Flavium Iosephum, quo major esset hominis autoritas, adjecit, mihi oppositum. Ego, qui nusquam à te disertè dictum meminissem, respondi quod res erat, me de eo subdubitare:

[*] H. B. epist. ad amicum de Mardoch. æt.

neque

neque tamen negare ausus, quod potuisse mallem, quoniam id fortasse innuis, [*] quum (ad libri Esther additiones) quædam apud Iosephum Gorionis scripta sermone & literis Ebraicis ideo te dicis Latine convertisse, quod in Græco exemplari hæc nusquam extent: fortasse alio quopiam loco affirmas, qui mihi non occurrit. Si vero mihi DEUS aliquando dederit, ut prælectiones, quas habui de Angeli Tobiæ mendacio, & corde hepateque piscis omne genus dæmoniorum fugante, scriptis committam; eas itidem tibi mittam antequam edantur, ut & rationes quibus adductus à te dissentiam accipias, & si qua ex parte opinionem tuam minus solide putes refutatam, moneas. Literas meas ad MEMINUM nostrum, elegantem jonæ tui laudatorem, si forte is à vobis in Galliam discessit, fasciculum volebam dicere, non literas, velim resignes; & poëma alienum, quod ad eum misi, jam ut tibi missum, non ei, apud te serves; mea scripta, literas, quam primum poteris commode, ad me remittas, quæso. Dabitur, ut spero, magis opportuna occasio quandoque ad eum hinc scribendi, vel scripta potius mittendi. D. MARTINO LYDIO, quoniam es ei (ut ex IUSTI LIPSII epistolis conjecturam facio.) arcta cunjunctus familiaritate, non erit tibi molestum has literas à me reddere. HENRICO SAVILLO nostro, custodi collegii Mirtonensis, ostendi quum Proverbia tua prælegissem, quam amicam

[*] Scholii, in cap. 14. vers. 1.

& ho-

& honorificam feciſſes ejus mentionem. Is, ſi domi eſſet, me rogaret ſcio, ut ſuis tibi verbis dicerem ſalutem. Dico: & ipſi (nam cras aut perendie hîc affuturum arbitrantur.) me, injuſſum licet, dixiſſe ſignificabo. Pænè præterieram quod te inprimis rogatum volui. Bellarmini hæc verba ſunt [r] Ioſephus filius Gorionis in lib. de bello judaico cap. 91. indicat Iudæos conſueviſſe orare pro mortuis, non tamen pro illis qui ſe interimunt. Et hæc [*] Genebrardi: Quod officium ſolis ſui interfectoribus fuiſſe denegatum oſtendit Ioſephus Hebraicus de bello judaico à Davide Kybire hæretico converſus. Indica mihi quæſo, ſi memineris, ubi habeat illud Ioſephus, quod Bellarminus citat; non ego, loco notato (niſi quid me nimium feſtinantem fugit; ut fit) non invenio. Verſionem illam etiam Kybiri, quam neque apud nos uſquam, neque à nundinis nanciſci poſſum; ſi apud vos venalis ſit, cures per Raphelengium, accepto ab eo pretio, mittendam ad Aſcanium, vehementer oro. DEUS tibi, Vir ornatiſſime, tuiſque eruditis laboribus benedicat. Oxon. è colleg. Reginæ; Iul. XXVI.

[r] Tom. 1 Contr. 6. lib. 1. cap. 7.

[*] Chronogr. lib. 2. pag. 101. edit. pariſ. in f.

EPIS-

EPISTOLA LI.

IOHANNES RAINOLDUS IOHANNI DRUSIO.

Franekeram.

EGo vero, mi DRUSI, tuam diligentiam libentissimè, si potuissem, imitatus essem. Sed deprehenderunt me tuæ literæ langventem è gravi diutinoque morbo; quo simulatque sum levatus, occupationes aliæ ex aliis ita ingruerunt, ut vix dum sit otium tibi, sicut volui, ad omnia rescribendi. D. MEMINUM amanuensem tuum non appellavi per jocum; sed quod Latinam vocem, ex [*] Hebræa phrasi, ad eum, cujus manu quasi & operâ in scribendo utereris, accommodari posse duxi, is autem hæc de te scripsit; *DRUSIUS me tibi suo nomine plurimam dicere salutem (quam tibi propriis literis, nisi sua laboraret, dixisset.) & suarum in Tobiam castigationum exemplar mittere, rogavit. Alia etiam; ut lectiones suas in Ionam, & apophtegmata à se versa, missurus, nisi non dubitaret te illa jam dudum per typographos accepisse; quos monui ne posthac omitterent ad vos mittere quodcunque vobis dignum ab illis excudetur. Quòd autem is te per me quasi rogaverat, ut lenius Apocryphos tractares quam quidam alii qui eos penitus explodendos volunt; & pro sacris (licet non canonicis) quales in antiqua ecclesia semper habiti fuerunt, eos habere recusent; Agnos-*

[*] בְּיִחַ

cit, cum sanioribus Patribus, à Spiritu Sancto eos dictatos non fuisse; ac proinde ex illis fidei fundamenta non esse eruenda. Sed quemadmodum jurisconsulti suum justinianum, Medici suum Hippocratem & Galenum, Philosophi suum Aristotelem, omnibus modis & viribus tuentur & defendunt; sic pios istos libros, ubicunque possunt salva fidei doctrina et sacrosancta veritate, excusare cupit. In quibus, jam ex tuis literis intelligo, similitudinem eum tibi haudquaquam probatam posuisse. Nec enim errores cujusquam defendendos; sed, quod vir prudens dixit rem quamvis apprehendendam esse ea ansa qua prehendi potest, idem in Apocryphis libris faciendum te judicare ais. Et quidem de reliquis, quorum è Tobia mentionem facis, me tecum habes sentientem. Cæterum, quod addis idem judicare te de illis verbis, [a] Ego sum Azarias: nam revera (inquis) non erat Azarias, atque ea ratione mendacium est; sed quia formam ejus, ut credibile est, gerebat, ideo sic loquitur; assentiri tibi propterea non possum, quia si [b] ille, qui se transfigurat in angelum lucis, se angelum lucis esse diceret, mentiretur certe, utut ejus formam figuramque gereret. Itaque, & qui [c] venient sub nomine CHRISTI, dicentes, Ego sum CHRISTUS, notantur in Euangelio tanquam seductores, licet CHRISTI forsitan similitudinem referent; & seductorum princeps, se quam potuit similimum CHRISTI repræsentans Martino adoran-

[a] Tob 5. 13. [b] 2. Cor. 11. 14.
[c] Matt. 24. 5.

dum,

dum, dixiſſe [d] fertur; CHRISTUS ego ſum; quem tamen non dubito quin ipſe ſis dicturus in hoc mentitum eſſe. Mihi vero, harum enuntiationum ſimilior videtur illa, qua de agimus; quam earum formularum loquendi, quibus angelus vocatur vir, quod viri; & diabolus Samuel, quòd Samuelis ſpecie apparêret. Nam earum locutionum autores planum faciunt è ſermonis ſui circumſtantiis & contextu, ſe viri quaſi ſpeciem, ut explanat [e] Daniel, appellaſſe virum; & ſpectrum diabolicum, Samuelis ſimile, notaſſe nomine Samuelis, ut explicat [f] Auguſtinus. Contrà, qui introducitur dicens Tobiæ, Ego ſum Azarias. Ita loquutus eſt, ac ſi perſuaſum vellet ſe vere eſſe Azariam, proprie loquendo; non metonymicè, ejus ſimilem; ut ad quæſtionem reſponſio, atque circumſtantiæ cæteræ declarant. Quare non video, quî magis poſſit autor libri Tobiæ excuſari, quin angelum fecerit mentitum, ac idcirco ſeſe convincat mendacii, quia electus angelus mentiri non poteſt; quam ſi quis dicentium, Ego ſum CHRISTUS, affirmaretur ſic loquutus quod ſe CHRISTI ſimilem eſſe prædicaret, è ſententia [g] Prophetæ, Nolite tangere CHRISTOS meos. Atque hæc eſt cauſſa cur illius verba non putem iſta anſa, quam memoras, prehendi poſſe; (id enim poſſumus, quod jure poſſumus;) etiamſi pium fu-

[d] Sulp. Sever. de vita B. Mart. cap. 25. [e] Dan. 8. 15. [f] Ad Simplician. lib. II. quæſt. 3. [g] Pſal. 105. 15.

isse alioqui libri autorem agnoscam & confitear. Ut Petrum quoque Apostolum pietate & sanctimonia præstitisse scio: neque negare tamen ausim mentitum, quum dixit, [h] Non novi hominem; etsi [i] Ambrosius neget, pio affectu, sed falso, ut castigans eum ait [k] Hieronimus. De Iosepho mihi cumulatissimè satisfecisti. Hugo quidam Broughtonus, Ascanio nostro notus, is est qui illud tibi tribuit. Cujus epistola, si Latinè scripta fuisset, misissem ut petis. Scripta est Anglicè; quippe, nostratibus; quibusdam ejus discipulis; doctorem & exterorum judicia reformidat. Kyberum nactus sum, Bibliothecæ sanctorum Patrum, Parisiis editæ, appendice: nec de eo mihi curando amplius sis sollicitus. H. Savillum nostrum rogavi heri vesperi, nunquid ad te vellet; quoniam significaras (ostendi ei tuas literas) salutem ab eo nuntiatam futuram tibi gratiorem, si ipse ita fieri jussisset, aut ad te scripsisset. Rogavit ut iterum te suis verbis salutarem; nec enim vacare scribere, quum hodie summo mane ad Aulam esset reversurus: se pridiè cum Bodlæo (apud quem ruri fuerat) de te sermonem habuisse; ac intellexisse te Hagam venisse eum salutatum, priusquam è Belgio redirit. M. LYDIUM, quæso, quam amantissimè à me saluta: ad quem & te missurus sum, favente DEO, si quid aliquando in Bellarminum; neque enim adhuc licuit per va-

[h] Matt. 26. 72.
[i] Comment. in Luc. lib. 10.
[k] In Matt. 26.

le-

letudinem & multiplices occupationes. In Petri Fabri Agonisticon si nondum incidisti, mentionem tui ab eo fieri scito, lib. III. cap. X. pag. 265. Vale. Oxon. Aug. VIII. CIↃ IↃ XCIII.

EPISTOLA LII.

IOHANNES RAINOLDUS IOHANNI DRVSIO.

ETsi rationes meæ, V. Cl. de Tobiæ angelo, non ex omni parte tibi satisfaciunt, sententiam tamen meam ex iis quæ scribis ipse (expendas modo diligentius) astrui videbis. Nec enim inficiaris mendacium subesse verbis illius. Ego sum Azarias, si iis significatum & persvasum voluit se verè Azariam esse, non ejus similem. At autor à te citatus [a] Augustini nomine, dicens, Celavit angelus nomen, Azarias sum, inquit, Ananiæ magni filius, & quæ sequuntur, docet eum voluisse verè Azariam haberi ad tempus, non perpetuo; nec temerè, sed juvandi caussa. Quare si doctissimi interpretes scripturarum merito (ut mihi quidem videtur) Rebeccam fraudis arguunt, Iacobum mendacii, quod [b] is Esaum se esse dixit, quamvis hoc ad tempus tantummodo persvasum Isaaco voluit, & officii caussa: nonne

[a] Serm. 226. de tempore. Reject. à Theol. Lovanien sibus in append. Serm. 65. [b] Genes. 27. 21.

ex eo sequitur, angelum qui non modo celavit suum nomen (hoc feciſſet recte, ut in [c] canonicis libris) sed etiam falso tribuit sibi alienum, ad tempus, ut juvaret, officioso, quod appellant, mendacio ad tempus seſe polluiſſe, ac propterea peccaſſe? De Obſervationibus tuis gratiam habeo. Non dubito quin habeat etiam Savilus: etsi nullas literas ab ipso acceperim, ex quo exemplar ad eum miſi. Significasti D. LYDIO miſſurum me illi quicquid edidero. Bene factum. Ac utinam largiatur mihi DOMINUS valetudinem cum otio, & sine curis (quod tibi quoque tecum opto) ut aliquid edam mittamque. Interim prælectionem, nec editam, nec edendam, quam una tibi mitto, communem illi, quæso, tecum esse sinas. Vale. Oxon. Iun. XVIII.

[c] Gen. 32. 29. Iud. 13. 18.

EPISTOLA LIII.

IACOBUS ARMINIUS IOANNI DRUSIO.

INgratus sim, Vir Doctiſſime, si gratiam tibi debere diffitear: bis enim mereris, quâ inſtruendo me, quâ ornando. Inſtruis me literatis tuis literis, & aliis editis aureolis libellis; ornas dum nomini meo in illis locum esse voluisti honestum. Gratias igitur tibi debeo lubens, &, quia debeo, habeo & ago; referre non est meæ tenuitatis, nisi tu benevolè meum studium, quo

quo Theologorum filios mei similes ad tua legenda adhortor, ita æstimare velis; quamquam nec illud facio tam quia debeo, quam ut animo meo satisfaciam, qui ægerrimè fert ab istius nominis hominibus illa contemni, sine quorum cognitione nomen illud amplum tueri non possunt. Tu autem breviter & solide illum contemptum & objectamenta quæ ex eo & pro eo, redarguis. Si desinant, bene illis: sin minus tu quoque perge, & hoc tantum illis ingere: Qui contemnit, contemnat, imo contemnatur. Perge, inquam, & puta istos contemptores numerum non facere, præ illis, qui ista studia ut par est amplectuntur. Ne autem vocis tantum vice tibi sim monendo, sed & cotis acuendo, statui porrò, quo majorem tibi de me benemerendi occasionem offeram, tecum, de talibus conferre; & nunc de hisce. Locus apud Malachiam Epistola tua prima, ante quinquennium fere pro concione non dissimiliter est à me explicatus; nisi quod utramque sententiam, tum populo proponebam, significans istam tuam convenientiorem videri, in qua etiamnum tua fretus auctoritate firmius persisto. At verba ista ליום אשר אני עשה an necessario per ellipsin sint explicanda? an non ita reddi possunt, *in die quam ego facio?* sicut ps. cxviii. זה היום עשה יהוה quod Pagninus vertit. *Hæc est dies quam fecit IEHOVA.* Per ellipsin אשר vel hoc pacto verti potest. *Hanc diem fecit IEHOVA*, absque ellipsi. Licet enim omnes in universum dies fecerit IEHOVA faciatque, ta-

men istos forte dies peculiari modo facere dicitur, quibus aliquod suæ providentiæ insigne opus exsequitur, qui propterea etiam suis nominibus sæpe insigniuntur, *ut dies judicii*, *dies visitationis*, *dies iræ*, *tribulationis*, *increpationis*, *dies furoris Domini*, etc. Et *dies Domini* dicuntur. Locum Psalm. XIX. variè ab interpretibus redditum novimus, tua autem interpretatio duplici nomine mihi placebat, quum in horto PETRI VEKEMANNI amici nostri eam proponeres, quia phrasi hebrææ propinquior, quia sensui Prophetæ accommodatior. Atque ita etiam vertit paraphrastes Chaldaicus ולא משתמעין קליהון Rectè. Quum enim cœlo attribuisset, quæ absque voce articulata, sermone, dictione illi convenire proprie non possent, explicat, quo pacto cœlum illa præstet etiam absque istis, & dicit cœlum מלל per ordinatum suum & regularem motum. Quum tertiam tuam epistolam legerem in mentem venit vulgatum illud, bonum Philosophum non semper esse Philosophum, quæ enim ratio, ut gloria simpliciter lingram significet, quia aliquando ita accipiatur. Oratio enim efficit ut vox aliqua propter alias adjectas non propriè sed tropicè aliquando sit sumenda: In loco IX. Iudicum epistola IV. sententia prior magis arridet: tum quia similis phrasis usurpatur ab olea, cujus fructus etiam in sacrificiis adhiberi solet, non autem à ficu, cujus dulcedinem, amant ואנוש ארם tum vel maximè, quia voce אנשים intel-

telliguntur etiam isti magnates. Isti enim honorantur per oleum, dum unguntur in Reges & Deos. Nisi forte ea vox aliter hic quam versu IX. usurpetur. Sed hactenus ista, quæ judicii mei an feciſti? non nominatim. Ergo ad id de quo nominatim me rogas sententiam. Dupliciter isto loco à TREMELLIO dissentis in voce דבר & בהושע quarum illam ille putat verbum, tu nomen, hanc reddit *ad Hoseam* tu, *in Hosea*. Utrobique tibi assentior. Nulla enim hic est necessitas, qua infinitum verbum vice subſtantivi verbalis usurpetur, ut tu pulchrè commonstras. De altero autem licet aliqua controversia moveri possit ob particulæ ב variam significationem, & ל ב & אל inter se transmutationem, tamen utri ratio nulla diversum jubet, in prima & potissima significatione videtur accipienda particula, qua ב idem quod *in* significat. Commodissimè autem dici potest DEUS in Hosea locutus per internam revelationem. At hic duo quædam mihi vide. Numer. XII. vers. VIII. particula ב bis construitur cum verbo דבר eademne significatione? non videtur. Nam פה אל פה ארבר בו incommodè redditur, *ore ad os loquar in eo*, sed potius, *loquar ad eum*, vel, *cum eo*. Et Paraphrastes Chaldeus reddit per עם Et. *Cur non timuistis* לדבר לעבדי *loqui* non *in servo meo*, videtur, sed *contra servum meum*. Deinde, an ista loquendi forma significat hæc in visione per noctem gesta esse à dormiente? Augustinus Enchiridii sui cap. LIX. lo-

cum Zachariæ I. & II. cap. *Et dixit mihi Angelus qui loquebatur in me*, non de apparitione & alloquio in somnis interpretatur, sed de interna revelatione, quæ fit intus in animo extra somnum, sive per alloquium sive per visiones. At juvat tuam mentem locus alius eodem capite Numeror. Ubi utrumque conjungitur. בן כהלום אדבר ut ut est in summa rei tecum mihi convenit, istis verbis significari internam revelationem, qua DEUS suam voluntatem Prophetæ Hoseæ patefecit⌣. Cæterum hujusmodi Hebraismi observandi videntur metaphrasti. Licet enim reipsa forte idem duæ quædam voces significent, tamen non eodem modo & ratione, & essentialiter seu realiter convenientia sæpe formaliter & secundum certam rationem differunt. Interpreti autem, quantum fieri potest & res ipsa significata & modus significationis videntur exprimenda. Cum his vale & me, quod facis, amare perge⌣. Salveat à me uxor tua lectissima. Etiam EVERHARDUS PETRI, cujus Ebraicam epistolam cum gaudio & admiratione legi, quod tam brevi istos progressus in sancta lingua fecerit, unde & tu, qui præcipuus illorum es auctor, laudem & gratiam à nobis mereris. Vale iterum, vir Doctissime & salve, ab eo qui Reipublicæ Theologicæ Princeps istius te bono in hanc lucem produxit⌣. Amsterodami IX. Martii. CIↃ IↃ XCV.

EPIS-

EPISTOLA LIV.

IACOBUS ARMINIUS IOANNI DRUSIO.

FAcile mihi tecum convenit, Vir Doctissime, super istis, quæ de interna DEI revelatione Hoseæ facta es commentatus. Neque in eo dissentio, quod istam in visione factam dicis, modo visionis vocem tam pro notionum audibilium quam visibilium impressione accipias. Locum autem Augustini adduxi, ut commonstrarem illius viri auctoritate alloquia hujusmodi non dormientibus tantum sed & vigilantibus fieri, quod tu quoque fateris. Cæterùm quo pacto Angelus se suaque sensa homini communicare possit, jam non discutiam: illud autem diligentius mihi indagandum est, an ut alloquium ipsum DEI & mandatum de assumenda fornicatrice in visione Prophetæ contigit, ita quoque istius mandati exsecutio in visione facta fuerit, an vero reipsa, de quo mihi nondum constat, quid in alterutram partem sentiam. Cogitabo autem serio, & tum meam mentem tuæ notitiæ & judicii faciam. De loco Malachiæ, an reddendus, *die quâ facio*, vel *quam facio*, non multum contendo, licet analogia constructionis Hebraicæ pro me faciat, secundum quam legendum esset ליום באשר vel ליום אשר בו quandoquidem nota seu termi-

nus

nus temporis, quæ per quando significatur particula ב Hebræis exprimitur, vel ejus vice ל nisi tu forte mihi gratificeris & locum commonstres ubi etiam absque hujusmodi particula terminus iste temporis significatur. De voce אלהים nobis sermo erat in cœna, ni fallor, AMBROSII nostri, atque tum consensum inter nos non significare personas seu ὑποστάσεις divinas, ut magnis nonnullis Theologis præsertim Zanchio videtur, cujus autoritatem secuti alii non indocti etiam populo ex ista voce personarum Trinitatem adstruere moliuntur. Quæ res quanti periculi sit, vident illi, qui in re tanti momenti solas ἀποδείξεις adserendas censent, ne unico minus firmo argumento refutato spem concipiant adversarii, suspiciones imbecilliores etiam alia omnia refelli posse. Quare tu utilem navasti operam Epistola ad MONTANUM, non illi tantum sed multis aliis illam lecturis, & per illam argumenti istius infirmitatem, ut spero, cogniturus. IOANNEM SYLVIUM, antea mihi sat commendatum, magis propter te commendatum mihi fore ipse experietur, si qua in re opera mea ipsi usui esse possit. Vale vir Doctissime & me ama. Plura jam non licet propter occupationes varias. XII. Aprilis. CIↃ IↃ XCV. stilo novo.

EPIS-

EPISTOLA LV.

IACOBUS ARMINIUS IOANNI DRUSIO.

EGi hiſce diebus cum UTENBOGARDO ſuper negotio, de quo multus nobis ſermo erat, quum hîc eſſes, eique id commendare ſtudui pro viribus: at exigua opera ad hoc opus fuit apud illum, qui ſponte ſua & naturæ quodam affectu ad illa ſtudia propendit. Quare operæ pretium erit, ut illum de rationibus tui inſtituti, ejuſdemque utilitate per literas edoceas, quo ſolidè & accuratè negotium hoc apud Ordines agere poſſit, & quod volumus impetrare. Sperat omnino ſi utilitas rei, quæ præ manibus habes, commodè explicata ordinibus innoteſcere queat, non fruſtraneam fore, pro ea, interceſſionem. Hoc ergo age, nec cunctanter. Res enim magna eſt, quam tibi proponis & laborioſæ plena operæ, ſed cui fructus, meo judicio, reſponſurus ſit ampliſſimus. Mirarer cur plerique hac ætate, tam jejune de iſthoc ſtudii genere ſentiant, niſi viderem multos, etiam inter eos qui ſacroſancto ſtudio devota gerunt pectora, partim ſuperficiariâ rei Theologicæ contentos cognitione ſolidam & vero nixam fundamento non quærere, partim illa ſola magnificare ſine quibus ſalutem conſtare non poſſe putant, floccifacere autem quæ ad phraſin ſa-

sacri sermonis, ad certum sensum Scripturæ, ad antiquitates priscæ judæorum Ecclesiæ, ejusdemque ritus, mores, consuetudines, tum in sacris tum in civilibus rebus pertinent. Quod magis mirum est, quum tantus ubique inter potentes & doctos sit numerus, qui quantivis pretii æstimant etiam minutissima, quæ ad Romanæ Græcæque rei & linguæ scientiam vel tantillum momenti adferre posse arbitrantur. Hujus autem rei, præter supinum omnis religionis & præsertim veræ, qui in multorum viget animis, contemptum, caussam esse puto summam, & cum nisi impigro & assiduo labore superandam difficultatem, quam in istarum rerum inquisitione, elucidatione, & enucleatione necessariò positam vident. Quem laborem plerique fugiunt, aliis per occupationes impendere integrum non est, pauciissimi ob ignorantiam istarum Orientalium linguarum adhibere cum fructu & emolumento possunt. Quare rem illam omnium in divinis eruditorum opera digniissimam, tu porrò tractandam susipe; instructus es à cognitione illarum linguarum, quæ ad eam requiruntur, suppetit tibi copia librorum necessariorum, otium non deest, quantum postulat usus, φιλοπονία adest tibi necessarium magnis ingeniis ad præclara perficienda instrumentum; ad reliqua quæ desunt, quia ære suppleri possunt, rogandi penes quos ejus est satis ampla potestas: ad hoc negotiationis munus se promptum offert UYTENBOGARDUS, argumentis tantum instrue facundum intercessorum,

forum, & illius fidei negotium cætera securus committe, effectum dabit ex voto, nisi quis malus genius tantum bonum nobis invidebit. His vale, Vir Doctissime, & te unice colentem redama, quod facis. Precor Dominum IESUM ut tuis studiis ad nominis sui & Ecclesiæ amplificationem benedicere affatim dignetur. x. Kal. Ian. CIↃ IↃ XCV II. stilo novo.

EPISTOLA LVI.

IACOBVS ARMINIVS IOANNI DRVSIO.

LEgi, vir Eruditissime, commentarium tuum in P S. secundum, cum voluptate sane, nec sine profectu: legi, inquam, & relegi, tantopere afficiebar, quum primitus percurrerem. Ego sanè, siquid judicare possum, arbitror magno cum fructu & utilitate studiorum Theologicorum lucem aspicere posse, ubi absolveris. Scio quidem esse, qui ista talia, ut minuta contemnunt, at ignorant hæc talia esse principia & fundamenta eorum, quæ illi sola pretii alicujus habent. Si nossent Theologiam, non tam scientia quam fide apprehendi, secus forte judicarent. Fides enim innititur autoritate dicentis seu loquentis DEI, cujus sensum si quis percipere posse putat absque singulorum verborum & phrasεω intellectu, næ ille mihi multum errare à vera mentis ratione videtur. Istam autem, quam tu sectaris, viam percommodam esse

esse ad singula tum verba tum phrases sensumque utrorumque percipiendum, experientia ipsa demonstrabit iis, qui experimentum ejus sumere volent tua legendo & accuratè meditando. Quid enim huic negotio, quod instituis, utilius, quam variarum & doctarum interpretationum cum ipsa natura & primæ vatum vocis tum phraseos hebraicæ significatione collatio? quam similium locorum ex ipso contextu sacro comparatio? quam diligens & accurata omnium illorum inter se expensio & dijudicatio? Fateor ex scripturis, ea quæ absolutè ad salutem sunt necessaria percipi posse, absque ea qua tu uteris, ἀκριβείᾳ & accuratione: at qui istam eandem ad refellendas falsas opiniones & doctrinas, ad uberiorem & rectiorem cognitionem sacrarum rerum acquirendum inutilem esse censet, ob id quod ex qualicunque locorum, quos vocant, communium, cognitione, tanquam ex recta norma & amussi judicare de illis difficilioribus posse arbitratur, ille dignus est qui majorem scientiam in istis non adipiscatur, & inter minorum gentium Theologos habeatur. Remitto autem tibi commentarium, quem diutiùs quidem æquo apud me habui. Sed excusationem aliquam mereor, tum quia aliquot hebdomadas, apud Commelinum fuit, antequam nobis traderetur, tum quia THYSIUS illum aliquandiu habuit, cujus judicium cum meo consentit, quod tibi significatum voluit, tum etiam quia ego aliquandiu abfui & variis insuper negotiis impeditus fui. Vale, Vir Præstan-

ſtantiſſime, & me ama. DEUS te diu ſuæ Eccleſiæ incolumen ſervet, & ſcholis. Amſterodami XII. Iunij CIↃ IↃ XCVII.

EPISTOLA LVII.

IACOBUS ARMINIUS IOANNI DRUSIO.

DOlenter pro eo ac debui uxoris tuæ optimæ fœminæ obitum tuli; non tantum quia te fidiſſima vitæ ſocia privatum intelligo, ſed etiam quia novi quantum rei familiaris cura ſtudiis incommodet, eorumque progreſſum impediat. Tu tamen, qui quotidie ſacras literas penu & ſacrarium omnis veræ conſolationis ingrederis, ſolatio adverſus illud malum deſtitui non potes; ab iſta vero te eousque diſtrahi & diſtineri non patieris, ut inceptum opus ſegnius tractes, tardiuſque quam utilitas publica permittit, abſolvas. Neque eſt quod ego hic monitoris fungar vice, aut ibi conſolatoris. Scripſit ad me hiſce diebus IOANNES UYTENBOGARDUS amicus noſter, ſe negotium illud, quod ipſi commendavimus, ante abitum ſuum in caſtra plene conficere non potuiſſe, ſpem tamen ſibi optimam factam à BERNEVELDIO fore ut voto noſtro potiamur. Spondet interea idem UYTENBOGARDUS pro Ordd. nihil tibi defore eorum quæ ad promovendum opus iſtud exiſtimabis pertinere. Pollicetur inſuper ſe literis ſuis apud D. BERNEVELDIUM inſtiturum,

& si omnino id isto pacto confectum reddere nequibit, statim ubi redierit ex castris, omnibus viribus annisurum, ut ex voto nostro felicem exitum sortiatur. Perge itaque forti pectore, adjutus multorum bonorum & doctorum suffragiis & votis, multorumque qui in auctoritate sunt favore suffultus. Ne te moveant siniſtra quorundam judicia, major illis omnibus esto, & contra audentior ito. Cogita res magnas adorienti plerumque impedimenta objici, studio quidem communis adversarii nostri Sathanæ, qui studia suis studiis contraria vult impedita; at permissu providentiæ divinæ, quæ exercere & probare nos statuit, & necessitatem injicere operam ipsius continuo implorandi. Nehemiæ exemplum inspice & innitare, & felicis exitus recordatione te consolare. Vale Vir Doctissime, & me ama te unice colentem. Salveat à me NICOLAUS noster, cujus studiis sanctum & felicem successum opto, in DOMINO. IX. Kal. Iunii CIↃ IↃ XCIX. Amsterodami.

EPISTOLA LVIII.

IACOBUS ARMINIUS IOANNI DRUSIO.

TU solus es, Vir Doctissime, qui de negligentia mea in officio literarum quereris; neque sane injuria fateor. Loquutulejus enim

sum

ſum apud alios amicos, quorum plerorumque nomina in meo ære habeo. Sed æquales ſunt plerique, eoque ipſo liberius cum illis confabulor. Tecum non ita audeo, ne infans habear. Soli itaque verecundiæ id adſcribi velim, non amoris defectui aut oblivioni. De profeſſione oblata, quod mihi gratularis, gratiam habeo; at quid de illa futurum ſit ignoro. Curatores vehementer negotium agunt, neſcio quo meo merito, & mei non minus animosè ſe opponunt, & nonnulli ex illis etiam aliunde advocata opera. Ego rem DEO committo, & pacato animo eventum expecto. Statutum mihi DEO inſervire, in quacunque me ſtatione collocabit: Ille mihi hunc animum conſervabit, ſpero, & vires ſuppeditabit pro ſua benevolentia. Non poſſum quin providentiam ipſius hac in re admirer & exoſculer. Experior veriſſimum eſſe quod dicit Pſaltes. volve viam tuam ſuper Iehovam & ſpera in eo, & ipſe ſanet. Educet ſicut lumen inſcitiam tuam. Ego non paucis, qui ſunt in authoritate, dixi tuam operam inprimis iſti Academiæ eſſe neceſſariam, & hoc experientia teſte comprobavi, quod ex illa ad vos nonnulli hac ſola cauſſa moti conceſſerint, ut ex te Hebraica diſcerent accuratius. Miſi ad UYTENBOGARDUM programma libelli quem ipſi dedicaſti, & quod petebas illum monui. Expecto in proximam hebdomadam illius ad nos adventum, tum coram cum illo ea de re agam. Interea rogatum te velim, ut ſerio pergas, neque magnopere cures obloquutorum

rum sermones. Fieri enim nequit ut omnibus placeant nostra, imo ut omnibus nos ipsi placeamus: quemadmodum neque nobis placent aliena omnia. Qui contradicit nostræ sententiæ citra acerbitatem & calumniam & argumentis suam adstruere nititur, hunc ego etiam gratiam à nobis mereri arbitror. Nam datur occasio aut discendi, aut sententiam veram latius defendendi. Ita ego statuo, virum doctum alicubi aberrare posse, sed tum etiam errat declarare non exiguas esse causas errandi, quo ipso eruditionem suam testatam facit doctioribus. Eruditionis palma in medio posita est, ad illam contendant ingenia eximia suis nixa viribus, modo ne sufflamine injecto aut objecto scandalo remorari cursum alterius moliantur, & ex ruina alieni nominis struem suæ laudis facere per calumniam & maledicentiam. Ego id nunc sæpe exoptavi, ut qui sinistrius de me sentiunt, vel verbulo indicarent quid desiderent, hoc impetrare vix ab uno potui. Mirum ni metuant plerique, si hæresin cominus in ejus assecla oppugnatum eant, ut ipsi quoque ab hæresi capiantur nacta non inidoneum defensorem. At ecce verecundus sum primo aditu, ubi illam detersi, vix finem facio loquacitatis. Tu autem boni consule, & me, quod facis, ama, te colentem unice. Vale cum bono DEO. Amsterd. IV. Kal. Apr. CIↃ IↃC III.

EPIS-

EPISTOLA LIX.

IACOBUS ARMINIUS IOANNI DRUSIO.

CLariſſime Vir, quum hi diſcipuli mei declararent in animo ſibi eſſe aliquantiſper veſtram ſcholam viſere, vel tui potiſſimum audiendi cauſſa, & ſimul commendatitias ad te peterent. Ego illorum petitioni deeſſe nolui, probi enim ſunt & honeſti; ille pædagogus, diſcipulus iſte miri ingenii & progreſſus ſupra ætatem, preſertim in Philoſophicis. Velim itaque ut tua officia, quantum feret æquitas, ipſis deeſſe non patiaris. Intelligo acrius apud vos de voce IEHOVA & ELOHIM diſceptari, & quidem nova nomina confingi dum *Iehoviſtæ* & *Elohiſtæ* appellantur nonnulli; non arbitror tibi iſta placere, quare velim ut authoritate tua iſtis obviam eas. Satis enim diſſentionum eſt in orbe Chriſtiano. Sat multis conflictatur & affligitur contentionibus Eccleſia CHRISTI. Demus operam ſopiendis iis & minuendis, quantum in nobis. Si quid ſcire arbitremur aliis ignotum juſtis rationibus adſtructum proponamus publico judicandum, probandum, improbandum cum omni manſuetudine & lenitate. Ignoſce liberiori ſcriptioni, quam ideo inſtituo, ut abs te intelligam, quid rei ſit & unde cauſſa mali. De familia etiam tua nonnulla feruntur minus jucunda auditu, DOMI-

NUS illam tibi integram & illæsam conservet. Sunt qui cum dolore & commiseratione de illa loquuntur, at quid illi acciderit mali non enuntiant apertè, unde mihi suspitio, quam abs te eximi velim, si quidem justa petere existimes. Non sum curiosus inquisitor rerum alienarum, at doleo quum ista audio ab iis, qui nôrunt, quantum inter nos sit amicitiæ vinculum. Unde etiam arbitrari mihi licet, quorsum istæ narrationes tendant, siquidem bono animo fiunt, nempe ut ego pro virili occurram, qua monendo, qua precando, ne per te gliscant dissidia inter illos, quos fas est esse quam conjunctissimos. Nisi animum tuum erga me nossem, & scirem perspectum tibi esse animi candorem mei tanta apud te libertate non uterer. Vale Vir Cl. cum bono DEO, cui te tuaque omnia commendo obnixissimè: & me, quod facis, ama te colentem unice. Lugduni Batav. II. Sept. CIↃ IↃC IV.

EPISTOLA LX.

IACOBUS ARMINIUS IOANNI DRUSIO.

VIr Cl. Idemque Doctissime; Incidebat mihi hisce diebus ex occasione desiderium legendi libros tuos, quos *de Hasidæis & sectis Iudæorum contra Nic. Serrarium* edidisti: inter legendum autem ita crevit desiderium, ut de manu non deposuerim antequam integros uno velut spiritu per-

perlegiſſem. Legi autem ut meus eſt mos legere omnia ſcripta, unis iis exceptis quæ κατ' ἐξοχὴν ſcripturæ appellentur, citra affectum & præjudicium; quod eo mihi eſt facilius, quia nulli me ſententiæ mancipavi, non de rebus divinis, niſi quam ſcripturæ plane & perſpicuè enuntiant; nec de aliis rebus ullis, niſi quam video argumentis adſtrui: quibus etiam vel fidem vel opinionem accommodo, prout vel veriſimilitudinem vel neceſſitatem habere comperio documenta. Extorquet autem res ipſa, ut tibi potius quam Serario aſſentiar: ut tu mihi munire ſententiam tuam videris, ita ille lubricè verſari in explicatione & probatione ſuæ. Tu ex penu ſcientiæ multorum annorum ſtudio comparatæ depromere tua videris, ille ut authoribus obiter inſpectis, & non raro ex relatione aliorum & conjecturis iſta nixis pleraque proferre. Non hoc dico quia tu meæ profeſſionis vel ſectæ es aſſecla, ille pontificiæ. Quid enim iſta ad diſſenſionem noſtram cum religione pertinent. Neque etiamſi pertinerent, à quo vel quali dicantur attendo, ſed oculo puro in rem non in auctorem retorto lego quæ lego. Quæ ipſa res me multorum calumniis fecit obnoxium. Fateor autem me tibi plurimum debere ob operam iſtam navatam. Multa enim mihi non modo antea non ſatis cognita, ſed ne cogitata quidem docuiſti. Quidni enim ſyncere profitear, quod dictat conſcientia? Et quotuſquiſque idoneus eſt iſtis talibus ex ſuis authoribus eruendis? Hujus ipſius rei luculen-

tum ſpecimen præbet ipſe Serarius, qui nec à libris nec à notitia linguarum videtur eſſe deſtitus. Attamen tam multa errata in illius interpretationibus commonſtras, quæ etiam ego, quamvis modicam Hebraicæ tantum linguæ cognitionem adeptus animadvertere poſſum te ſic præeunte, ut confirmer in iſta ſententia, quam à multis annis habui, tuos labores non modo utiles nobis eſſe, ſed & magnopere neceſſarios, ſi quidem illorum, quæ ſæpe ſine aliquo dedecore & errore circa ſenſus nonnullorum ſcripturæ locorum, à nobis neſciri poſſunt, ignari porro manere nolimus. Perge igitur bene de ſtudiis Theologicis mereri; conciliabit tibi opera iſta magis magiſque, quanquam in tenui videatur poſita, & famam tibi & benevolentiam eorum, quos non pudet diſcere quæ ignorant, & per ſe diſcere nequeunt: ex quorum numero ego me profiteor. Duo autem præ cæteris non poſſum non vehementer laudare. Primum eſt, quod aperte pronuntias te adhuc dubitare & ſententiam ſuſpendere ubi argumentis prolatis plenum adſenſum tribuere vereris. Alterum, quod neque ſententiam mutare detrectas iſta ætate & tot annos in rebus iſtis verſatus. Quæ ipſa tanto magis amo, quanto meo propoſito ſint propinquiora. Neque enim tantum diſcrimen inter ea quæ tu tractas, & quæ ego, eſſe exiſtimo, ut mihi omnino non liceret alicubi ἐποχὴν & ſententiam ſuſpendere, quum non omnia religionis æque ſint neceſſaria. Et hoc ipſum in me calumniantur multi, qui omnium

nium rerum scientiam scrinio pectoris sui inclusam gestant, ex quo de quacunque re rogati non nisi oracula obviis auribus & animis excipienda proloqui se arbitrantur. Neque pudet sententias nonnullas aliquando à præceptoribus instillatas mutasse, quum mihi videor argumentis firmissimis probare posse mutationem in melius factam esse: quod & paratus sum demonstrare simulatque cum fructu citra tumultum fieri poterit. Cæterum tam mihi firma est in istis meis sententiis conscientia, ut calumnias teterrimas, quæ de me per Germaniam, Galliam, Angliam, Sabaudiam (ecce quantopere ego homuncio per diligentiam fratrum meorum nobiliter, de quo alioquin vix quispiam extra Hollandiam nostram vel sciret quidpiam vel loqui dignaretur) sparguntur, citra ullum animi motum excipiam, præterquam, commiserationis quem debeo fratribus tantopere adversus DEUM & proximum peccantibus. Hæc ipsa conscientiæ securitas facit, ut hominum etiam mihi amicorum monitis, quibus suadent ut calumnias confutem, præpropera festinatione parendum mihi non existimem. Neque vereor eousque animos sive magnatum sive doctorum hominum, sive eorum qui ex plebe sunt, præjudiciis adversum me occupatum iri, ut sententiæ meæ & propositi vel sola explicatione etiam de facili eximi non possint. Imo vero ista tanta & tam præcox fratrum meorum adversus me machinatio certissimum mihi ipsorum de propria caussa diffidentiæ judicium est. Qui enim

fidit non præfestinat IEHOVA fretus, in quo solo ipsi omne est auxilium; & mihi sane in illius unico verbo, pro cujus solius veritate, perfectione, & perspicuitate adversus omnium hominum qualiumcunque traditiones decertare non desinam, dum vitam mihi ipse benignus largiri dignabitur, neque unquam patiar, ut Ecclesiæ CHRISTI quæpiam norma alia sive sub secundariæ sive sub alio titulo obtrudatur, quam unica illa V. & N. T. libris comprehensa. Et video id necesse esse suscipi studium etiam apud nos, qui non ita pridem hoc thema adversus Pontificios inprimis ursimus, at jam velut deferentes vadimonium, etiam confessiones, & catecheses, ut pote à doctis viris conscriptas, variis judiciis adprobatas, temporis diuturnitate (incipiunt enim XL. annorum præscriptionem proferre) firmatas, sanguine martyrum corroboratas, tanquam traditiones, ad quarum normam scripturæ explicari debeant, Ecclesiis earumque ministris præscribere non verecundamur. In vestra autem Frisia & Groningensi ditione hoc à nonnullis agi non intellego modo, sed & certo scio, inter quos præcipua nomina D. SIBRANDUS, ACRONIUS Groningensis & BOGERMANNUS. Quo tandem abibimus, si sub initium reformationis ad pontificium agendi morem relabimur? DEUS nostri misereatur, & Ecclesiæ suæ adflictissimæ opera servet ut in sola scripturarum veritate fundata debita pietatis munia DEO exsolvere, & vicissim ab eo diuturnæ pacis gratissimo munere potiatur. Vale

Vir

Vir Doctissime & multis mihi nominibus observande, cum bono DEO, cui te & omnia tua commendo. Lugd. Bat. VI. Aprilis. CIↃ IↃC VIII.

EPISTOLA LXI.

IOSEPHVS SCALIGER *SIBRANDO LUBBERTO.*

QUum tuas literas accepi, res mihi erat cum molestissimo morbo, ut per eum neque cibum sumere, neque aliquid serij tractare licuerit, neque ad consueta munia me conferre. Quo magis spero me tibi diuturnum silentium meum probaturum, quod non statim ad tuas responderim, quum mihi nihil antiquius sit, quam ne quid committam, quod jure mecum expostulare possint amici. Nam officium literarum negligere non potest, nisi qui aut amicitiam ipsam negligit, aut amicis in odio esse cupit. Ego qui neutrius horum mihi conscius sum, nihil magis opto, quam ut tibi persuadeam, morbo, non negligentia, officium meum impeditum fuisse. Quum autem honesti hi juvenes Aquitani ad vos cogitarent, ut mihi nil gratius fuit, quam hanc occasionem mihi oblatam fuisse, ita facere non potui, quin illis has darem, quibus cognoscere possis neque te mihi animo excidisse, neque quo minus ad te scripserim, meam culpam esse. Quod de Tertul-

lia-

liano & Epiphanio ad me scribis, utinam illi oneri par esse possem, quam omnia velim tua causa. Sed sunt alii, qui jam illam provinciam occupant, & præterea ætas me admonet quam proxime absim à meta, ut nihil mihi suscipiendum sit, quod in medio cursu abrumpendum, tum etiam ne ad tam longum cursum me admittam, ut postea ilia ducenda sint. Iam enim & ingenii senium, & memoriæ morbus non patiuntur me longæ peregrinationi committere. Sat est, si me norim ipsum, & nullam aliam mensuram mei quæram præter modulum meum. Lojolitæ tamen hanc senectutem quietam non sinunt. Quotidie aliquid moliuntur. Ecce tantum odium est nostri, ut etiam me Scaligerum esse negent, qui fabulam à nebulone Guillandino confictam de Burdonio publicant. Non est quod alium laborem suscipiam. Satis mihi dabunt, in quo pauxillum hoc ætatis, quod mihi supereſt, exerceam. Sed nihil mihi felicius contingere potest, quam contumeliam ab improbissimis hominibus accipere, si modo ulla contumelia ad me ab hujusmodi alastoribus pervenire potest. Unum curo, bonis placere, malis displicere, qui per me crepent, licet. Vale. Lugduni Batavorum. Prid. Kal. Maj. Iuliani. CIↃ IↃC VI.

EPIS-

EPISTOLA LXII.

IOSEPHVS SCALIGER SIBRANDO LVBBERTO.

AD fontes eunt, qui sitiunt. Ad te iste juvenis venit, ut sitim suam expleat. Multum jam in Theologiæ studiis versatur, & maximos in illis progressus fecit. Ego auctor illi fui, ut dum licet, operam tibi daret, ut postquam à te discesserit, abunde se profecisse putet vel hoc nomine, quod tuus auditor fuerit. Est bonus, bonis prognatus, & dignus, quem tibi commendem. Quia talem tibi prædico, etiam sine mea commendatione dignum judicabis, quem in tuis non solum auditoribus, sed etiam familiaribus habeas. Vale. Lugduni Batavorum. x. Kal. Iunii Iuliani. CIↃ IↃC VI.

EPISTOLA LXIII.

IOSEPHVS SCALIGER *SIBRANDO LUBBERTO*

RIsi, quum in literis tuis imaginem vidi asini saginati, qui nunquam, nisi satur recalcitrat. Certe quum primum in scripta ejus incidi, visus est mihi nunquam solere scribere, nisi ebrius. Bacchanola enim mera sunt, ejus libri. Neque ulli melius nomen illud, quod tibi

tibi aſcribit, convenire poteſt, quam ipſi. Ejuſmodi ſunt ſcripta omnia horum Onanitarum, ut ex illis nihil, præter Sycophantias, & convicia haurire poſſis. Etiam Martinus *ille* Delirus edidit librum in me, qui nunc eſt ſub prælo, quo nihil ſpurcius, ut ajunt, nihil obſcœnius excogitari poſſit, ut ipſi Schoppio maledicendi palmam abſtulerit. Certe maxima felicitate noſtra omnium contigit, ut non niſi à ſceleſtiſſimis, imperitiſſimis, nequiſſimis tenebrionibus inceſſamur. Nam nullam ob rem nobis obtrectant, quam quod nos illis diſſimiles ſumus. Præterea ſi maledictis non certaſſent, verendum erat, ne multos in partes ſuas traherent, quos ab illis petulantia illa ſcribendi abſterruit. Ego melius horas collocare poſſum, quam ut aſinis calcitrantibus diem dicam. Neque enim meæ dignitatis eſt, neque otii mei. Tu vero, mi SIBRANDE, aut illos floccifac, aut, ſi quid habes, quod illis reponas (neque dubito, quæ tua eſt eruditio, quin probe illos ulciſci poſſis) reſponde non quemadmodum ſobriis ſolet, ſed quemadmodum nebulonibus. Res eſt enim tibi non cum eo ſolo, de quo ſcribis, ſed cum illis, qui eum in farragine illa juverunt. Si enim ii, qui tam præſenti audacia, ut mendacium defendant, veritati non parcunt, quanto majore conſtantia uti debes, qui, ut veritatem tuearis, mendacium expugnare debes? Quare ita illi aſino reſponde, ut majorem rationem veri, quod tueris, quem aſini, quem contemnere debes, habuiſſe videaris. Quicquid

di-

dissimulent, nihil magis eos urit, quam inter eos, quos ipsi hæreticos vocant, inveniri, qui omnibus numeris consumatissimos Iesuitas uno spiritu difflare possunt. Hinc illæ lacrimæ. Inter tot millia hominum, qui literas colunt, quis tanto otio abundare potest, ut relictis rebus suis, ad illa immania volumina sese conferat, ex quorum lectione neque melior, neque doctior evadere potest? Ille te nomine, quo voluit, vocavit, tu eo, quo dignus est, vicissim eum appella. Non potes melius, quam quo ego jamdudum eum vocavi, Drekserum. Cæterum, mi SIBRANDE, nunc regnum nebulones obtinent. Erit, quum DEO placebit, ubi & boni regnabunt, & Idololatræ vapulabunt. Vale. Lugduni Batavorum. XVIII. Kal. Decembris Iuliani. CIↃ IↃC VII.

EPISTOLA LXIV.

IOSEPHVS SCALIGER *SIBRANDO LUBBERTO*

Suo S.

HEri inter cænandum accepi responsum tuum ad monstrum illud Ingolstadiense, de pistrino Loiolæ. Cæpi legere ita avide, ut jam non modicam partem devorarim. Non ante dimittam, quam totum peregero. Incidi vero in locum, in quo respondes ad calumnias, quas ex libro nequissimi bipedum nebulonis Schoppii, in me bellua illa jactat. Plurimum equi-

equidem me tibi eo nomine debere fateor, quod non solum privata tua, sed etiam mea injuria lacessitus, tam meam, quam tuam existimationem ad te pertinere putas; quanquam ex latratibus tam impurorum canum nihil dignitati utriusque nostrum decedere puto. Propter insolentiam tamen istiusmodi stercoreorum, hominum, ne ex silentio nostro ἐπὶ πλεῖον canant, aliquid scribendum est interdum, magis ut obtundatur illis os, quam ut nobis patrocinium paremus. Hoc facimus nunc, qui aliquid ad confutandam de Burdone sycophantiam tribus verbis edemus. Sic enim oportet, ne illis honorem habuisse videamur, si ad singula respondeamus. Tunc enim triplo major esset liber, quam is, qui in nos à centum aut amplius nebulonibus consarcinatus est. Interea, Summe Vir, gratias tibi ago, tam de libro tuo præstantissimo, quam de luculento illo testimonio, quo nos adversus illum ἀλαστορα defendis. Erit locus aliquando fortasse, ut si non in simili, tamen in meliore caussa tibi parem referam. De loco Pauli jam meditabar responsum antequam librum tuum acciperem. ὃς, ἐν μορφῇ θεῦ ὑπάρχων οὐχ ἁρπαγμὸν ἡγήσατο, τὸ εἶναι ἴσα θεῷ. Omnes tam veteres, quam recentiores, & præter eos, Syrus & Arabs paraphrastæ exponunt, *qui quum esset in forma* DEI. Quod sane longe abest à mente Apostoli: quam quidem omnes capiunt recte, sed comma illud ad eam non recte accommodant. Sciunt enim, & sentiunt Paulum dicere CHRISTUM, quum ve-

verus sit DEUS, tamen ad μορφὴν καὶ σχῆμα δέλε se demisisse. Sed comma illud pure accipiunt; quum manifesto dictum sit ὑποθετικῶς. Nam τὸ ἂν, quod ex consuetudine Apostoli non exprimitur, sed intelligitur, Grammatici autem vocant τὸ ἄν δυνητικόν, illud, inquam, bis intelligendum est: ὅστις ἐν μορφῇ θεῦ ὑπάρχων ἂν, οὐχ ἁρπαγμὸν ἡγήσατο ἂν, ἴσα εἶναι θεῷ. *Qui si in forma DEI fuisset, non utique rapinam existimasset, esse similem DEO.* Apostolus ergo, ut nemo nescit, hortatur ad humilitatem Philippenses exemplo Domini, qui in forma sive figura hominis & servi, id est abjectissimi mortalis sese nobis exhibuit, qui tamen si in forma DEI venisset, non tamen sese injuriam DEO facere existimasset, sese illi æqualem facere, quum sit verus DEUS, & DEO æqualis. Igitur ὑπάρχων ἄν, est, *si fuisset*: & conditionale est, & ὑποθετικόν. Non enim accidit, ut verum DEUM forma sese exhibuerit. Hoc enim humani sensus capere non possunt: Itaque recte Erasmus capit, quid sit hic μορφῇ. Non enim ἐσωθὴ intelligit, sed exterius filum corporis, quod & postea χῆμα vocat. Hæc est vera interpretatio hujus commatis, cujus sententiam doctissimus Ioh. Calvinus aliqua odoratus esse videtur. Quod vero τὸ εἶναι ἁρπαγμὸν quæris, id proprie est, quod Hebræi עָמַס & עָשַׁק vocant. Et alterutrum horum habebat in animo Apostolus. ἁδικίαν, ὕβριν, ἁρπαγμὸν Biblia Græca recte exponunt, ἴσα θεῷ dixit quomodo ἀπόκρυφος Σοφία, cap. VII. 4. πρώτῳ φωνῶ τῷ ὁμοίαν, πᾶσιν ἴσα ἡλικίων.

Hebræi per solum Caph exprimunt. כֵּאלֹהִים הֱיוֹת εἶναι, ἴσον θεῷ. Sic Deuter. VI. 4o. כֵּאלֹהֵיהֶם תִּהְיֶה אִישׁ Septuaginta υἱοῖς Ἀαρὼν ἕξει ἕκαστος τὸ σον. Scis enim Caph aliud vocari בַּף שְׁיָעוּר Caph conjecturæ, aliud כַּף אֲמִתִּי χὰφ ἀληθινὸν. *Chaph verum*, ut Iohannis I. 14. δόξαν ὡς μονογενοῦς. Sed quid ago? γλαῦκ' εἰς Ἀθήνας. Non equidem te doceo, sed tibi pareo. Librum tuum præstantissimo Viro P. Molinæo recte curabo. Vos ambo DEUS servet Ecclesiæ suæ. Vale. Lugduni Batavorum, XI. Kal. Mai Iuliani, CIↃ IↃC VIII.

EPISTOLA LXV.

ISAACUS CASAUBONUS *IOHANNI DRUSIO IUNIORI,*

S. D. *Franekeram.*

TErnas omnino literas à te accepi, eruditissime DRUSI. Primis respondi statim, easque literas ad Cl. Parentem tuum misi. Alteris quo minus responderim, fecit dubitatio mea de loco ubi esses, quum præsertim dictum mihi esset à nonnullis, qui erant te familiariter usi, cogitare te in Galliam. Quod si à te fieret, non dubitabam recta in hanc urbem esse te venturum; & nos statim invisurum. Haberes hîc profecto neminem, cui gratior esset tuus conspectus, nec qui advenientem δεξιώσεται

ἀξιόν te exciperet, atque amplecteretur. Debeo hoc eximie de literis melioribus illis merito, patri tuo, Viro præstantissimo. Debeo & tibi, mi DRUSI, cujus eruditionem si non amarem, non magni facerem literas ipsas, mihi crede, non amarem. Ex novissimis tuis didici reversum te ex Anglia, & apud Patrem jam esse. An igitur, de invisenda Gallia, sententiam mutasti? Sed non dubito de Parentis voluntate tua omnia, uti par est, consilia pendere. Non is ego sum, qui sententiæ meæ in hac deliberatione ullam à vobis habendam rationem putem. Existimo tamen cupientibus Gallias videre opportunissimum esse hoc tempus; propter eam quæ jam toto regno obtinet, publicam tranquillitatem; ἐπὶ ἐλαχίστη καιρῷ ῥοπὴ πάντα συγχέαι τε καὶ κατεσθῆσαι δύναται. Si veneris, omnia mea officia tibi fore parata, confidas velim. Opto tibi, charissime Adolescens, læta omnia & fausta. Vale. Lutetiæ Paris. Pridie Eid. Martias. CIↃ IↃC VIII.

EPISTOLA LXVI.

ISAACUS CASAUBONUS *IANO DRUSIO V. Cl.*

S. D. *Francekeram.*

ACcepi, Cl. Vir, quem dono misisti, Commentarium in Sulpitium. Bene locasti operam, nec est quod te pœniteat. Doctissimi Viri, qui hactenus eum librum sua diligentia

juvant expolitum, plus egregiæ voluntatis, quam peritiæ illarum literarum ad ſuſceptam provinciam ornandam, attulerant. Tibi neque illa deſunt præſidia, quibus ipſi præſtabant; & ea quæ ipſis deerat parte, quæque omnium erat maxime neceſſaria, ita es inſtructus, ut ne Serarius quidem fuerit negaturus eam tibi proprie convenire Spartam. Multum tibi omnes debent, qui non ἀκριβῶς, ſed accurate in hiſtoria ſacra volunt verſari. Ego privatim me præclara multa è tuis obſervationibus didiciſſe profiteor. Itaque & publico & privato nomine ago tibi quantas poſſum maximas gratias. Relaturum me dicerem, ſi eſſet aliquid ad manum quod tibi mitterem τῶν ἀντιξίον. Sed nos in Polybio occupati, aliud nihil prius edemus, quam ad umbilicum fuerit ſuſcepta magni ejus ſcriptoris editio. Deum veneror, præſtantiſſime DRUSI, ut te ſervet, & quicquid tibi charum. Vale. Lutetiæ Pariſ. Pridie Eid. Mart. CIↃ IↃC VIII.

EPISTOLA LXVII.

IOHANNI DRVSIO V. Cl. *IS. CASAUBONUS.*

S. D.

QUod poſtquam in hoc regnum veni nullas ad te litaras adhuc dederim, Vir præſtantiſſime; id ut meis occupationibus adſcribas cum primis gravibus & continuis, etiam atque etiam

etiam vehementer à te peto. Constitueram certe simulatque in Angliam appuli dolorem meum tibi significare quem ex obitu filii tui, juvenis supra annos docti & mihi longe charissimi, cepi maximum. Sed me alia ex aliis negotia sic tenuerunt hactenus occupatum ut culpam deserti officii vitare non potuerim. Iterum iterumque te rogo, ne de meo affectu in te è literarum mearum raritate velis judicare, Si id ageretur, ut ego tuis commodis ulla in re possem inservire: tum ego omnia post ponerem, ut fidelem tibi operam præstarem. Tam triste argumentum cunctatus sum attingere, postquam videbatur cicatrix obducta. Nolebam δάκρυον ἔυδον ἐγείρειν. Sed abrumpo tamen silentium, & pauca hæc ad te exaro, ut meam in amore tui & observantia constantiam tibi approbem. Si nulla esset alia causa cur te literarum studiosi, quos inter nomen ego profiteor meum, colerent; vel sola editione tuarum in N. T. Observationum, quæ nuper prodiit omnes τὰς φιλομαθεῖς æterno benificio tibi devinxisti. Equidem libri illius lectione ita sum delectatus, ut nihil supra. Accurata enim illa comparatio doctrinæ & φράσεως Evangelicæ cum scriptis veterum Magistrorum incredibilem in modum mihi arrisit. Opto tibi, senex venerande, senectutem aquilæ, & πάσαν ὄμηλικίαν, ut publicatione tuarum lucubrationum bene de literis pergas mereri. Video latere in tuis adhuc scriniis multa publica luce dignissima. DEUS faxit, ut omnia edendi sit tibi facultas. Ex tuo libro

didici BUXTORFIUM vixisse: quod si satis certum, quantam in eo Viro literæ vestræ jacturam fecerint, ne dici quidem potest. Nos hic refutationi BARONII otium nostrum impendimus: quæ scriptio à literis sacris non est plane aliena. Miraberis hominis adeo celebris imperitiam τῆς γνησίας παιδείας. Taceo alia & flagitia, quæ ad gloriam DEI palam faciemus. Vale Vir venerande. Londini. IV. Non. Iuliar. CIↃ IↃC XII.

EPISTOLA LXVIII.

ISAACVS CASAUBONUS *IOHANNI DRUSIO V. Cl.*

S. D. *Francekeram.*

QUum ante aliquot menses Notas in N. T tuas legissem, Vir præstantissime, ita me sensi adjutum εἰς πρόοδον ea lectione, ut ingratus mihi viderer futurus, nisi eo ipso nomine gratias tibi agerem. Scripsi igitur ad te illa occasione, & quantum me tibi debere agnoscerem, ingenue, pro eo ac debui, sum professus. Literas illas misi ad τὸν πάνυ GROTIUM, Virum optimum & merito suo clarissium. Neque dubito, si quidem illi fasciculus meus fuit redditus, quin meas ad te curarit. Quare vehementer sum admiratus, cum tuas nunc ipsum accepi, videri te epistolam meam non accepisse. Id si ita est doleo periisse mihi fructum officii mei. Magni enim estimabam scire re

quam

quam acerbus mihi luctus tuus ἐπὶ τῷ μακαρίτῃ υἱῷ. accidisset. Tu illum luxisti ut filium: ego ut amicum bono Reip. literarum natum, & incredibili cum ejusdem detrimento denatum. ἀλλ' ὁ γὰρ θέλω τὸ δάκρυον οὗδεν ἐμίγειεν. Alterum erat quod volui te ex meis cognoscere; dum ego vivam nunquam defuturum qui tuas laudes sincero animo prædicet, quique se tibi debere plurimum profiteatur. Atque utinam tibi possem μαθητεύειν. Haberes discipulum discendi cupidissimum. Fit enim nescio quomodo, ut crescente ætate, & jam ad senium vergente, crescat in animo nostro ἡ φιλομάθεια. Literas autem illas in quibus tu regnas semper equidem sum veneratus. Accepi nunc ipsum & literas tuas, & quod erat literis adjunctum munus χρυσῆ ἀνταξιον. Pro quo immortales tibi gratias ago. Non parum opportune illud venit: nam quicquid superest vacui temporis, ejus magnam partem impendo à paucis diebus lectioni Comm. Hebr. in Pirke Avoth; nactus nuper eum codicem, diu mihi desideratum. Continet autem liber quo utor Com. R. Samuel & Rasi, editus est Venetiis. E notis tuis in T. N. didici te alios meliores esse adeptum. Capio ex hoc genere studii voluptatem incredibilem, etsi aliis curis occupatus vix possum ad has literas oculos aliquando referre. Vidi jam pridem tuam editionem, quæ mihi sæpe usui fuit: ut omnia tua scripta, quæ domi habeo, hoc est Lutetiæ, ubi pars multo maxima bibliothecæ meæ adhuc hæret. Quod mea scripta desideras, non fa-

ceres, si habuissem, per quem illa ad te transmitterem. Tu enim, DRUSI Cl. unus inter paucos es quibus meas lucubrationes cupio esse probatas. Scito autem magnum opus jam moliri me Animadversionum adversus ANNALES BARONII. Constitui σὺν θεῷ εἰπεῖν, primum illius tomum funditus evertere. Illa dico quæ propria BARONII sunt, errores nempe & mendacia numero prope infinita. Mirabuntur qui nostra legent, tantum in literis nomen esse consecutum, qui neque Græce neque Hebraice, ac ne Latine quidem doctus esset. Qui Historias ignoraret, qui omnia misere confunderet. Iam DEI beneficio inchoatum opus, & pars illius non pœnitenda est confecta. Si vires dabit ὁ ἐπὶ πᾶσιν, ex pecta adversus primum tomum non minorem ipso librum. Ibi legent æqui lectores, de plerisque hodiernis controversiis, non quid ego aut Cluvienus sentiamus, sed quid pia antiquitas crediderit. Scio Romæ flammis addictum iri opus meum: quando illis summa pietatis est τὸ φιλόθεον τύφεννον DEUM fovere: neque mihi proderit moderatio qua utar in puerilibus BARONII erroribus confutandis. Sed hos ego censores nihil moror. Illi me sollicitum habent quos video inter nos nihil amare nisi novum, & contrarium veteri Ecclesiæ. Vellem hic morbus non regnaret inter nostros: sed res manifesta est, &, ut me tibi aperiam, detestanda. Leguntur Patres, ut reprehendantur. Tum ut trahantur ad hodiernas novitates quot machinæ sunt illis adhibendæ. Et, quod valde mi-

mirari soleo, in tanta licentia novandi, nihil minus in nostra Gallia licet & multis aliis in locis quam veteris Ecclesiæ fidem & instituta sanctissima in lucem proferre. Nuper quum esset edita Epistola ad C. PER. non defuerunt, qui me hereseon multarum reum deferrent. Saluti fuit quod maximi Regis nomen ea scriptio præferebat. In meo opere eadem doctrina continebitur: neque auctoritate ullius Regis defendetur; sed veris, solidis, & certis rationibus. Det modo Dominus IESUS perficere, quod incepi. Vale, Vir Clarissime, & me ama. Dabo operam ut quæram occasionem per quam utrumque libellum hic editum ad te mittam. Londini, XV. Kal. Oct. CIↃ IↃC XII. Virum Amplissimum D. SAEKMAM veteri amicitia mihi junctum, meis verbis, nisi grave est, quam officiosissime, salutabis.

EPISTOLA LXIX.

IANO DRUSIO. V.Cl.

S. D.

Præstantissime Vir,

QUæsivi diu occasionem mittendi tibi quosdam libellos nostros: sed hactenus invenire nullam potui. Neque enim magnum intercedit nobis cum illis commercium, qui talia curant. Ex inopinato obtulit operam suam honestissimus adolescens cui has dedi, & simul epistolam ad PERRONIUM, cum postrema editione Characterum Theophastri. Quem li-

bellum ſpero fore tibi non ingratum. Habet hæc editio nonnulla fortaſſe non pœnitenda quæ nuper adjecimus. Aliud quod mitterem in præſentia nihil habui. Tu, Vir ſumme, quid agas, ſcire ex te cupio. Opto ut bene mereri de Rep. literaria & Eccleſia DEI nunquam ceſſes. Ego quotidie cum BARONIO manus conſero. Si dabit DOMINUS IESUS exitum videre, ſpero opus nos edituros non minus gratum bonis, quam ingratum τῆς ἐξ ἀναλκίας DEUS te ſervet. Vale & me ama. Scripſi raptim. Nonis Feb. CIↃ IↃ XIII. Stylo Gallico.

Tui obſervans

IS. CASAUBONUS.

EPISTOLA LXX.

ISACUS CASAVBONVS *IANO DRUSIO. V.Cl.*

S. *Franekeram.*

GAudeo tandem fuiſſe tibi redditas duas epiſtolas, quas ſuperiore æſtate ad te ſcripſi, Vir Præſtantiſſime. Nuper etiam ſtudioſo cuidam ad vos proficiſcenti libellos quoſdam tibi deferendos tradidi. Quos etſi non magni ipſe faciam; nollem tamen eſſe amiſſos. Cupio enim extare illos apud te mei amoris & obſervantiæ erga te teſtes. Scriptorum tuorum editionem difficulter iſthic te poſſe curare vehementer doleo. Vereor enim ne ea res ſtudiis no-

noſtris ſit fraudi, qui nunquam ſine fructu in tuas eruditas obſervationes oculos ſoleam conjicere. Ego pergo in ſuſcepto opere: & pergam οὐ διὰ εἰπεῖν donec abſolvero reſponſionem accuratam ad primum ſaltem tomum. Id caput eſt operis totius, ubi jaciuntur fundamenta omnium. Itaque ſerio à nobis oppugnatur. Quid præſtiterimus Eccleſia DEI judicabit, & viri eruditi pariter ac docti. Tu cum primis, Vir Doctiſſ. nam & occurrunt non pauca, de quibus tuum eſt proprium judicum. DEUS immortalis te ſervet. Vale. Londini. IX. Kal. Martius. CIↃ IↃC XIII.

EPISTOLA LXXI.

IOSEPHVS SCALIGERO IUL. CÆS. F.

ISAACUS CASAUBONUS.

QUod maximo ſemper opere ambiiſſe non diffiteor, Vir Præſtantiſſime, ut amore tuo poſſem gloriari, id me conſecutum eſſe ex eo intelligo, quod multi ad te iter affectantes me primum adeunt, me interprete & parario uti volunt. In his eſt eruditiſſimus hic Friſius adoleſcens, IOANNES SAECKMA, qui domum revertens & iſtac tranſiturus egit mecum, ut meas ad te literas ſibi traderem. Poteram excuſatione uti: nam hac ipſa hora dederam alias COMMELINO noſtro, quiſe illas cum Suetonio, quem à me accepit, curaturum ſanctè

ctè recepit ⌣. Sed malui φοεπικὸς tibi esse, quam committere ut parum gratia apud te exiſtimarer valere. Hæc unica noſtra gloriatio eſt. Quæ ne falſa videatur, peto à te ut eo vultu amicum hunc meum excipias, quo ipſum me exciperes, ſi mihi fata tantum boni eſſent largita, ut iſthuc veniſſem ⌣. Quod tamen non penitus futurum olim deſpero: nam equidem tui deſiderium ferre diutius non queo. Vale ⌣. Genevæ a. d. VI. Kal. Sept. CIↃ IↃ XCV.

EPISTOLA LXXII.

Clariſſimo viro Eruditione & pietate excellenti

D. SUFFRIDO PETRO I. U. L.

Amico & hoſpiti ſuo obſervando

IANUS GULIELMUS

S. P.

ETſi reditum meum hoc tempore à te magis expectari arbitrabar quam ullas literas, Clariſſime & Eruditiſſime D. SUFFRIDE; tamen certum hominem nactus, committere non debui, quin certiorem te facerem, & quid me hîc detineat hactenus, & de reditu quæ ſpes ſit, & cur fidem meam nondum liberarim. Cum itaque Lubecam veni, ſexta quam à vobis abii hebdomade (nam febricula tentatus cis ſylvam Herciniam ſubſedi diutiuſcule) offendi id quod rebus meis erat adverſiſſimum, peregre abeſſe Legatum Reip. noſtræ cognatum & curatorem meum

meum D. ARNOLDUM BONNIUM, paulo ante missas coloniam literas, quæ ne quo me commoverem monerent. Ejus reditum (quia iter frustra alioqui esset susceptum) mihi heic expectandum, & ipse re deliberata statui, & amici censuerunt, & ille ipse binis literis, posteaquam me venisse comperit, idem monuit, Quare magnopere te oro, mi SUFFRIDE, cum L. *Lautium* probitati meæ simulata amicitia perfidiose imposuisse amici ad me perscribant, & ipse ob absentiam Curatoris, nomen modo expedire non possum moram solutionis aliquantum molestæ ne feras: sed meum reditum paulo post Natalitias CHRISTI Ferias expectes, ita enim mihi cognatus meus scripsit nobiscum se certo futurum sub ipsis illis festis diebus, neque mihi postea quidquam ad proficiscendum erit impedimento, ego reversus dabo operam, ut hoc molestiæ meis beneficiis recompensem, & omnibus rebus tibi cumulate satisfaciam. Literas tuas ad Clarissimum Virum SUDERMANNUM datas reddere non potui, quod ille paucos ante dies quam veni discesserat, eas apud me secretas, cum fide reportabo, nam fasciculus cui has includo nimis excrescebat. Hæreo heic magno cum fastidio; non quin mihi jucundum sit agere cum meis, sed quod nostri Tribunitii clamatores quotidie ad plebem pro concione me traducunt & quasi transfugam in suam synagogam reducere nituntur: quod haud scio an unquam sit futurum, ita cane & angue magis invisum mihi est id genus hominum.

num. Ideoque ita sopito componere cum curatoribus res meas, ut mihi tam cito non necesse sit repetere patriam. De beneficio Ecclesiastico nihil spei est, nam neque vacat, & sunt qui inhient plurimi & mihi heic omnia displicent: habemus tamen Canonicos & Vicarios longe quam crediderat καλοκαγαθους plerosque omnes, imprimis optimum & pientissimum Virum D. LAURENTIUM NIEBURIUM L. Surii nepotem cui me commendatum à D. HITTORPIO quæso te meis verbis illi gratias quam maximas ago. Magnam enim ex usu ejus pene quotidiano voluptatem capio. Ex libris meis aliquam multos habent *Mathias Lambertinus* & *G. Veltmannus*, amabo te utrumque admonitione tua ad diligentiorum eorum curam excita. De cæteris rebus plura coram. Bene Vale & honestissimam conjugem tuam & filiam totamque domum meis verbis plurimum saluta. Datum Lubeci festinatè XVI. Kal. Xbreis.

EPISTOLA LXXIII.

Amplissimo, Prudentissimo, integertimoque Viro ac Domino.

D. ARNOLDO BONNO,

Inclytæ Reip. Lubecensis Senatori, Domino suo plurimum colendo.

SUFFRIDUS PETRUS

Leovardiensis Frisius, U. I. C. Regens Bursa Coronarem Colonia.

S. P. *Lubecam.*

QUanquam non dubitem, Vir Amplissime, quin miraturus sis, quod ignotus te meis li-

literis interpellem, tamen cum & causæ præsentis æquitas, & communis amici utilitas, & officii mei necessitas huc me extimulet, spero equidem qua humanitate es, te mihi daturum esse veniam, præsertim cum id quod peto tibi ad præstandum non modo facile, sed etiam jucundum fore confidam. Quod quidem proinde quid sit, ut intelligas, paucis explicabo. IANUS noster GULJELMIUS superiore mercatu Francofordiensi in Germaniam hinc decedere proposuerat, sed, ut humana sunt, jam itineri accinctus morbo correptus est, quo & diu satis & satis periculose laboravit. Interim vero dum malo liberatus vires recolligit, qui nihil agere nunquam potest, lustratis aliquot Bibliothecis in exemplaria incidit manu descripta operum Ciceronis, quæ & antiquitate & integritate suspicienda erant. Horum oportunitate ductus cum se post LAMBINUM & cæteros castigatores in hoc authore repurgando momenti plurimum allaturum esse non dubiis argumentis perspiceret, animum adjecit ad exactiorem Ciceroniani operis emendationem, & conquisitis undique subsidiis ad hoc institutum necessariis eos jam progressus fecit, ut ex unguibus, quod dicitur, futurum leonem facile percipias. Ad lambendum igitur & in artus suos rite digerendum hunc fœtum, quoniam maturo judicio, & ob ipsum judicium quiete atque tranquillitate opus est, Germanicam istam profectionem sibi admodum incommodam futurum sentit, non modo quod temporis jacturam præ-

præsentem allatura, sed etiam quod perficiendi propositi occasionem omnem prorsus ereptura sit, quando & eruditos omnes, qui studiis ejus hîc favent & veteres M. S. Codices, quibus uti debet, universos hîc relinquere cogeretur, cum peregrinanti nemo vel seipsum comitem præbiturus vel suos libros commissurus sit. Sperare autem alibi, vel meliora vel similia præsentibus, & certa pro incertis amittere in hoc præsertim negocio hominis fuerit, meo quidem judicio, non simpliciter insani. Cum igitur tu cum cæteris Curatoribus & amicis mandanda illa Germanica profectione nihil aliud injunctum IANO volueris, quam ut cœptum studiorum suorum cursum quam commodissime perficeret, haud gravatim, ut equidem arbitror, illi Colonienſem hanc tranquillitatem à Collegis tuis impetrabis ad unius saltem anni spatium, modo intellexerint, hoc studium, quod dico, non modo ipsi IANO frugiferum, sed & prosapiæ suæ, & communi Reipublicæ Lubecensi in primis honorificum futurum esse. IANUS autem cum tantos in bonis literis progressus fecerit, quantis ex publicatis ejus lucubrationibus cuivis videre licet, ubinam vel firmius vel facilius studiorum suorum colophonem collocabit, quam in omnis humanitatis parente Cicerone? Et cum vel is, Quintiliano judice, multum profecerit, cui Cicero valde placere cepit, non potest non plurimum profecisse judicari noster IANUS, si effecerit, ut Cicero multis placere incipiat, qui certe ob infinita hacte-

hactenus menda non potest non displicere multis. In hoc igitur IANO situs est præcipuus studiorum suorum fructus, si, qui hactenus ad Romanæ castimoniæ arcem recto itinere contendit, se jam ipsam occupasse rebus præsentibus declaret. Hoc enim illi non modo in futurum ad solidam laudem conferet, dum æternam nominis memoriam consequitur, sed & in præsenti ad pleniorem eruditionem proderit, dum excutiendis thesauris Ciceronianis suos locupletat. Quod si ergo privatæ tantum delectationis ergo studium hoc suscepisset IANUS, neganda illi non videretur unius anni indulgentia, ne forte conceptus in Ciceronem fervor, si impetu suo cum voluptate de flagrare non possit, vel desperatione tædium adducat studiorum omnium, vel indignatione occasionem prebeat vindictæ, si placido hoc studio excussus, in contentiosum aliquod exorbitet, & hinc in aliquam factionem transversum abripiatur. Quorum utrumvis, ut in magnis ingeniis proclive, ita etiam Reip. perniciosum est, mihi certe neutrum ominari libet. Iam vero cum publicæ utilitatis causa hoc faciat, non modo non impediendus, sed potius omnibus modis adjuvandus est: nam si bonas literas promovent, qui Ciceronem suo nitori restituunt, certe qui hos impediunt barbariem reducunt, qua ingruente bonæ literæ concidunt, sine quibus, nullæ artes, nullæ disciplinæ syncere doceri discive possunt. Et quoniam Reipu-

blicæ omnes nati sumus nemo laudem vel alteri invidere, vel à se rejicere debet, qui virtutem laudis ipsius fontem non aversatur. Quocirca cum Respublica vestra, ut hactenus semper, ita etiam nunc multos habeat magnæ spei adolescentes, quorum alii alia ratione patriam suam illustrare nituntur, IANUS inter hos vel præcipuo favore dignus est, qui hanc viam est ingressus, qua sola patet aditus reliquis ad studia literarum. Erit autem id in primis honorificum familiæ ac Reip. vestræ si post tot viros undiquaque doctissimos, qui suas operas in hunc authorem contulerunt civis gentilisque vester, hoc præsertim sæculo vobis hanc laudem asseruerit, Magistratus certe Colonienfis & Colonienfis Universitas & nos denique cum Collegis Bursæ nostræ, ad quod hujus gloriæ saltem aliqua portio redundabit ex animo gaudebimus si IANUS pervenerit, & econtra dolebimus, si non pervenerit ad propositam laboris inchoati metam. Nolim autem suspiceris, Vir Prudentissime, IANUM nostrum Ciceronis hanc emendationem suscepisse temere, & moliri opus aliquod majus, quam cui ferendo ejus humeri sufficiant, & me proinde commodo potius aliquo meo, quam rei veritate ductum æthiopem tibi hunc dealbare, cum neutrum sane ita se habeat. IANO enim nec in voluntate studium, nec in facultate subsidium deesse satis certo scio. Est enim illi judicium subactum, est memoria præsens, est indefatigata laborum tolerantia, est propensa in hoc propo-

si-

situm inclinatio. Suppetit diversorum authorum recondita lectio, suppetit antiquorum codicum instructissima suppellex, suppetit eruditorum virorum copia sufficiens, quorum assidua collatio illum instruere poterit iis omnibus quæ requiret, quibus instructum equidem ad hujus authoris illustrationem satis idoneum atque maturum esse salva fide pronuncio. Alioqui enim cui studio se IANUS addicat mea privatim nihil refert, & ex decessu ejus nec mihi nec meis collegis evenire quicquam detrimenti poterit⌣. Imo vero si ille decesserit, forte succedet alius, qui una cum reliquis collegis exercitia juris subire possit⌣. Meum igitur hoc de IANO elogium, Vir Prudentissime, duas ob causas, ut syncerum atque verum apud te fidem inventurum spero: nam cum à Magistratu huic Bursæ gubernandæ præfectus sim, & proinde ex officio non modo vitii arguere; sed etiam convictos removere ex meorum consortio debeam, quos expectationi suorum non satisfacere comperio, cur non etiam meritis laudibus eos prosequar, quos singulare ornamentum suis allaturos esse conspicio? Deinde, cum & ipse mihi in literis tantum vindicare non injuria possim, quantum scriptis meis hactenus edendis promereri potui, non videor prorsus mihi ultra crepidam, quod dicitur, judicare, dum de Cieronis emendatione sententiam fero, in quam & meus quoque labor publicatus extat. Vides igitur, Vir Prudentissime, quid negotii sit, vides tuam intercessio-

nem flagitari, tu nunc ex his, quæ dicta sunt facile considéras, quantopere IANO tuo, vel Reipubl. potius vestræ gratificari queas: ipse porro viam non difficulter invenies, qua rem omnem collegis amicisque tuis proponas. Qui quidem, ne sibi per me fucum fieri putent, equidem non detrecto, quo minus hæ literæ meæ istic mandentur typis, ut si aliter se rem habere eventus declaraverit, quam ego hic asserui, mea fides non modo Coloniæ & Lubecæ, sed toto terrarum orbe traducatur. Bene Vale, Vir Prudentissime, & me tibi hactenus ignotum in clientum tuorum numerum recipe, & IANI nostri studium, & meum quoque obsequium noctes atque dies expromptum atque paratum collegis amicisque tuis quam poteris officiosissime commenda. Coloniæ prid. Eid. Ian. CIↃ IↃ LXXXI.

EPISTOLA LXXIV.

Amplissimo Viro ac Domino

D. LEVINO TORRENTIO

Ad S. Lambertum Archidiacono, &

Reverendissimi Episcopi Leodiensis Sigillifero dignissimo, Domino suo summa observantia colendo.

SUFFRIDUS PETRUS LEOVARDIENSIS.

U. I. C. Regens Bursæ Coronarum.

S. P.

NOn dubito, quin memineris Dignissime Domine Archidiacone, me ante annos aliquot, cum

cum Lovanii agerem tibi alterum tomum operum Ciceronis restituisse, quem ad me miserat ex Bibliotheca sua CAROLUS LANGIUS, eo pacto, quo inter nos convenerat, ut & alterum mitteret, quamprimum ego notas eas, quas ipse ibi ad marginem descripserat, in meum usum contulissem. Hunc enim quominns hactenus repetiverim in causa fuit studiorum meorum incertitudo, cum temporum injuria propositam Ciceroniani operis emendationem perficere nequaquam permiserit. Nunc autem cum mediocre otium tranquillitatemque nactus undecunque subsidia conquirere constituerim, quæ ad prosequendum institutum meum conferunt, non solum ipse mihi, sed & LANGII manibus, & voluntati tuæ; & eruditorum complurium expectationi desum, si hos tomos temerè neglexero. Multi enim me scriptis literis hortantur, ut, quæ LANGIUS mihi commiserat, intercidere ne finam, præsertim cum ad ea, quæ mihi aliunde collecta sunt, incrementum nequaquam contemnendum adferre queant. LANGIUS etiam non alio consilio sua mecum communicavit, quam ut, quod ipsi per occupationes non licuit, ego in lucem proferrem labores ejus, ne & operam, quod ajunt, & oleum plane perderet, tibi etiam, tum cum à me tomum istum videndi gratia Lovanii acciperes, non alia mens fuit, quam ut eum, una cum altero ad me remitteres, quamprimum penitius perlustrasses: in quo quidem proposito cum te adhuc esse confidam primum

te rogo, ut tardationem meam hanc temporis asscribas. Deinde obsecro ut ..... conatus meos favore tuo prosequaris, & non modo tomos istos Langianos mihi nunc simul huc mittas, sed & addas insuper, si quid de tuo potes, quod usui mihi in hoc negotio esse queat. Ego eandem synceritatem, quam viventi LANGIO promisi, etiam præstabo tibi hic, ut cum tui nominis incremento utrumque futurum sit. Si quid viciſſim in mea supellectili sit, quod studiis tuis adjumento esse possit, libenter impartiam. Bene Vale, & tomos quæso transmitte, aut certe, quæ tua sit voluntas, verbo uno rescribe. Coloniæ ipsis Calendis Ianvarii. Anno CIↃ IↃ LXXXI.

EPISTOLA LXXV.

Doctissimo & Honestissimo Viro,

D. SUFFRIDO PETRO,

Regenti Bursæ Coronarum

LIVINUS TORRENTIUS.

S.

LUbenter, mi SUFFRIDE, CAROLI LANGII Ciceronem, qua scribis conditione ad te mitterem, nisi latrones isti, qui omnes vias obsident, me deterrerent. Quicquid enim chartarum adepti sunt discerpunt atque abiiciunt, quod non nuper magna mea molestia expertus sum. Nec video quid

LAN-

LANGII labor exceptis Rhetoricorum & de Inventione libris, te magnopere juvare possit. Nam quæ in Philippicas & paucas alias Orationes fortasse vidisti ex meo codice descripsit, & ea ipse GABRIEL FAËRNUS in lucem edidit, idem Romæ, quod ego olim nactus exemplar. Supersunt de Officiis, de Senectute, de Amicitia libri, quos ipse publicavit. Quod si mihi otium esset, possem præclaram hîc præstare operam, qualem brevi in Horatium me præstitisse intelliges, qui Suetonio succedet. Sed publicis occupationibus distentus nihil jam in literis molior, nisi quod noctibus sæpe insomnis versiculos facio: atque adeo tribus de cruento D. N. IESU CHRISTI sacrificio libris, quartus jam accessit, atque alia nonnulla minime pœnitenda. Vale, plura enim coram referet is, cui literas commisi VI. Idus Aprilis Leodio.

EPISTOLA LXXVI.

Magnifico

RECTORI ac DOCTORIBUS

Iuridicæ facultatis almæ Universitatis Duacensis, Dominis suis unice colendis,

SUFFRIDUS PETRUS LEOVARDIENSIS FRISIUS,

U. I. Professor & Collegii Iuridici Præses,

S. P.

AMplissimi, Consultissimi, Clarissimique Viri, cum bonum Professorem eos, qui suæ fidei

fidei commissi sunt, non modo fideliter instituere, sed & institutos quoque digno elogio prosequi deceat, equidem committere non potui, quin hunc FOLCARDUM ab ACHELEN vobis enixe commendarem, eo sane consilio, ut vos certiores redderem, quam egregium operæ prætium in hoc alumno fovendo communi Reip. navaturi sitis. Pater illi est Vir Clarissimus, & ob summam jurisprudentiam & æquissimam Provinciæ administrationem laudatissimus D. Doctor IGRAMUS, ab ACHELEN Regii Senatus per Frisiam Præses dignissimus. Avunculus magnus fuit illi, qui ut plurium, ita & vestræ quoque Academiæ Mæcenas incomparabilis exstitit P. M. VIGLIUS ZUICHEMUS. Adolescens ipse ea indole est, ut nihil mediocre ab eo expectandum esse videatur. Est enim ei ingenium vividum, judicium pro ætate limatum, captus facilis, memoria tenax, industria ac diligentia singularis, laborum tolerantia admirabilis. Quibus dotibus subnixus integris fere quatuor annis, quibus hîc in convictu meo fuit, ita se gessit, ut neque in morum cultu, neque in literarum studio quicquam omiserit, eorum per quæ ad summum præstantiæ fastigium perveniri solet. Itaque non modo privatim, sed & publice quoque inter æquales suos in exercitiis solennibus facile primas obtinuit & cum omnium adplausu laudem reportavit. Præcipuum illi studium Iurisprudentiæ fuit, cui illustrandæ humaniores etiam literas adjunxit,

ita

ita ut sine remora, sine difficultate versari in palæstra sua possit. Quocirca si ex præteritis conjecturam facere de futuris licet, equidem videre mihi videor illum diem, quo hic lumine suo, & patris & avunculi sui lumen obscuraturus est. Quod quidem ut faciat, sicut ipsi palmarium, ita & parenti ejus gratum, avunculi manibus jucundum, Frisiæ nostræ optandum, vestræ Universitati honorificum fuerit. Hunc igitur in tutelam vestram, quæso, recipite, & ob piam VIGLII recordationem ea benevolentia fovete, qua ad propositam studiorum suorum metam commode perveniat. Quod quidem si feceritis gratitudinem vestram erga VIGLII posteros oportune declarabitis & communi omnium Reip. consuletis. Parentem etiam adolescentis ad hæreditariam VIGLII benevolentiam Academiæ vestræ gratitudinis ergo præstandam arctissimè devincietis. Me denique vobis omnibus ac singulis ad consimile obsequium in pari articulo reponendum obligabitis, ad quod ego me, sine omni tergiversatione, noctes atque dies paratissimum fore spondeo ac promitto, DEUS OPT. MAX. magnificentiam, prudentiamque vestram semper in majus ac melius augere ac diu incolumen conservare dignetur. Coloniæ. Postridiæ Palm. An. CIↃ IↃ LXXXIII.

EPISTOLA LXXVII.

Clarissimo Iurisconsulto

BOËTHIO EPONI RHORDAHUSIO

Domino & amico suo

SUFFRIDUS PETRUS LEOVARDIENSIS.

S. P.

CUm ea quæ in commendationem FOLCARDI hujus ACHELENII nostriad Universitatem vestram publice scripsi, amicorum amicissime BOËTHI, ad te etiam pertineant, ineptum puto eadem privatim hic repetere; illud saltem obnixe te rogabo, ut curam ejus geras, quam potes maxime diligentem, ut commodum nanciscatur hospitium in quo studiorum suorum prosequendorum opportunam occasionem habeat. Tale autem hospitium illiquam maxime optandum fuerit, in quo & familia linguam Gallicam sonat quam purissime, & hospes ipse non solum in theoria, sed & in praxi juris versatur, & aliquam exercitii formam domi fovet. Plane autem prospiciendum erit, ne domus sumptuosa sit, & externis hospitibus excipiendis accommodata. Quod non solum dico propter conterraneos nostros, qui istic studiorum gratia degunt, sed etiam propter quosdam alios. Habet enim illic in propinquo cognatum unum aut alterum, qui cum castra sequan-

quantur, si commodo loco hunc esse intellexerint, non modo sumptibus gravabunt, sed etiam à studiis avertent. Hoc igitur cum maxime cavendum sit, vides qua in re Amplissimo Viro Regii Senatus in patria nostra Præsidi, parenti ejus gratificari queas, qui nunquam cessabit suam erga te gratitudinem data occasione declarare, si compererit te filio suo, tuam operam hîc non denegasse. De patriæ nostræ & hujus Academiæ præsenti statu, sicut & de rebus meis equidem nihil scribo, propterea, quod hic tibi commodius ea omnia singulatim explicare ad longum possit. Tu igitur bene vale & me, ut soles, ama. Coloniæ postridie Palmarum. Anno CIↃ IↃ LXXXIII.

EPISTOLA LXXVIII.

Clarissimo Iureconsulto

IACOBO CUIACIO

SUFFRIDUS PETRUS

LEOVARDIENSIS FRISIUS

U.I.L. Iuridici Collegij Præses.

S. P.

OCcasionem diu quæsitam contrahendæ tecum amicitiæ, Vir Clarissime, tandem dedit hic noster IANUS GULIELMUS Lubecensis, qui cum istuc profecturus esset, à me petiit, ut se tibi commendarem. Quanquam igitur non immerito vereri debuerim, ne parvi pon-

ponderis foret apud te commendatio mea, qui ipse tibi sum ignotus, tamen cum ejusdem professionis communio, audaciam hanc meam non difficulter excusatura sit, modo rem tuis auribus dignam attulero, obtemperandum duxi. Itaque ut meum negotium prius agam, plane cupio, ut me in amicorum tuorum album recipere ne graveris, præstabo enim fideliter quicquid amicitiæ leges jubent, nec futurus sum opinor, tuorum catalogo dedecori. Hoc autem si impetro ad IANUM porro me convertam, cujus præclarum ingenium insigni eruditione nobilitatum, ut multis aliis viris doctis, ita & tibi quoque jucundum fore non dubito: quod tamen eo minus ambitiosè mihi prædicandum puto, quod certius specimen ejus ipse præsens tibi mox editurus est. Bonis literis egregiam operam navavit non modo cognoscendis, sed etiam restaurandis; ita tamen ut ad illustrandam Iurisprudentiam velut ad scopum ultimum eas dirigeret, motus exemplo tuo, qui eo nomine inter Iureconsultos nostri seculi maxime suspiciendus es, quod præparatum ex omni literarum genere subsidium legibus explicandis attuleris, quo facit ut sordibus abstersis purum nobis ac syncerum præstes Iustitiæ templum, IANUS tamen syrenibus istis æquo diutius assidet, quem si tu istinc nonnihil averteris, & ad sacrarium nomices paulo propius adduxeris, dignam operam Reip. navaveris. Mihi quatuor annis integris convictor fuit, quo temporis spatio facile perspexi, quantus in hac pa-

læ-

læstra futurus sit, si ad metam ejus serio contenderit. Tu igitur hunc in tuteleam tuam recipe & ejus nomine mihi quicquid voles impera ac Vale. Coloniæ XXI. Martii. Anno CIↃ IↃ LXXXIII.

EPISTOLA LXXXIX.

Clariss. Vir.

D. SUFFRIDO PETRO,

I. U. Licentiato, & Collegii Iurisconsultorum, quod Coronarum vocant Præfecto, Domino & Amico suo colendo.

IANUS GULIELMUS.

S. P. D.

PRimum ita ut debeo ingentes tibi gratias & ago & habeo, SUFFRIDE, pro benevolentia in me tua, officiis & plurimis & maximis tot annos testata, cui quidem beneficentiæ ego si parum respondi, adolescentiæ veniam dabis, minus ad hæc τῶν κεφηκότων attentæ, respondebo certè vergente jam ad maturitatem virilem ætate, ita ut amicissimi tibi & gratissimi hominis munus impleviſse me & tibi SUFFRIDE, & bonis omnibus probem. De Collegii nostri Curatoribus correxisse spero tuam sedulitatem, quod mea negligentia minus fecit, ut iis & generatim omnibus & seorsim singulis, gratias agerem & animum meum cum Reip. isti tum inprimis Academiæ devinctum pollicerer: verum hoc curasse te scio, qua diligentia es, & in hujusmodi officiis frequentandis dexteritate. Ad iter me-

meum abeo, quod Francofurtum usque secundum & facile habui, ubi DONELLI, quæ vidi tibi emi, & *Gosvino Cholino* tradidi, eum recte curasse spero; scribere in tumultu nundinarum & occupationibus multis urgentibus, neque libuit, neque licuit. Francofurto Lutetiam cum NIVELLIO & PUISÆIS fratribus perrexi ipsis Kal. Aprilibus, & nono die perveni: cætera salvus & alacer, verum equo ea festitatione amisso & Meti sepulto, de quo ibidem querelam ad te longis versibus contexui, quam non misi, quod certi homines nulli occurrerent. Lutetiæ CUIACIUM inveni, sed ad iter Bituricense accinctum; Is & tua commendatione & meis *αὐθαιρέτοις* quæ legerat & probarat, valde mihi bene velle visus est, gratificandi in iis, quæ cupiebam, facultatem ademit bibliotheca procul hinc posita & ipsius discessus post paucos dies, quam huc appuli, si in Biturigas venirem pollicitus est officia omnia, de quo videro sub hyemem. Omnino quotquot hic docti sunt, humanissime & cupidissime me complexi sunt, complectunturque cottidie plures, neque mihi dubium, quin omnia ab ipsis impetraturus sim sane facile, sed perincommode accidit ut longe hinc absint Burdigalæ Cl. PUTEANUS & P. PYTHÆUS, uterque à libris Mss. in M. Tullio copiosus: verum & illos sub autumnum expectamus, & interim ex Bibliotheca S. Victoris monachus eruditus orationum volumen vetustatis mediocris mihi commodabit. Plane hic libenter sum, & ut spero,

cum

cum fructu ſtudiorum & laude aliqua mea, una annona mihi moleſta, quæ impenſiſſime excanduit, nam pro victu expendo, menſtruos coronatos octo, accedunt huc contagia quædam peſtis, quæ è Biturícenſibus & Aurelianenſibus huc uſque permanare dicuntur, etiam rumuſculi in aula audiuntur regem de Belgio Galliæ conjungendo cogitationem ſeriam ſuſcipere. Polliceri in eam rem Lotharingum Alanſonio & opes principatus ſui & filiæ nubilis matrimonium. Verum hæc hujuſmodi cum regem cogito, admittere ad animum non poſſum. Veſtræ Reip. qui ſtatus ſit animi pendeo, de quo quod commodo tuo fiat ad me perſcribe. Gallicana auxilia quæ dicebantur ad Trucheſium mitti, vidi huc iter faciens, peditum ad tria millia, equites plus minus quingentos. Vos urbanos extra belli aleam fore ſpero, & tamen cum minas multorum audio, pertimeſco. Plura non licet, ita proderat is, cui daturus eram: itaque excuſabis me Cll. Vv. Io. Metello, Iac. Campio, Lud. Hellero, God. Steewechio, ad quos eum ſcribere cuperem excludebar tempore, ſed mittam literas rebus meis plane conſtitutis ad omnes. Ad Iacobum Campium vero carmen, quod debere me memini. Interim benevolentiæ in eos meæ ſignificationem & plenam amoris veri memoriam tu teſtabere. Benè vale, amiciſſime Suffride, & me ama, hactenus ſi mutuum à me fieri experiere. Salutem præter eos quos poſui, aſſcribo convictoribus tuis & familiæ,

no-

nominatim G. BRUNIO φιλολόγωνε καί φιλιατρῶν & populari meo BRECUALDO, tum M. HAIONI, G. VELTMANNO, N. CLODIO, cæteris, qui mihi volunt cupiuntque omnibus. Vale iterum ⁊. Lutetiæ Parisiorum ⁊. An. CIↃ IↃ XXCII. Idibus Majis anni Gregoriani.

Hem! Quod pene exciderat negligentia vere lata, ut Ictⁱ loquuntur, de tuo manuscripto ad FRANC. MODIUM Francofurto scripsi ad te quam primum mitteret, aut quando missurus esset significaret, quid fecerit aut non fecerit scribe, ut cunctantem tempori incitare possim. Si HIER. BERCHEMIUS istic erit habes, cujus auctoritate ille vel moveatur magis, vel etiam cogi possit, quem officiosè saluto, sed retro ad Comitem suum rediisse cum hæ tibi dabuntur suspicabar.

EPISTOLA LXXX.

Omni disciplinarum ac virtutum genere ornatissimo Iuveni,

IANO GUILIELMO,

LUBECENSI,

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EM.

Domino & Amico suo unicè colendo

UFFRIDUS PETRUS

LEOVARDIENSIS,

S. P.

LIteris tuis, mi IANE, idibus Majis Lutetiæ Parisiorum datis, hodie per famulum *Sittardi* ty-

typographi respondi, hac occasione præter expectationem oblata per hunc eadem rursus inculcare placuit quæ illic scripsi, eo consilio ut saltem alterutræ ad manus tuas perferantur, quod si tamen utræque pervenerint ταυτολογίαν meam ita temperatam cernes, ut non eadem semper oberret chorda. Quod igitur pro benevolentia in te mea, officiis, uti scribis, plurimis & maximis tot annos testata, ingentes mihi & agis & habes gratias, equidem vehementer gaudeo, non tam quod ἀντιπλαρχίαν aliquam desiderem, quam quod meam de te expectationem eventu ipso videam esse confirmatam, qui exploratis ingenii tui dotibus semper judicavi te fore virum, ut eruditione ita etiam virtute absolutissimum. Ideoque si quid officiorum potui libenter in te contuli, libentissime plus collaturus, si res siviſſet, me esse, ita ut vellem. Nam si tibi pro meritis exhibuissem, quæ libero arbitrio justa censerem, ignaviſſimi quique fuci in hoc collegio eadem velut & sibi ratione communis disciplinæ debita flagitare non dubitarent. Itaque si tu, ut facis, bonis consulis quantulumcumque tandem id est quod in te contuli, abunde mihi jam per te satisfactum est. Ideoque si quid hic porro æstimationi tuæ astruere potero, in eo nequaquam tibi defuturus sum. Quocirca nolim dubites me jam tui rationem quam decuit habuisse apud Antistites Academiæ & hujus Collegii nostri, tui erit in Præfatione Operum Ciceronis, honorifica eorundem mentione facta verbis meis Colo-

phonem addere, ut rebus ipsis docti intelligant, quantum gloriæ ex tuis studiis ad ipsos redundaturum sit. Accedo jam ad iter quod tibi non prorsus commodum eveniſſe ex animo doleo, nec enim res plane extra periculum fuit; ubi equus tuus quadrupes, parte una itineris confecta defessus interiit, te bipedem eadem contentione tanto præsertim æstu conficere partem reliquam. Interim vero ingenuitatem tuam laudo plurimum, qui equum tuum non modo Meti sepeliveris, sed etiam querela ad me contexta defunctum celebraveris. Nam & Alexander Macedo Bucephalo defuncto in perpetuam ejus memoriam homonymam civitatem condidit: contingant igitur dextro Mercurio tibi homines fideles, per quos querelam istam, sine errore ad me transmittas, quam ego nimis avide jam exspecto. Anget enim hoc desiderium meum non una admiratio ἀποστοπήσεως tuæ, nam neque nomen exprimis equi tui, neque scribis ater an albus fuerit, tum etiam quod te longis versibus narras, equidem haud scio de Ennianis an de Palmerianis intelligere debeam. Ennius enim versus quos longos vocat Hexametros facit. PALMERIUS eosdem fecit Heptametros, ut extant in Epithalamio *Steph. Bruelmanni*: ut igitur hac sollicitudine me quamprimum liberes, quæ me somnum capere de nocte non sinit, si alia ratione commodius non potes, vel per celeres equos demum quantumvis magno pretio querelam hanc tuam primo quoque tempore huc transmittas. Commendationem meam tibi apud

apud CUIACIUM profuisse gaudeo, nec dubito te jucunde cum eo esse victurum, si Biturigas, ad eum te contuleris. De Cl. PUTEANO & P. PYTHAEO, cæterisque eruditis tibi gratulor, & spero ex eorum subsidio conatibus tuis (adsit modo DEUS) aliquid accessurum esse magni præsidii. Ideoque non miror te ibi libenter esse, cum annonæ caritatem facile pensatura sit studiorum tuorum successus. Nam de motibus Galliæ spero nonnihil fore, quod futurum tu vereris. Principum consilia mutantur in diem, & vulgi rumore sæpenumero spargitur, quod Principibus in mentem nunquam venit⌣. De nobis quid futurum sit equidem divinare non possum, utrimque fiunt magni apparatus, penes quem ex duobus Electoribus rerum summa futura sit eventus declarabit⌣. Nobis hîc præsentissimum periculum esset, si Magistratus hujus urbis vel minima ex parte litem suam faceret⌣. Qui proinde, si solita moderatione deinceps utatur, facile nos ab anni incommodo tuebitur. Ex periculi vicinitate interim & nos annonæ difficultatem videmur esse sensuri non levem præsertim si factionum contentio diu duraverit⌣. Libenter tuo nomine salutavi, quos jussisti, qui & te resalutant. Dn. METELLUS etiam saluti literas suas addit. Conjunxiores & familiares mei itidem te resalutant. BRUNIUM & VELTMANNUM etiam scripsisse hodie, aut saltem nunc scripturos puto. FR. MODIUS literis datis inducias petit sex mensium & ad nundinas

Francfordienſes proximas reſtitutionem Codicis promittit, quam dilationem cum illi non gravatim concedam non eſt cur HIER. BERCHEMIUM fatigem, qui hinc ad Comitem ſuum reverſus eſt, quem tuo nomine tamen per literas prima oportunitate oblata, quam officioſiſſime ſalutabo. Tu interim, mi IANE, bene vale, & me, ut facis, ama. Coloniæ x Junii. CIↃ IↃ LXXXIII.

EPISTOLA LXXXI.

Reverendiſſimo atque Illuſtriſſimo Principi ac Domino

D. GERARDO à GROISBEECK,

Epiſcopo Leodienſi, Duci Bullonenſi,

Comiti Laſſenſi, Marchioni Francimontano, Sacri Romani Imperij Principi, Domino ac Mæcenati ſuo plurimum colendo.

S. P.

CUm nullius diſciplinæ ægrius, quam Hiſtoriæ luce carere genus humanum poſſit, Illuſtriſſime Princeps ac Reverendiſſime Præſul, quanta fuerit infelicitas ſuperioris ſæculi quo Barbaries in Occidente Rem Literariam afflixit, duobus nominibus æſtimari poteſt. Utpote cum per eum temporis tractum non modo pauciſſimi quidam res geſtas memoriæ tradiderint, ſed & iidem illi rebus tradendis ornatum debitum adhibere non potuerint. Nam ſane ut de his nihil dicamus, quæ ad ſingulas Provincias quaſi privatim pertinent. Pontificum certe & Imperatorum, ipſiuſque Pontificatus &

Im-

Imperii Hiſtorias, quis non merito tum frequentiores, tum politiores deſideret? Sunt enim revera tam rari in hoc genere Scriptores, ut, qui ex horum monumentis undecunque conquiſitis, continuum Hiſtoriæ corpus concinnare adnixi ſunt, vix invenerint, quo filo ſeriem colligarent: qua de re patrum noſtrorum & noſtra quoque memoria ſcribentium querela magis eſt vulgata, quam ut quenquam latere poſſit, adeo quidem ut non defuerint, qui dubitarent, homines ea tempeſtate nati fuerint an pecudes. Iam vero cum in his ipſis hiſtoriis nudum fere rerum eventum tradant, dicta celebria, conſilia, cæteraque ut plurimum omnia omittant, ex quibus Lector voluptatem capere & judicium facere de præſenti negotio poſſit, id ipſum, quod in medium proferunt, tam imperite, tam inculte, tam barbare dicunt, ut omnem prorſus gratiam amittant. Nugis etiam, fabulis, ac ſomniis interdum ita condiunt; ut de fide non immerito periclitentur. Quæ quidem incommoda, quanquam ſane omnia in omnibus ſcriptoribus ex æquo non ſint, tamen cum in plurimis reperiantur plurima, omnes de omnibus ſuſpecti ſunt: quæ cauſſa facit, ut qui politioribus literis arctius addicti ſunt, hoc ſcriptorum genus velut indignum ſtudio ſuo prorſus faſtidiant & contemnant. Malunt enim in veterum Romanorum ac Græcorum ſcriptis edendis & emendandis verſari, in quibus laboris tædium voluptas ipſa levat cum in Barbaris nihil ſit, quod laboran-

tem recreare queat, & laboris sit longe plus, ubi erroribus ut plurimum & mendis omnia referta sunt. Cum igitur in juvanda Rep. non tam quid jucundum, quam quid necessarium sit, considerari debeat, & nulla sit ætas, cui non Historiæ suæ sint necessariæ, dubitari non potest, quin rem dignam Reip. præstent in primis ii, qui suavioribus omissis, eas ipsas Historias, quas Barbaries ista dedit, in lucem proferunt, & in quantum jus & fas est, lectoribus emendatas exhibent: primum enim cum Sallustios, Cæsares, Livios, Suetonios, Tacitos; & consimiles Historicos ætas ista nullos tulerit, Occidentalis Ecclesiæ & Imperii planeque totius Occidentis res gestas qui cognoscere desiderat à Barbaris Scriptoribus maxima ex parte, hoc est, totis fere octingentis annis petat necesse est. Deinde, cum rerum humanarum vicissitudo sæpius in personis dignitates & ordines, in urbibus Magistratus, leges & instituta, in Provinciis urbes, pagos, vicos, fontes, flumina & maria, in Regnis provincias, nationes ac populos tot annis intermediis aboleverit ac mutaverit, nemo satis explicate veterum Romanorum atque etiam Græcorum Historias enucleabit, nisi qui ex Barbaris hujus abolitionis ac mutationis rationem petat ac reddat, qui ut plurimum, licet inculte, fideliter tamen eventus rerum adnotarunt. Quod quidem cum ita sit, equidem quanquam illustrandi juris Civilis gratia, quo studia mea semper direxi, ab ineunte statim ætate, in politissimis vete-

terum Romanorum atque Græcorum Hiſtoriis verſatus ſum, atque etiam nunc verſari multo malim, tamen Reip juvandæ ſtudio & in horridioribus his quoque operam ponere nunquam detrectavi. Nam cum neque Theologos illam quam Theologiam Scholaſticam vocant, neque Iureconſultos artis ſuæ praxin à Barbaris mutuari pudeat, quia commodius aliunde non poſſunt, non pigebit & nos quoque ab iiſdem petere Hiſtorias ex quibis ſolis res in Occidente per ea tempora geſtæ cognoſci poſſunt. Plane enim cum linguarum cognitio, totiuſque politiores literaturæ caſtimonia aliunde comparari queat, Hiſtoriæ ſicut & reliquæ diſciplinæ, quas ætas barbara dedit, grata manu accipiendæ ſunt. Cum itaque his & hujuſmodi rationibus inductus piorum aliquot virorum hortatu hoc propoſito Bibliothecis aliquot in Brabantia luſtratis, cum alia nonnulla repperiſſem, quæ ad cognoſcendum veterem Belgii ſtatum pertinent, tum etiam inſigne hoc Chronicon inveni Epiſcoporum Tungrenſium, Trajectenſium & Leodienſium. Suppeditant hoc ex inſtructiſſima Bibliotheca ſua ſingularis rei literariæ Antiſtes ac Mecænas meus D. Lambertus Hanckart, Abbas Gemblacenſis, Primas Brabantiæ, qui intercedente pro me eruditiſſimo pientiſſimoque Viro ac Domino Ludovico Sonbeco conventus ſui Suppriore, ut & olim multa alia Rei literariæ, juvandæ ſtudio, ita etiam nunc hoc libenter impartivit. Arripui autem cupidiſſime

hoc Chronicon, quod continenti serie mille quingentorum annorum res in Tungrensi, Trajectensi ac Leodiensi Ecclesia gestas continet: In hoc enim cum rationes & causæ dilucide proponuntur, cur Tungris Trajectum, & Trajecto Leodium Sedes Episcopalis translata sit, tum etiam initia, incrementa, complementa, ac decrementa cujusque Cathedræ tam graphice describuntur, ut magis absolute non possint: nam cum ab ipsa inde CHRISTI nativitate incipiat, in annum CIↃ CCCCI. Ejusdem desinat, non modo diligentem Catalogum Episcoporum contexit, eorum, qui intermedio tempore prædictas tres cathedras administrarunt, sed & eorundem origines, successus, interitus, ac res gestas diligentissime prosequitur. Huc accedit, quod & præter illa, quæ prædicta sunt, exactissimo temporum calculo servato, res toto orbe, maxime autem in Ecclesia Romana, Romanoque imperio, & in finitimis provinciis notabiliter gestas clarissime ob oculos ponat. Hinc enim colligitur, quam multiplex usus sit hujus Chronici, ex quo non modo Leodiensis, sed & Romanæ Ecclesiæ, non modo Lossensis, Bullonensisque Ditionis, sed & conterminarum Regionum, ipsiusque imperii atque adeo quoque totius orbis status quis tanto temporis intervallo fuerit summatim cognosci potest. Quæ causa facit, ut, cum titulo & inscriptione Leodiensium peculiare sit, argumento tamen ipso, sit omnium quasi commune. Proponuntur enim hîc res à Christianis

nis Principibus adverſus infideles & ipſorum Chriſtianorum inter ſe belli domique geſtæ, quorum celebria dicta, facta, conſilia, tum virtutum, tum vitiorum exempla illuſtria Lectori oportune ſuppeditant. Statutorum quoque & rituum celebrium cauſas, Ordinum celebrium, Sectarum quoque & Hæreſeon origines in eccleſia omniumque horum tum adprobationes, tum improbationes hic tam clare proponuntur, ut non modo quibus mediis ex prima ſemente ad præſentem frugem res Eccleſiaſtica profecerit, ſed etiam, quæ Zizania frugem ipſam ſubinde pullulantia ſuffocare tentarint, dilucide perſpiciatur. Quo fructu utique ex hiſtoriis major capi non poteſt. Ex hoc itaque Chronico non modo qui Leodienſis Diocæſis, ſed & illi quoque qui vicinarum provinciarum ſunt incolæ, antiquitates, patriæ ſuæ bona magnaque ex parte cognoſcent, cum vel fœdere vel commercio, vel belli vel pacis ratione cum hac Sede olim devincti fuerint. Ita Treverenſis, Colonienſis, Ultrajectenſis Epiſcopatus, (ut de Cameracenſi illique vicinis nihil dicam) ita Luxemburgia, Falcoburgia, Clivia, Iulia, Geldria, Tranſiſulania, Friſia, Hollandia, Brabantia, Flandria, Hannonia, ipſaque Francia hinc ſuorum res geſtas non obiter haurire poteſt. Eo autem gratius hoc Chronicon ſtudioſo lectori eſſe debet, quod nullum aliud extet, quod continenti ſerie omnium Epiſcoporum res geſtas tam plene contineat. Diverſi enim diverſa contulerunt, qui omnia in unum

corpus solide collegerit, hactenus nemo extitit. Fuit quidem, HARIGERUS Abbas Monasterii Lobiensis hoc proposito, sed is quoad potuit, hoc est, à Divo Materno usque ad Divum Remaclum suam produxit Historiam. Hunc excipiens ANCELMUS Presbyter, à Remaclo usque ad Vasonem progressus est. ÆGIDIUS Monachus aureæ vallis à Theoduino usque ad Robertum, IOHANNES Presbyter à Roberto usque ad Engelbertum à Marca seriem porro deduxit. PLACENTIUS enim Trudonensis, qui horum monumentis usus porro ad Erardum à Marca usque ab initio, continenti serie Historiam deducere voluit, quid Chronographo dignum præstiterit, non est nostrum hic multis declarare; facile enim ipse judicabit, quisquis opus illius evolverit; in quo cum fabulas deprecetur, nihil his videtur sectari studiosius, ea interim quæ ad solidiorem Historiæ succum pertinent, haud scio qua negligentia fere semper omittit. Quanto autem plenius ac dexterius author hujus nostri Chronici prædictos istos Scriptores nobis retulerit ex IOHANNE HOXEMIO Scholastico & Canonico Leodiensi apparet, quem eundem PLACENTIUS *Iohannem* Præsbyterum supra appellavit. Porro autem post hunc, Historiam Leodiensis Cathedræ usque ad Iohannem de Bavariâ in cujus anno XI. hoc nostrum Chronicon definit, continuavit, Dn. RADULPHUS de RIVO Bredanus, Decanus Tungrensus, quem PLACENTIUS aut non

non vidit, aut dissimulavit. Hos duos authores, HOXENIUM inquam & BREDANUM nobis suppeditavit prudentissimus Vir & celeberrimus U. I. Professor Dn. Doctor VAMESIUS qui ut insignis Universitatis Lovanienſis Antistes per multos annos fuit, ita nunquam destitit se tum publice, tum privatim benevolum præbere Mæcenatem iis omnibus, quorum conatus ad rem literariam juvandum tendere conspexerit. Idem etiam suppeditavit nobis & alium codicem innominati Anthoris, in quo epitome quædam succincta continebatur Historiæ Leodienſis, quæ ex hoc nostro chronico collecta esse videbatur. Quibus omnibus usus facile & nostri Authoris diligentiam deprehendi, & in eo locos aliquot incuria librarii depravatos emendari. Idem etiam nobis suppeditavit exemplar vetustum Chronici Becaniani de Episcopis Ultrajectinis & Comitibus Hollandiæ, quod nunc itidem in lucem proferimus, cujus collatione magnopere adjuti sumus, ut in præfatione isti operi præfixa testati sumus. Porro autem hoc Chronicon cum hujusmodi sit; Authoris sui nomine, & Authorum ejus debita laude fraudari, neque nos etiam, quod per negligentiam librarij omissum est, quantumvis diligenti inquisitione facta pensare hactenus posse, merito dolendum est. Fuit illa socordia superiori sæculo popularis, ut cum opera ipsa describerent, authorum nomina quasi ad rem nihil pertinentia æquo animo omitterent; unde factum est, ut olim in lucem prodierint multi libri,

libri, quibus aut nullum hactenus, aut falsum Authoris nomen tandem attributum sit. Nos Chronicon hoc una cum insigni Chronico Ducum Brabantiæ, quod propediem etiam publicaturi sumus, uno in codice, una eademque manu satis, ut videtur, descriptum repperimus nomine Authoris utrobique omisso. Stylus Authoris is est, qui ante centum quinquaginta annos esse potuit. Videtur tamen Author, quisquis tandem fuerit, vir fuisse pro ea ætate literatus, & in Leodiensi Sede magnæ authoritatis. Canonicus certe fuit, ad S. Lambertum, ut ex multis locis colligi potest, quibus se ejus Capituli fuisse membrum non obscure innuit. Optandum igitur erat, ut & nomen suum Authori salvum remansisset, & stylus purior contigisset. Sed quoniam votis id obtineri non potest, hic defectus boni consulendus est. Qui, ut rerum traditarum veritati nihil derogat, ita multis aliis commodis pensatur. Author enim ipse serius est ac gravis, & sine affectibus acta tam mala, quam bona Syncero corde & bona fide refert, à nugis, fabulis, insomniis ac deliriis, quibus plerique alii ejus sæculi Scriptores Historias suas condire solent, prorsus alienus. Si quid tamen uno aut altero loco forte habet, quod in hoc genere collocari posse videatur, id ejusmodi esse comperiet Lector candidus, ut communi ejus sæculi opinione excusetur, & apud alios quoque Scriptores gravissimos reperiatur. Quod quidem cum non mea solum, sed & aliorum non paucorum censura, quibus ego

hoc

hoc opus legendum exhibui, veriſſimum eſſe deprehenſum ſit, equidem digniſſimum eſſe judicavi, non modo quod in lucem ederetur, verum etiam quod ad hanc noſtram uſque ætatem appendice adjecta porro deduceretur. Conquiſivi itaque undecunque potui ad hoc inſtitutum meum ſubſidia maxime ea, quæ à diverſis authoribus probatis finitimarumque gentium Hiſtoriographis jam antea publicata ſunt: opera inquam, CH. MASSAEI, IACOBI MEIERI, LAMBERTI HORTENSII, PHILIPPI COMINEI, FR. & LUD. GUICCIARDINI, GER. NOVIOMAGI, GER. MERCATORIS, ONUPHRII PANUINII, LAURENTII SURII, PLACENT. TRUDONENSIS, HUBERTI THOMAE, ALPHONSIS de ULLCA, PETRI BIZARI, GALEATII CAPELLAE, & quorundam aliorum, quibus & ea addidi finitimarum Gentium Chronica, quæ populari lingua conſcripta extant. Horum copiam mihi maxime fecit ex inſtructiſſima Bibliotheca ſua Vir præſtantiſſimus & ſingularis literatorum Mæcenas ac fautor Dn. Doctor IACOBUS SCIPMANNUS Hondiſcotanus, Societatis IESU quondam Lovanii, nunc Duaci Rector vigilantiſſimus, ſicut & ſucceſſor ejus vir non minus pius quam eruditus, Sacræ Paginæ Licentiatus Dn. IOHANNES VILHELMUS Harlemus, qui & publicam Eccleſiæ atque Rei literariæ utilitatem & privatos conatus meos prædeceſſoris ſui exemplo pro viribus ſuis ad ju-

juvare nunquam cessat. Privatis & nondum publicatis Commentariis ad hoc institutum usus non sum, nisi perpaucis quibusdam, de quorum fide dubium non erat. In hoc genere mihi contulit nonnulla collectanea, singulari studio ac fide composita, Venerabilis in CHRISTO pater ac Dn. PAULUS SYLVANUS Regularium domus S. Martini apud Lovanium Prior dignissimus, qui ut huic conventui per multos annos summa cum laude, nec minori Religionis Christianæ fructu præfuit, itaque nunquam destitit eorum conatus promovere qui literis ac pietati student. Quia vero in appendice nostra connumerato Iohanne de Bavaria decem Episcopos describimus, in quinque posterioribus ob recentem memoriam prolixiori rerum gestarum narrationi consulto supersedimus, ne vel ad gratiam, vel ad invidiam cujusquam scripsisse videamur. Illud interim studiose egimus, ut series chronici continenti filo servaretur. Hoc igitur Chronicon una cum appendice nostra, Princeps Illustrissime & Reverendissime Præsul, cum ad illustrandam Cathedram tuam peculiariter comparatum sit, non video sub cujus nomine justius, quam sub tuo in lucem emittatur. Deinde cum jam olim ante complurimos annos conscriptum, tua nunc memoria demum in publicum proferatur, te nimirum ipsum sibi patronum è multis delegisse videri debet. Postremo cum tu avitæ nobilitati eruditionem non vulgarem, eruditioni parem virtutem adjunxeris, & his conjun-

junctis, Episcopalem dignitatem per multos jam annos ita tuearis, ut nihil cures diligentius, quam quod ad communem Ecclesiæ tuæ & Reip. literariæ profectum pertinet, merito nimirum tuo Chronicon hoc tibi inscribendum est: in quo ob exemplorum varietatem, propositis in contrarium virtutibus ac vitiis veri Præsulis exemplar accuratissime delineatum conspicitur. Quanquam igitur sperem Illustrissime Princeps, te boni consultis his rationibus haud gravatim suscepturum esse hujus Chronici à me factam tuæ Celsitudini dedicationem, confido tamen te in magis me temeritatis excusatum habiturum, quod ad prædictas rationes istas etiam præstantium virorum hortatus accesserit. Plane enim, ut Celsitudini tuæ hoc opus inscriberem serio me hortatus est, Clarissimus vir ac verissimus Academiæ Lovanienſis, imo vero totius hujus Belgii vindex Dn. Doctor ELBERTUS LEONINUS qui, ut prælectionum disputationumque legalium publicis exercitiis ex professo hanc Universitatem summo cum fructu per multos annos cohonestat, urbes totas, universasque provincias, eorumque Gubernatores ac Principes, consiliis juvat, omnibus publice ac privatim ex animo bene consultum cupit, pro singulari observantia sua, qua Te, pro singulari humanitate, qua me prosequitur, non indignum judicavit hoc Chronicon, quod sub auspicio tui nominis in lucem ederetur. Quod quidem quo minus temere feciſſe judicetur, non gravatus fuit, antequam judicium

um suum interponeret universum diligenter evolvere. Hortatus est non minus & huc idem, de quo supra diximus tuæ Celsitudinis observantissimus Societatis IESU Rector apud Duacum Dn. Doctor IACOBUS SCIPMANNUS, qui indefatigabili studio eas præcipue literas promovet, ex quibus ad Catholicam CHRISTI Ecclesiam præsens aliquis fructus redundare possit. Hortati sunt & alii complures viri graves, quorum consiliis non acquiescere importunum fuerit. Clarissimus etiam vir & in omni literarum virtutumque genere politissimus, quique politissimis scriptis suis Rem literariam indesinenter promovet, ac tuæ Celsitudini ob necessitudinem professionis conjunctissimus, ob singularem industriam atque fidem in publicis ac privatis negociis tuis exploratam Charissimus Dn. Doctor LAEVINUS TORRENTIUS ad S. Lambertum Leodii Canonicus dignissimus, cum propositum meum de hoc Chronico tibi dedicando intellexisset, mihi benignissime suam operam promisit, qua studium meum tibi insinuari possit. Accipe igitur, Princeps Illustrissime, Chronicon hoc Episcoporum Tungrensium, Trajectensium, & Leodiensium, ac sub tui nominis auspicio publicatum tuo patrocinio dignare, ut quod ex argumenti sui præstantia multiplicem utilitatem legentibus allaturum est, & tuæ Celsitudinis titulo præsentem authoritatem sortiatur. Quod quidem si, ut spero, feceris, efficies me ad majora posthac in usum Reip. tentanda alacriorem.

orem. DEUS OPT. MAX. Illustrissime Princeps Reverendissimam Celsitudinem tuam diu incolumem conservare & semper in majus ac melius augere dignetur. Bene Vale. Lovanii x. Februarii anno CIↃ IↃ LXXV.

Illustriss. Celsitud. Tuæ Famulus deditissimus

SUFFRIDUS PETRUS

Leovardiensis Frisius U. I. C.

EPISTOLA LXXXII.

Clarissimo & Præstantissimo Viro

D. SUFFRIDO PETRO, U.I.D.

& Burse Coronariæ apud Colonenses Regenti, Domino & Amico suo colendo. S.

REdditæ mihi sunt, Cl. V. literæ tuæ, quas Colonia superiore mense ad me dedisti. Ex iis cum intelligo, quantam tibi curam afferant *Castigationes* illæ IANI nostri GUHLJELMII, piæ memoriæ, *in Ciceronem* confectæ: animadverto id, quod ante quoque perspexi, cupiditate certare te cum iis, quorum maxime interest, ut idem tuus sit affectus, qui noster. Quod vero scribis, certorum hominum literis & sermonibus tibi significatum, per Lubecensem quendam eas huc asportatas; idque à me perscriptum hactenus ad te non esse non solum demiraris, sed pene molestè ferre videris, de eo confirmo equidem tibi, illas huc non perveniisse. Neque tamen

cælabo te consilium nostrum, etenim non mea solum res agitur, sed aliorum imprimis, ad quos ut è morte IANI dolor, ita harum rerum procuratio proprie proximeque pervenit; in quibus est & HEINRICUS GERDAVIUS, IANI sororis maritus, & IANI frater, efflorescentis ætatis adolescens, quique in rem suam consulere jam ipse novit, quanquam hic à patria modo abest. Hi igitur eandem rem mecum agunt & paribus consiliis tum suis tum tuis rationibus consultum cupiunt. Quare posteaquam ex Cl. U. D. HERMANNO VARENBECCIO D. hujus Reip. Syndico, nuper & ab eo tempore, quo ad te proxime scripsi, cognovimus, multum diligenterque à Gallis eas, quas dixi, *Castigationes* pervestigari, vehementerque laborare plures, ut eas suas faciant, & cum à Professoribus item quibusdam Academiæ Rostochiensis, de iis moniti ac rogati simus, visum fuit nobis negotium committere quibusdam, qui omnino operam darent, ut ad nos volumina ista, si fieri possit, mittantur ac perferantur. Quod quo diligentius & maturius faceremus, non mediocriter monuerunt nos tempora & Galliæ status, è quo ne periculi aliquid vel ad nos vel ad te redundaret, præcavere, quantum fieri possit, hac ratione voluimus. Cum primum vero id quod vehementer optamus, res ex voto successerit, sive libros eos accipiemus, sive certi aliquid de iis habebimus, faciam ut scias: neque enim de jure tuo quicquam detractum volumus, sed id

id universum tibi integrum salvumque relinquimus ac concedimus. Proinde nulla mihi dubitatio est, quin sine molestia expectaturus sis, dum res exploretur; nec vero quicquam impedimenti allaturus, quo minus IANI libri, qui Coloniæ sunt, partim vendantur, partim huc remittantur. Qua de re ad præstantissimum D. IOHANNEM BONONIUM D. nuper nominatim scripsimus. Quæ vicissim mea in te studia & officia esse poterunt, ea tibi defero ac polliceor. Bene Vale. Datæ Lubecæ IV. Cal. Martii. Anno CIↃ IↃ LXXXVI.

T. E. *Studiosus*

ARNOLDUS BONNUS.
Reip. Lubecens. Senator.

EPISTOLA LXXXIII.

Clarissimo Viro

D. SUFFRIDO PETRO,

Amico & Domino suo observando S.

Coloniam Agripp.

IANI GULJELMII B. M. civis & amici à primis incunabulis mei, *Ciceronem*, uti is inventus à nobis est, qua diligentia conservatum hucusque perduxerim, testes habeo plurimos, SUFFRIDE PETRE, Vir Clarissime, & nisi temporis brevitate excluderer, indicare nunc tibi quoque pluribus possem. Mora sane ista longa nimis, imò intolerabilis mihi visa fuit

noſtratium, quibus vix tandem tot meis literis reſponſum potui extorquere: quod eo tamen gratius mihi eſt, quo rectius meliuſque cecidiſſe meam in abducendo ex Gallia Cicerone operam video, dum tibi eum curæ porro & cordi futurum ex tua ad Cl. CUJACIUM & ex D. ARNOLDI BONNI ad me epiſtola intellexi: tibi, inquam, de quo optima quæque ſibi pollicitum ipſummet GULJELMIUM, & meritò, fuiſſe, adprime novimus. Poſt receptas igitur, ut dixi, ex patria literas, confectis Genevæ (nam iſtic nonnihil invitus licet, ſubſtiti) rebus meis, huc veni ante dies ſex, PAULOQUE MELISSO, amico cum meo, tum GULJELMII noſtri ſummo, & tui imprimis ſtudioſo haſce ad te literas commiſi, quibus id nunc rogatum te velim, edoceas me quam primum, quo meliori modo & per quem commode tutoque perferri ad te ſarcinam iſtam, cui jamdudum iſta, quæ ad Ciceronem ſpectant, incluſa apud me deliteſcunt, cupias. Ego enim ægre ea cuiquam, niſi certo & exploratæ fidei homini, auſim commendare. Tuum etiam ad CUJACIUM ſcriptum apud me integrum tibi erit, donec, quid fieri hîc à me velis, intelligam: Bituriges enim id mittere ſine ulteriore mandato nolui, ne poſcere ab viro illo doctiſſimo videamur, quod inſcio illo, invitis multis, rogantibus aliquibus Germaniæ redditum apud nos habemus. Ego GRINÆI convictu utor, utarque volente DEO per menſem adhuc unum aut alterum. Vale, Vir Cla-

Clariſſime, & proximè quam tuas accepero, prolixiores à me exſpecta. Raptim Baſileæ Kalend. Iunii. LXXXVI.

T. AUGUSTINUS KOCKERTUS LUBECENSIS.

EPISTOLA LXXXIV.

Eruditiſſimo Domino

AUGUSTINO KOCKERTO LUBECENSI.

S. P.

LIteras tuas, KOCKERTE Doctiſſime, Cal. Iunii Baſileæ ſcriptas, ſuis incluſas Haidelbergæ Cal. Iulii datis ad me miſit Vir Clariſſimus PAULUS MELISSUS, quas ego XX. ejuſdem menſis die hîc accepi. Fuerunt autem & illius & tuæ literæ mihi multis modis gratiſſimæ, eo certe magis, quod venerint inſperatæ, imo vero omni ſpe jam abjecta de *Caſtigationibus Ciceronianis* non dico jam recuperandis, ſed vel ulterius inveſtigandis: tanto enim jam tempore poſt obitum P. M. IANI noſtri elapſo nullis literis quantumvis crebis ad diverſos ſcriptis expiſcari hactenus aliunde potui, quid de his actum fuerit. Nunc igitur eſt, quod tibi inprimis, & MELISSO deinde tum meo tum IANI nomine gratias immortales agam, quorum ſtudio ac diligentia non modo non conſervatæ

sunt *Castigationes* istæ, sed etiam eo directæ quo debent. Quocirca nolim dubites, quin ita in IANI hisce reliquiis versaturus sim, ut & tuo & MELISSI & omnium bonorum & eruditiorum judicio, tum IANI manibus, tum etiam heredibus & amicis ejus abunde satisfaciam, modo consequar id, quod vobis offerentibus jam certo sperare cœpi. Scripsi itaque jam ad MELISSUM, ac petii, ut sarcinam ex nundinis proximis Francofordiensibus per certos Typographos, quos indicavi, recta huc ad me mittat. Addat etiam scriptum meum ad CUJACIUM, si quidem habeat, cujus tu in literis tuis meministi, cum ad illum importune jam mittatur, postquam aliunde recepi quod ab illo peto, qua in re prudentiam tuam exosculor, qui id mihi apud te integrum esse voluisti. Quare si nec apud MELISSUM illud est, nec istinc remittere ipse potes, quæso vel corrumpas, vel quovis alio modo eo utaris pro arbitrio tuo modo ne ad manus illius nunc perveniat, nolim enim ulla molestia non necessaria Viri Doctissimi animum conturbari. Tibi autem, mi KOCKERTE si qua in re vicissim gratificari queam, officio amici nunquam defuturus sum: quare si quid hujusmodi forte inciderit, quod ego minus animadvertam, tu quæso impera. Et, quod meis acceptis, te facturum promisisti, obsecro te jam scribas de IANI exitu, de contentionibus ob *Castigationes* hasce motis, & ceteris, quæ ad memoriam Doctissimi Iuvenis pertinent, quæ mihi omnia gratissima

sima futura sunt. Literas hasce ad MELISSUM Haidelbergam misi, cum is mihi indicasset te in Italiam esse profectum; neque locum expressisset in quo tu esses, eo igitur cognito, & crebriores & prolixiores literas à me expectabis. Interim bene vale & me, ut cœpisti, amare perge. Coloniæ 11. Calend. Augusti. Anno CIↃ IↃ LXXXVI.

Tuo merito tibi addictiss.

SUFFRIDUS PETRUS Leovard.

U. I. C. Iuridici Collegii trium Coronarum Præses.

EPISTOLA LXXXV.

Amplissimo, Clarissimo, Consultissimo Viro ac Domino

D. ARNOLDO BONNO, &c.

Domino ac Patrono suo unicè colendo.

Lubecam.

ANnus jam est aut eo plus, Vir Prudentissime, ex quo literas ad me Basilea dedit AUGUSTINUS KOCKERTUS, (quarum exemplar ad te his inclusum mitto) quibus & suas in eandem sententiam quoque, qui eas ad me transmisit PAULUS MELISSUS addidit. His acceptis nihil equidem dubitavi, quin *Castigationes* meas ex nundinis autumnalibus insequentibus, uti mature fieri petiveram, hîc recepturus essem; sed eâ spes adeo me fefellit, ut non modo tunc nihil acceperim, sed etiam deinceps nihil consecuturus esse videar. Post-

quam enim COCKERTUS in Italiam profectus est, mihi objiciuntur nebulæ, ut non videam amplius, Castigationes istæ vel ubi sint, vel unde peti debeant: additur etiam te easdem literis identidem scriptis flagitare, ut Lubecam transmittantur. Memini te mihi scripsisse olim in hæc verba; (*Nec vero quicquam quod in IANI reliquiis tuum esse constabit aut docebitur, nos quo minus tibi vindices, morabimur.*) Atqui, Vir Prudentissime, si ea IANI omnia esse censebitis, quæ manu IANI descripta esse videritis, & mea nulla esse, nisi quæ mea manu exarata sunt, iniquam sane censuram agetis. Ego IANO *Castigationes in omnia opera Ciceronis* contuli, has ille magna ex parte sua manu descripsit, & hinc decedens autographa mea mihi reliquit, nam & cætera quoque eodem modo descripturus, & eorum authentica ad me remissurus erat, antequam prælo committeret, id quod ex Plautinis ejus Quæstionibus, satis clare patet☞. Habuisse autem me paratas *in omnia opera Ciceronis Castigationes* abunde locuples testis est IOANNIS OPORINUS, qui *Præfationem* meam *in Officia Ciceronis*, ubi id scribo, ipse excudit, ut in exemplari apparet, quod his adjunctum transmitto. Dedisse autem me eas IANO, ipse non uno loco in scriptis suis prædicat, & quod multa ex meis descripserit, collatio eorum, quæ istic, & eorum quæ hic sunt, plenissimè docebit☞. Quid igitur iniquius fuerit, quam IANO adscribere, quæ

mea

mea sunt? Nam si quid IANUS forte ex codicibus Gallicis collegit, ex quo in Galliam venit, id accessorii loco tantummodo habendum est, principale enim universum meum est. Iam vero ego non viribus meis diffisus, sed otio destitutus IANO *Castigationes* hasce perficiendas dedi; *dedi* enim *in eum finem, ut in usum Rei literariæ ipse meo nomine eas absolveret, & in lucem ederet*; dedi amico familiari, & bene explorato, & cui quo præsens commodius præire in his possem, abs te biennium impetravi, quo mecum hic familiariter viveret in convictu meo. Iam igitur cum IANUS hoc mandatum susceptum exequi non potuerit, quis est tam siniſtri judicii, ut neget ad me *Castigationes* hasce de integro recidisse, ut mihi liberum sit, & esse debeat, cui eas committam! Imo quis mihi relinquendas à vobis neget, si nulli alteri committere sed mihi ipsi reservare velim? Nec vero IANUS pro sua gratitudine sententiam rogatus unquam negasset, accessorium suum principali meo consequens esse debere, nec à quoquam suum nomen celebrari malle, quam à me, à quo accepit ipse unde nomen in literis consequeretur. Quæ res me mirari facit quorundam vestrorum ingratitudinem, qui nullam mei rationem hic habendam putant, & quasi mandatum ad hæredes transeat, ita sibi liberum fore putant, etiam me inconsulto meas *Castigationes* hasce cuilibet, quantumvis mihi ignoto & inexplorato pro arbitrio suo addicere non modo excudendas

ſed etiam abſolvendas. Imo vero quaſi in poſſeſſionem ſuam venerint licitantibus indicant operas meas, & ex his ſibi promittunt neſcio quos montes aureos. Atqui ſi IANUS ipſe viveret pacto mihi tenebatur, ne cui haſce *Caſtigationes* citra conſenſum meum excudendas committeret, præterquam THOMAE GUARINO, Typographo Baſileenſi, cui ego jam antea pactus eram, acceptis aliquot ab eo libris ad propoſitum meum hoc neceſſariis, quos illi adhuc debeo, ſoluturus tamen ſi illi *Caſtigationes* excudendas non præſtitero. Et ſi quid ex iiſdem fructus a Mæcenatum liberalitate redundare poſſet id quod certe hoc rerum ſtatu perquam exile futurum eſt, quis id IANO totum ita peculiare promiſit ut nulla ejus pars ad me pertingere debeat? Cupio igitur ut mihi *Caſtigationes* meæ, ſive meæ ſive IANI manu deſcriptæ ſint, huc remittantur. Primum quia æquum eſt, ut quod meum eſt mihi reſtituatur. Deinde, quia me invito meos labores vel ſibi ipſi vel cuivis alteri perficiendos proponere nemo debet, tum etiam, quia nemo alius præter me IANO mortuo *Caſtigationum* rationes, unde fides emendationis pendet incognitis librorum notis intelligere poteſt. Denique quia nemo eorum quidem, qui vivunt hodie, vel majori cum fide poſſit, vel pleniori cum benevolentia velit ad gloriam defuncti IANI haſce *Caſtigationes* in lucem proferre, quam ego. Ad extremum, quod nemo me melius æſtimare poſſit, quid fructus ad me, quid ad IANUM

vel

vel à Typographis vel à Mæcenatibus ex his *Castigationibus* redundare possit. Quas quidem rationes cum nemo veras ac solidas esse negare possit, equidem satis mirari non possum hactenus istic adeo nullam esse mei habitam rationem, ut toto jam biennio me litera ulla ultro unquam appellare nemo dignatus sit, itaque me quasi suspectum habeant, quem, si non gratitudinis, at saltem commodi sui & honoris IANI ratione colere ac venerari debebant, studiose cælant, quid agatur, qui certior factus promovere magnopere conatus ipsorum possem. Itaque non me modo suspensum tenent, sed & IANI manes etiam debita laude privant & seipsos commodo fraudant. Velim igitur scribatur ad PAULUM MELISSUM, seu ad quemvis alium mature ut *Castigationes* huc remittat, & hic aliquis constituatur, qui mecum ex æquo & bono de commodis vestris hinc percipiendis agat, quibus ego vos neutiquam fraudatos volo. Hoc si impetro cum gratia, dabo operam, ut honori IANI & emolumentis vestris mature consulatur. Sin minus, dabitis mihi veniam si labores meos, quos tot annorum spatio tantis curis atque vigiliis, addo etiam sumptibus ac periculis confeci, nolim concedere ingratis, quos proinde ut recuperem facturus sum, quod & jus fieri permittet, & factum posteritas laudabit. Pro rebus IANI liberandis, quibus ego manum hic injeci, fidem suam interponere vestro nomine voluit Consultissimus D. L. IOANNES BENONIUS, qua mihi pro multis mil-

millibus alioqui fidejussor satis idoneus foret, si de debito aliquo pecuniario ageretur, nunc autem cum de opera mea agatur, quæ non pecunia, sed sola opera, ea que per me solum continuanda præstari potest, quo citius vos me compotem *Castigationum* mearum feceritis tanto citius ego vobis res IANI nexu meo liberabo. Tu igitur hæc quæ supra dicta sunt cum cæteris amicis & hæredibus IANI communicabis, & quid mihi expectandum sit mature indicabis, ut ad nundinas Francofordienses aliquid habere certi possim; qua occasione & tu trium cohæredumque tuorum consensum literis additis, eidem Melisso indicare poteris, quas ego meis inclusas tuto ad illum perferri procurabo. Bene Vale. Coloniæ IV. Aug. Anno CIↃ IↃ LXXXVII.

SUFFRIDUS PETRUS L.

EPISTOLA LXXXVI.

CLARISSIMO VIRO

Domino

SUFFRIDO PETRO,

Inreconsulto præstanti, Domino & Amico suo colendo.

S. *Coloniam.*

MIrum in modum me exhilararunt MELISSI nostri litteræ, quibus non ita pridem significavit, te Clariss. SUFFRIDE, etiamnum Coloniæ degere, & Lovanium migrandi, aut habuisse nunquam aut immutasse animum, valdeque esse cupidum videndi tandem & tuas

tuas & GULJELMII nostri in *Ciceronem Lucubrationes*. De horum postremo ipse dubitavi nunquam; nec vero potui aut debui, qui & GULJELMII B. M. erga te animum novi pridem, & de tuo erga illum satis cum abs te ipsomet, tum ab aliis edoctus fui. De priore dubitavi ego & mecum viri aliquot docti in hac urbe, idque ex Dn. MELISSI potissimum literis, quibus certo certius adfirmavit, à fide dignis hominibus referri de tuo ad Lovanienses migratione, quod cum & alii nonnulli adfirmarent, eo inductus fui, ut post extortum tandem creberrimis literis meis ab hæredibus GULJELMII, & cum primis ab Dn. BONNO senatore nostræ Reip. responsum, quo Argentinam à me & deinceps Lubecam curari sarcinas istas mandabant, pro meo erga defunctum amore communicato tamen prius cum gravibus & doctis viris consilio, hortatus per literas D. BONNUM sim, darent sedulo operam, ne, si per tot circuitus primum Lubecam, tum Coloniam & deinceps Lovanium ducatur Cicero, periculo etiam majori, quam quo ereptus opera mea sit, exponatur, & antequam ad manus forte tuas perveniat, intereat, præda factus militi Hispano, qui Galli manus vixdum evaserit. Adnitantur potius, alii cuidam, docto & sincero (quorum utrumque arbitratus semper sum hic requiri) docto, inquam, & in Cicerone bene versato viro, & qui non sua sed publica & defuncti rem agat, non ita longe absito in loco, tradatur, committatur

pace

pace tua, consensuque tuo. Et uti quid hac de re videatur, mihi rescribant quamprimum, paratissimo quoquo velint, mittere ea, quæ apud me jamdiu hæreant præter voluntatem omnem meam & exspectationem aliorum. Verum, qua fortuna, quove infortunio factum fuerit, haud possim dicere, certe haud exigua cum molestia & dolore meo factum ut literas istas, quas recte curari magna mea intererat, Lubecenses mei, uti intellexi, non receperint: moniti tamen iterum eadem de re præteritis æstivis nundinis diligenter satis, aliis literis, quas scio curatas esse recte. A quibus cum nihil ne nunc quidem ad me, etsi suspenso admodum animo fui, quia tamen tuo nomine nescio quis amicus sollicitat iterum, & MELISSUS revocat id, quod adseruit ante persuasus, ut ait, & verosimile est, ab fide dignis hominibus, quia, inquam, negat te mutaturum sedem, frustraque se metuisse videt de periculo illo, quod dixi, ne me hinc discedente in Italiam (id quod fiet, juvante DEO, intra biduum) mora ulterior huic negotio injiciatur) pergo in proposito, & ei cui jussus sum, Ciceronem Argentinam mitto, adversatum à pluvia, quam potui, bene: adjunctis literis, quibus Cl. viro Dn. BONNO negotium totum significo, & ut ad te, vel eum, quem voletis, curet quamprimum, hortor. Adjungo etiam epistolam ejusdem quæ hæc est (quam MELISSO commendo) aliam ad te, Cl. SUFFRIDE, ut vel una earum aceepta videas quid & de hoc negotio

tio ſentire & de meo hîc candore polliceri tibi debeas, qui ita hic egi amiciſſimi mihi hominis cauſam, uti ille, quem ab ineunte ætate nôram, meam (ſat ſcio) erat acturus, hoc eſt, animo ſyncero & candido. Cætera vale, & ad me ſi quid literarum daturus es, ſcito, à GEORGIO REMO, patricio Auguſtano, aut (ſi ita malis) à Cl. Viro Dn. BONAVENTURA BODEKERO, qui Auguſtæ degit, rectiſſime curatum iri, quovis Italiæ loco ſiem⁻. Dabantur ilico Baſileæ XVI. Oct. Anni CIↃ IↃ LXXXVII.

AUGUSTINUS KOCKERT.

EPISTOLA LXXXVII.

Clariſſimo atque Doctiſſimo Viro

D. SUFFRIDO PETRO LEOVARDIENSI,

U. I. C. Regenti Burſæ Coronarum Domino ac Amico ſuo colendiſſimo.

S. *Coloniam.*

CLariſſime atque Doctiſſime Vir, Domine ac Amice unice colende; Accepi nuper literas quibus Excellentia veſtra non tantum IANI GULIELMI relictas *Caſtigationes in omnia Ciceronis opera* pro ſuis laboribus ac vigiliis ſibi vendicat, ſed etiam ſarcinam librorum, oblata demum participatione, tum honoris manium defuncti, tum etiam hæredum commodi, per Con-

Constitutum ad se remitti cupit : qua de causa ab Excellentia vestra rebus IANI Coloniæ relictis manum injectam esse, ac Dominum L. IOHANNEM BONONIUM pro nexus liberatione fidem suam interponere velle, transmissa simul literarum ARNOLDI KOCKERTI formula, pene invitus intellexi. Etsi vero quæ jam antea *Castigationum* istarum nomine luculenter ad me perscripta sunt, cum simul transmissis 11. Calend. Febr. Anno CIↃ IↃ LXXXVIII. facile in mentem revoco. Siquidem *Castigationes* istas potissimum IANI opera conscriptas esse, eumque ultimam manum eisdem imposuisse ex multorum relatu accepi, sane non video, cur in hoc ipsius debito honori laboribusque atque vigiliis, occultatione sui nominis atque alienæ laudis quicquam detrahi possit; verum arbitror communem hunc laborem simul IANI manibus gratum acceptumque referri debere, ejusdemque emolumentum ad hæredes pertinere. Idcirco ad toties desideratam operis continuationem atque divulgationem quod attinet, sane remissio librorum atque *Annotationum* non tantopere à me uti agnato ac quondam Tutore, sed potius proximis IANI hæredibus, fratre nimirum HERMANNO WILHELMS, ejusdemque affine HENRICO GERDOWEN, efflagitari debet: uterque enim frater ac soror jam dudum Tutorum potestate liberati ac sui juris facti sunt unde si quas Excel. Vestra *Castigationum* istarum nomine petitiones se habere, debitaque solven-

da

da esse arbitrabitur, me neglecto, contra prænominatos hæredes, ad quos tantum totius hujus negotii onus ac commodum spectat, quovis modo sui jure uti poterit. Ego vero siquidem semel molestissimo tutelæ munere hic ex Decreto senatus publico liberatus, non video quæ amplius adversus me *Castigationum* istarum nomine vel interpellandi vel molestandi causa supersesse posset. Sed potius Excell. Vestram tota sua actione ad hæredes alioque, quorum interest, remitto, meaque qualiacunque studia atque officia alio quovis modo obnixe defero. Bene & feliciter Excellentia vestra valeat. Datum Lubecæ VII. Febr. Anno CIↃ IↃ LXXXVIII.

Excell. Vestræ observantissimus

ARNOLDUS BONNUS.

EPISTOLA LXXXVIII.

Clarissimo atque Doctissimo Viro

D. SUFFRIDO PETRO LEOVARDIENSI,

U.I.C. Regenti Bursæ Coronarum apud Colonienses, Domino & Amico suo colendissimo.

S. *Coloniam.*

POst quindecennalem prope peregrinationem reduci in patriam mihi, Clariss. SUFFRIDE, vix quicquam aliud antiquius ac prius hosce menses aliquot fuit, quam,

ut de IANI GULJELMII, B. M. communis quondam amici nostri, sobole postuma cum apud Prudentissimum & Optimum Virum Dn. ARNOLDUM BONNUM, præclarum hujus urbis Senatorem, tum apud eos ad quos pertinere ea res aliquanto propius videbatur inquirerem. Et vero caussa quærendi non una solum illa, quam modo attigi, mea cum doctissimo isto juvene à primis annis cœpta & redintegrata in Galliis, ac confirmata testataque etiam animam agentis illius & loquela jam plane destituti amplexu; sed & partim peculiaris hæredum defuncti, partim reipublicæ literariæ negotium, & utilitas: quam omnino exigere arbitratus sum, ut ne gemina ista proles (*Ciceronem* dico & *Epigrammata* GULJELMII) quæ non solius mea, sed aliorum etiam, eorumdemque Nobiliss. Clariss. & Prudentissimorum virorum, qui plerique etiamnum superstites fida & sincere (id quod DEUM testor) adhibita opera suscepta atque adservata olim fuit, interiret aut intereat. Quærenti igitur istas aliasque ob caussas hoc, quod dixi, mihi id datum responsi est, è quo, tametsi tot nunc annis, quibus *Poëmata* quidem communi omnium, qui Biturgibus eramus, GULJELMII amicorum, adeoque ipsius CUJACII consilio, Cl. MELISSO recensenda; *Ciceronis* vero edendi arbitrium, eorundem (excepto solius CUJACII, Germaniæ nostræ thesaurum illum invidentis) voluntate cum Prudentiss. Senatore BONNO, tum hæredibus, adhibito aliorum

Docti-

Doctiorum Iudicio, commissum fuit, nihil omnino actum esse, non sine ingenti animi dolore intellexi. Quia tamen, quo loco & apud quos *Castigationes* illæ etiamnum salvæ hæreant, simul comperi, idcirco nondum equidem desperandum de summa rei, modo hæc serio deinceps agatur putarem.

Ad *Poëmata* quod attinet, spero, Cl. MELISSUM neque spei nostræ, neque datæ olim nobis, & nuper mihi per literas fidei suæ defuturum.

De *Cicerone* vero, auctor, quantum quidem in me est, hæredibus GULJELMII etiam posthac exstiturus sum, ut tandem, vel tibi, æquis tamen conditionibus interpositis; vel alii docto ac Syncero viro, te, si libuerit consentiente certe citra præjudicium ullum tuum, illisque; quæ ad te pertinere probabuntur, tibi restitutis, colligendus, resarciendus, &, si potest, edendus, concredatur.

Quæ omnia nunc breviter tibi, Vir Cl. eo fine significanda censui, primo, ut scias, causse hactenus nihil esse, nihil posthac fore, distrahendæ (quod & citra fugillationem ipsiusmet defuncti vix fieret) supellectilis GULJELMII, cujus hæredes ea, quæ vindicare jure poteris, denegaturi tibi non sunt: deinde ut intelligas, nulla in re tibi aliive cuipiam, cui negotium istud pari candore, atque mihi, curæ & cordi fuerit, defuturum hic, quatenus tamen, id tum æquitatis ratio, tum ipsorum hæredum jus (quo profecto defraudari nec de-

bebunt, nec poterunt) patietur, ſtudium & operam meam⌣. Vale⌣. Lubecæ XXVII. Octobris. Anno XCI.

AUGUSTINUS KOCKERT U.I.D.

EPISTOLA LXXXIX.

Conſultiſſimo Viro

AUGUSTINO KOCKERTO, LUBECENSI,

U.I. Doctori,

S. P. *Lubecam.*

QUanto temporis ſpatio ego cum IANI GULJELMII hæredibus ob *Caſtegationes* iſtas meas fruſtra lucter, Conſultiſſime Domine Doctor, tibi ſatis conſtat. Quam inique autem cum defuncto & mecum ab illis agatur, quivis æſtimare poſſit. Mihi propoſitum ab initio fuit, ut *Caſtigationes* iſtas in lucem emitterem; in hunc enim finem laboravi, ut Reip. literariæ prodeſſem induſtria mea, & hinc reportarem quod fors & fortuna ferret. Cæterum cum ſuſcepta hujus Burſæ gubernatione, & publica juris profeſſione minus haberem otii ad evulgandum hunc fætum meum, quem paratum jam habebam, induxi IANUM, ut is meo nomine id faceret, & ad honorem Univerſitatis & Collegii hujus *Caſtigationes* iſtas ſuo ac meo titulo evulgaret, & in partem emolumenti mecum admitteretur. Quanquam autem IANUS id non effecerit, & proinde percipere

pere non potuerit quod mecum pactus erat, hæredes tamen ita se gerunt; ac si à IANO *Castigationes* profectæ essent, ideoque me non modo ab emolumenti, sed etiam (si Diis placet) ab honoris participatione excludere conantur; quanquam ego *Castigationes* istas meas confectas habuerim, antequam IANUS nasceretur, certe *Thuringicas*, nam *Belgicas* postea collegi; & jam à morte IANI tot anni sunt elapsi. Interim vero fraudant me, fraudant IANUM debito honore, frustrant hanc Universitatem & Universitatem Lovanienſem, & Universitatem Erphordienſem debita gloria, quæ ex opere tam præclaro ad eas redundatura erat. Et quo res indignior sit, cum ego manum rebus IANI hic injeciſſem, non alio fine; quam ut eos ad scribendum adigerem, quid tandem aut quo modo mecum agere vellent, illi tandem publicis literis ultro, me apud Magistratum hujus urbis criminati sunt, quasi qui rebus IANI inhiarem; hoc factum est menſe Martio An. CIↃ IↃ XCII. Ego itaque rei veritate detecta, & arestо, quod vocant, liberato, impetravi literas à Magistratu noſtro viciſſim ad Magistratum Lubecenſem promotoriales, ut is hæredes IANI inducat, ut vel mihi *Castigationes* meas restituant, aut saltem arbitros nomine suo hic constituant, qui mecum transigant. His literis istuc missis aliquid fore speravi, quo possem fidere. Sed cum hactenus nihil actum sit, putavi hæredes unis literis non moveri, & proinde a Magi-

ſtratu noſtro alteras ad Magiſtratum Lubecenſem impetravi, quas jam paratas domi habeo. Quas tamen quo minus mittam effecit Præſtantiſſimus vir ac Dom. ADOLPHUS OSNABRUGH, qui hortatur me, ut privatim ſcriptis potius literis hæredes ipſe ſemel adhuc admoneam, ne qua invidia eos aut indignatione apud Lubecenſem Senatum gravem⁀. Cujus viri conſilium cum ſanum mihi eſſe videatur ſequendum hac vice eſſe duxi. Quocirca te obnixe rogo, mi COCKERTE, ut meo nomine hæredes IANI convenias, & exhibitis literis hiſce meis, agas id quod publicis literis agendum per Magiſtratum Lubecenſem petiturus iterum eram. Intereſt enim mea ut rem urgeam, nam & ætas ingraveſcit mihi & valetudo labaſcit, & profeſſio vitæque mutata conditio alia nunc ſtudia poſtulat; intereſt etiam defuncti, ut memoria ejus ad poſteros tranſmittatur quam primum id fieri poteſt; intereſt denique ipſorum hæredum quoque, ut operis editio maturetur, nam cum indies tam multæ prodeant in Ciceronem Caſtigationes, nemini dubium eſſe debet, quin ab aliis alia obſerventur, quæ in noſtris etiam Caſtigationibus proponuntur. Quibus proinde ab aliis jam præoccupatis noſtræ poſt feſtum venturæ & quaſi machinas poſt bellum allaturæ erunt⁀. Et idcirco gratiam magnam habere non poterunt, neque multum emolumenti hæredibus adferre⁀. Bene vale, mi COCKERTE, & quantum poteris effice⁀, ut huic tam diuturnæ cunctationi finis im-

imponatur. Coloniæ, x. Decemb. Anno CIↃ IↃ XCII.

Tuus ex animo

SUFFRIDUS PETRUS, Leovardiensis,

U. I. C. Regens Burſæ Coronarum.

Poſt Scripta. Duodecima die Decembris hujus ſub veſperum, ego D. ADOLPHO ſupradicto literas haſce legendas exhibui. Qui cum legiſſet, negavit ſe eas vel ſuis incluſurum vel etiam iſtuc tranſmiſſurum, quod videretur, ne quam offenſam apud vos incurreret, eo quod videretur conſcientia ſua tacite approbare epiſtolam meam; qua ego ſcilicet graviter ſine dubio hæredes IANI offenſurus ſim. Itaque ego ne bonum hunc virum invidia apud vos gravem, ipſe periculo meo negotium meum ago, & proinde literas publicas Magiſtratus noſtri ad Senatum Lubecenſem, & has ut antea conceperam ad te mitto, rogoque ut cum hæredibus IANI communices, qui offendi temere non debent, ſi admoneantur officii, quod ultro non faciunt⁀. Ego autem iniquum non poſtulo, qui labores meos, quos Reip. literariæ nomine ſcripſi, in lucem edi & non diutius ſupprimi cupio. Vale iterum & à me pete viciſſim fieri tibi, quod æquum erit⁀. Idem qui ſupra.

SUFFRIDUS PETRUS L.

EPISTOLA XC.

Clarissimo Consultissimoque Viro

D. SUFFRIDO PETRO LEOVARDIENSI,

I. U. L. Regenti Bursæ Coronarum, Domino & Amico suo carissimo,

S. *Coloniam.*

EPistolam tuam de IANI GULJELMII, P. M. summi amici mei negotio, Coloniæ x. Decembr. elapsi nunc anni, scriptam, accepi recte, & lectam sat intellexi, Cl. SUFFRIDE; ac ut absque verborum lenociniis ac fuco, quod res est, pace tamen tua, dicam, visum mihi fuit, & videtur etiamnum nequicquam sineque causa ulla satis gravi adversari te hæredibus IANI, deque illis conqueri, qui tantum abest, ut qua in re tibi refragentur, ut ultro, nec minus lubentes quam tu id ipse cupias, adstipulaturi tibi sint, modo non iniquum postulaturo. Quid ni igitur, inquis, id faciunt? Mora, quantum cum ex iis, quæ scribis, tum ex illis, quæ facis, video, permolesta tibi est, idque merito, nec sine ratione urgentissima. Sed audi; etiam illis, etiam mihi; qui solus thesauri istius, quo de conflictamini, Vobis & Germaniæ nostræ vindicandi jus tutatus sum, cessurum cæteroquin Gallis, qui eum sibi deberi non unis ad Cl. CUJACIUM, magnum tum amicum meum, literis intrepide adserebant, eodem quo tu fundamento

suf-

ſuffulti, præbitarum nempe iſtic IANO Caſtigationum librorumque veterum. Negabant id mecum docti aliquot & nobiles viri Germani, qui IANUM tam in Germania quam Galliis operam Ciceroni dantem videramus; ego, inſuper habitis diſceptationibus, quibus iſtic loci facile victos nos iri videbam, quæ iſtic erant, quæque etiamnum ſuperſunt concluſa & adjuncta meorum librorum ſupellectili, Gallis inſciis, avexi & reſtitui Germaniæ, ac ſimul defuncti hæredibus, qui neque ſupprimere iſta quantum in illis eſt, neque denegare tibi, quod tuum apparebit, volunt, hac parte alioquin in IANUM; illa in te futuri inofficioſi ac injurii: ſed vel tuum tibi reſtituent, vel totum certis tolerabilibuſque conditionibus recenſendum ita, ut IANO auctori operis, nomen honoſque ſuus integer remaneat, tradent, ubi primum præciſa tandem mora & advecta huc ſarcinula fuerit, quod brevi dicunt ac pollicentur fore, egoque ſcio ac tibi fide mea ſpondeo, hortorque, ſubſiſtas interim, neque exiſtimes rem tibi cum illis eſſe, qui, ut jure agant, cogi malint, quam amice moneri; id quod à me, quantum potero, non tantum veſtri, ſed & cum ipſius mea tum opt. IANI cauſſa fiet, curabiturque, ne tibi hoc in negotio, rei tuæ vel hilum damni detur. Vale. Lubecæ XXVI. Ianv. An. CIↃ IↃ XCIII.

Tuus ex animo

AUGUSTINUS KOCKERT, D.

EPISTOLA XCI.

Humaniſſimo, Doctiſſimo, Prudentiſſimoque Viro ac Dom.

HENRICO GERDOU

Lubecenſi; Domino & Amico ſuo unice colendo,

S. P. *Lubecam.*

LIteras tuas, Vir Prudentiſſime, una cum meis *Collectaneis*, ita ut à vobis ea colligata & obſignata erant equidem ſeptembris hujus die XIII. Stylo novo accepi in præſentia D. Licentiati IOANNIS BENNONII à cive veſtro D. IOANNE ALDEKIRCHEN. Quibus inſpectis equidem non parum ſum turbatus, primum enim ex *Thuringicis*, ut & ex *Belgicis* non parum deſidero. Deinde IANI hîc nihil comperio. Quod ſi ergo IANUS meis de ſuo nihil addidit, miror unde tanta fuerit operæ IANI jactatio. Quod ſi autem ea quæ IANO vindicatis iſtic retinetis, ut ex literis tuis mihi colligere videor, magis miror vos requirere conditionem voluntatis meæ in edendo opere toto, quam mihi hactenus liberam non relinquitis: Quam enim conditionem ego editionis liberam vel accipere vel dare poſſum, cum ignorem, quantum IANO debeatur. Nam ſi ille non propria conſcripſit, ſed mea deſcripſit, quam editionem ego moliar, qui excuſſis granis ſpicas vacuas recipio? Cupio igitur ut primo quoquo nuncio, mihi clarius explicetis, quid & quantum ſit, id quod IANI titulo illic vo-

vobis retinetis. Bene vale, Vir Prudentissime, & quam primum poteris respondeo. Coloniæ XXVIII. Die Septembr. Anno CIↃ IↃ XCIV.

Tuus ex animo

SUFF. P. L.

U. I. C. Canonicus ad SS. Apostolos, Hist. Fris.

EPISTOLA XCII.

Humanissimo, Prudentissimo Viro

HENRICO GERDOU,

Domino & Amico, S. P.

Lubecam.

CUm te literas meas XXVIII. die Sept. scriptas accepisse scribas, Vir Prudentissime mentem meam intelligere satis dilucide potuisti, neque ego aliter nunc sentio, quam tunc scripsi. Nam cum ignorem, quantum corpus illud IANI sit, quod penes vos esse scribis, quæso qua conditione ego illud absolvendum accipiam. Quod si autem IANUS illud corpus suum ex *Lucubrationibus* meis descriptis conflavit, quam cautionem ego interponam ut laborum meorum fructus ad vos redundent; propius igitur mihi declarari cupio, quantum sit corpus hoc & unde congestum. Bene vale, & me, ut facis, ama. Coloniæ XVI. Decembr. Anno CIↃ IↃ XCIV. Stylo novo.

Tuus ex animo

SUFFRIDUS PETRUS Leovardiensis.

EPISTOLA XCIII.

Amplissimo. Consultissimo, Clarissimoque Viro ac Dom.

ARNOLDO BONNO,

Reip. Lubecensis Consuli, Domino ac Patrono suo unice colendo.

S. P. *Lubecam.*

CUm IANUS hic ALBIUS, civis vester istuc iturus literarum mearum sarcinam non detrectasset, Prudentissime Domine Consul, equidem committere non volui, quin hisce tuam Amplitudinem inviserem, idque propter recordationem negotiorum, quæ mihi jam olim nomine IANI GULJELMII & Bursæ Coronarum tecum fuerunt. De utrisque hisce prolixe cum hoc IANO præsente præsens contuli, eo fine, ut is, & tuæ Amplitudini, & aliis, quorum intererit, ea referre de his coram vivis verbis possit, quæ literis non facile committuntur. Hunc igitur ego tuæ Amplitudini, de optima nota commendatum esse cupio, ut si qua se obtulerit occasio, qua illi prodesse citra incommodum tuum possis, id in gratiam Reipub. vestræ libenter facere digneris, cui ille se toto conatu præparat, neque cessat, indefatigabili studio huc, velut ad scopum ultimum, vigilias suas omnes dirigere: adeo quidem, ut nemini hic dubium sit, quin ille egregium lumen patriæ vestræ futurus sit, modo DEUS OPT. MAX. illi vitam incolumem (quod piis & ardentibus votis est optandum) conservet. Ego

go posſem eum ſplendidiori elogio apud tuam Amplitudinem proſequi, niſi ipſe præſens candidiſſimis moribus & eruditiſſimis colloquiis ſuis pleniorem fidem facere poſſet. De *Caſtigationibus* meis *Ciceronianis* ad HENRICUM GERDOU ſententiam meam perſcripſi; & obtuli illi conditiones, ut puto, æquiſſimas, decidendæ terminandæque controverſiæ noſtræ & eum hortatus ſum, ut tecum eas communicet, quod ut in gratiam IANI facere ne graveris, etiam atque etiam rogo. Bene Vale. Conſul Ampliſſime, & ſi qua in re meo officio Reipub. veſtræ uſui eſſe poterit, impera. Coloniæ XVIII. April. Anno CIↃ IↃ XCV. ſtylo novo.

Conſultiſſimæ Amplitud. tuæ famulus deditiſſimus

SUFFRIDUS PETRUS

Leovardienſis, U.I.C. Hiſtoricus Friſiæ.

EPISTOLA XCIV.

Doctiſſimo, Prudentiſſimo Viro

HENRICO GERDOVIO LUBECENSI,

Amico & Domino Colendo,

S. P. *Lubecam.*

SCripſi jam ſæpius meam ſententiam, Vir Prudentiſſime, de edendis *Caſtigationibus Ciceronianis*, & interim tempus elabitur, neque promoveo quicquam, ac mirari ſatis non

non possum vobis non magis esse cordi decus & honorem & gloriam defuncti IANI, civis & cognati vestri quam ut tot annis deferri publicationem istius operis patiamini. Quod si non toto orbe, si non tota Europa, certe tota Germania memoriam ejus cum laude civitatis vestræ in perpetuum studiosis commendare posset. Decessit hinc à me in Galliam IANUS XXI. Martii Anno CIↃ IↃ LXXXIII. & secum abstulit jam tum paratas, uti vos illic postea vidistis sub manu mea *Castigationes* meas, eo pacto ut ad meum & suum & hujus Universitatis & utriusque nostrum patriæ honorem & commune emolumentum eas ex Gallicis Codicibus, si posset, locupletaret, & apud *Thomam Guarinum* Basileæ, nisi aliter inter nos conveniret, excudi curaret⌣. Ex eo tempore duodecim annis elapsis cum pacto satisfactum non sit, IANO defuncto hæredes ejus, perinde ac si à IANO *Castigationum* origo sit mihi difficultatem movent, quasi ego iniquum petam, qui mihi priores partes in hisce *Castigationibus* vindicem, quarum nomine ego in diversis provinciis diversas bibliothecas maximis sumptibus & periculis non exiguis lustravi antequam IANUS per ætatem discendis literis doneus esset, quod cum ego jam antea diversis literis meis vobis demonstraverim ad eas vos remittam. Ad conditionem autem illam, quam nunc in edendis hisce *Castigationibus* mihi proponitis, breviter ac definite hic respondebo: nimis enim iniquas leges (quod pace vestra dicam) mihi præscribitis,

tis, qui cautionem à me exigitis, quasi fidei meæ diffidentes, cum ego meos labores nudo pacto sine cautione in IANUM transtulerim, quod eo quoque mihi videtnr indignius, quod ego ea quæ vos illic retinuistis nunquam viderim, plane enim nescio quantum in his sit, qued IANO debeatur, nam si IANUS (quod ipse in scriptis suis jam publicatis non diffitetur) inventis meis usus est, mea nimirum sunt, quæ vos IANO vindicatis, id quod IANUS ipse nunquam facturus erat, qui ubique in iis quæ excusa sunt mihi reverenter assurgit, & ingenue fatetur per quem profecit: citare autem debet IANUS in suis istis *Castigationibus*, quas illic habetis, si quidem his fidem integritatis vendicare velit M. S. Codices Thuringicos ac Belgicos. Sed IANUS ipse nec in Thuringia, nec in Belgio unquam fuit, neque M. S. Codices ullos unquam istinc habuit, itaque quatenus hoc facit, agnoscit se sua stabilire inventis meis istorum codicum subsidio præparatis, quæ non modo inter eruditos privatim, sed etiam scriptis meis editis publice nota erant, & à Typographis celeberrimis ambita antequam ego IANUM natum esse scirem. Si quid ulterius IANUS in Gallia ex Pytho eanis, Memmianis, & aliis M. S. codicibus, quibus antea DIONISIUS LAMBINUS usus fuerit, corradere potuit, id, ut ad me ipse IANUS aliquando scripsit, quasi spicilegium nostris adjectum est. Tantum igitur ego meorum laborum ista in IANUM translatione consecutus sum, ut non modo

do fructu eorum in duodecimum annum frustrer, sed etiam in suspicionem veniam affectati laboris alieni; non debetis autem cogitare mihi minus quam IANO aut vobis caram fuisse commodi mei curam, aut me laborum & honorum meorum ita fuisse prodigum, ut non curaverim in quem finem operam & impensam feciſſem. Ego ex meis *Lucubrationibus in Ciceronem*, quas IANO tradidi, partim à typographis, partim à Mecænatibus, non difficulter dalerorum duo millia confeciſſem. Movit etiam me patriæ & amicorum meorum charitas, ut nominis mei memoriam illis ex industria mea partam conservarem. Movit gratitudo Mecænatum, ut illis meritum honorem deferrem, qui mihi ad labores istos rite perficiendos M. S. Codices singulari benevolentia sua contuliſſent. His igitur cum hactenus per vos frustratus sim, non committam, ut frustrer ulterius. Itaque ut concludamus aliquid, quo niti utrimque possimus, paucis, quæ mea sententia sit, hîc finaliter proponam.

Primum igitur, quia hactenus, quæ mihi istinc transmisistis, mea simpliciter esse, & in his nihil esse IANI ipsi scitis, non cupio, ut, quæ illic retinuistis; huc mittatis, quia extra eam suspicionem esse volo, qua quis putet me affectare laudem ex labore alieno. Itaque vobis offero de integro mea, quæ hîc habeo nuper à vobis remissa, & concedo, ut vos illic eruditum aliquem operi absolvendo præficiatis, quem velitis; *Thomæ* autem

GRA-

Guarino Typographo Basileensi, cui ex pacto debetur, aut ejus hæredibus opus excudendum transmittatis, reservata tamen vobis libera honorarii petione pro arbitrio vestro, si libros solveritis, quos ille mihi, ego IANO ad usum harum *Castigationum* transmisi, quorum pretium ad XXX. daleros ascendit, qui soluti nondum sunt; liberam etiam vobis relinquam dedicationem, ita ut vel unum vel plures Mæcenates eligatis, prout vobis videbitur, & vel simul, vel per partes opus ipsum publicetis. Ipse etiam, quo promoveam conatus vestros, honorificam præfationem operi præmittam, qua vitam & scripta edita defuncti authoris describam, Codicum Thuringicorum & Belgicorum, quo major fides & gratia scriptis concilietur, authores & suppeditores indicabo, & alia faciam, quæ ad honorem IANI pertinere videbo, quem semper quæsivi. Quæ quidem omnia ac singula concedam & faciam ea conditione, ut mihi, antequam mea hinc remittam, aut cætera faciam, honorarium ducentorum dalerorum in libros comparandos mox conferatis, & duo aut tria exemplaria, ubi opus erit excusum mihi huc transmittatis, quo & IANI memoriam & laborum meorum saltem qualiscunque compensatio penes me sit, nec videar plane laborasse ingratis, cum nemo negare possit, inventa mea esse basin & fudamentum laboris IANI. Quæ quidem conditio si non placet eam ad extremum feram, ut vos utamini pro arbitrio vestris, & ego

meis: neque diutius alter alterum impediat; mihi enim propter ætatem ac valetudinem, & alias occupationes festinandum est, cum nimis jam diu cessatum sit. Quare ut sine ulteriori dilatione mihi sententiam vestram diserte perscribatis etiam atque etiam rogo. Ornatissimus hic IANUS ALBIUS, civis vester, plura tibi percontanti de me referre poterit, si voles. Scripsi etiam ad Amplissimum Consulem Dn. ARNOLDUM BONNUM & Cl. DN. D. AUGUSTINUM KOCKERTUM & Prudentiss. Virum Dn. GERARDUM HALSEREN, de hisce conditionibus, & cupio proinde, ut cum hisce consilia tua conferre ne graveris. Bene Vale & finem quæso rebus hisce responso tuo impone. Coloniæ XVIII. April. An. CIↃ IↃ XCV. Stylo novo.

Tui tuorumque studiosissimus,

SUFFRIDUS PETRUS Leovardiensis,

U. I. C. Historicus Frisiæ.

EPISTOLA XCV.

Reverendo, Clarissimo ac Doctissimo

D. SUFFRIDO PETRI, U. I. C.

ad sacrosanctos Apostolos Coloniæ Canonico, Historico Frisiæ, Domino & Amico suo semper honorando, S.

Coloniam.

VEstræ mihi literæ, Vir Reverende, Clarissime ac Doctissime, Amice colende per Io-

IOANNEM ALBIUM, ex vestris ad nos oris nuper huc commeantem, sunt redditæ. Quod me vero R. U. iterum de *Castigationibus Ciceronianis* IANI GULJELMI hac, qua factum, conditione alloquitur, præter votum meum accidit & opinionem. Quid enim prædictarum mearum viarum non pervium? Quid ostensarum hactenus conditionum non acceptandum? Quid denique vel D. KOCKERDO & nominato ALBIO testibus (quos in consilium mihi & auxilium adhibui) in quo non æquitas eluceat unquam expositi medii? Quare in me nullam, quo minus illæ divulgentur lucubrationes, culpam residere in confesso est. Et tantum abest, ut publicam earum editionem impedirem, ut, partim ob hujus facultatis studiosorum emolumentum atque commodum, partim, quo piè defuncti affinis mei labor industrius honesti nominis fama atque gloria recompensetur, denuo hanc conditionem statuam; Si R. V. denuo recognitis hisce IANI *Lucubrationibus* adjunctis volumini adjungendis (quæ in chartis illi affixa sunt) debita addita præfatione & epistola dedicatoria, certo denique cui dedicentur patrono electo, intentè operis hujus editionem maturaverit, & quidquid ex illa ad R. V. proventus redundaverit, mihi dimidiatum cum exemplarium edendorum parte dimidia absque ulla fraude exposuerit, in hoc stadio sudabitur, ut quamprimum ad R. U. integre transferantur & traducantur, hac tamen limitatione addita, ut se, cui id Coloniæ deman-

davero', certificatione aliqua R. V. obliget atque astringat. Quæ cum nihil non æquitatis contineant, futurum spero, ut R. V. responsum benevolum ad me quamprimum pertingat. Quam DEI ter OPT. MAX. tutelæ commendatam velim. Datæ Lubecæ die post SS. Trinitatis profest. An. XCV.

V. R. *Deditissimus*

HENRICUS GERDOVIUS.

EPISTOLA XCVI.

Cl. Doctissimoque Viro

Dn. SUFFRIDO PETRO

U. I. Consulto Historico Frisiæ, Domino & Amico suo S.

Coloniam.

LIteras non eas solum, quæ mihi, sed etiam quæ HENRICO GERDOVIO inscriptæ fuerunt, vidi & legi, Cl. SUFFRIDE, tuamque scribentis mentem recte, opinor, percepi. Mirari autem satis non possum, adservato quam potuit diligentissime & Gallorum, quorundam etiam Italorum, ingratiis in hæc loca evecto restituoque tandem justis ac legitimis suis Dominis isthoc *Opere*, illisque *Castigationibus*, quantumvis ultro citroque, & sane non minus hic, quam abstemetipso, summe desideretur illius Editio, ulteriorem tamen huic rei moram, & quidem (id quod bona omnium pace scriptum velim) haud adeo magnis nunc, uti videtur,

tur, de cauſſis, utrimque injici. Ut ne enim dicatur, quanta cura & fides in colligendis & componendis hiſce, cum ab aliis, tum à me, ut pote IANI noſtri ab primis annis intimo, Biturigis fuerit adhibita, cujus etiamnum aliquot nobiliſſimi, & magni nunc nominis viri teſtes exiſtere poſſent: Ut taceam quoque, quam non poſſit vel mihi, vel hæredibus GULJELMII, vel ulli mortalium alii imputari, quin potius ſoli temporis ac locorum iniquitati adſcribendum veniat, quod intra prius ab deceſſu optimi juvenis biennium, ſub cujus finem, ni me fallit memoria, totum id diligenter incluſum Baſileæ demum per Virum Cl. HIPPOLYTUM à COLLIBUS alioſque amicos meos ſervari cœpit, neque tu *Caſtigationibus* tuis, neque hi Lubecenſes *Opere* ac *Lucubrationibus* ſui civis potiti fueritis. Illud certe negari non poteſt, quicquid deinceps temporis uſque ad eum diem, quo ſarcina Lubecam fuit delata, effluxit, per nimis ſollicitas & ſcrupuloſe factas deliberationes utriuſque partium elapſum eſſe: plane ut necdum videam, qui poſſint adeo abſolute ac præciſe, uti in tua ad GERDOVIUM Epiſtola factum, noſtrates incuſari commiſſæ per integros duodecim annos moræ, & fruſtrati tibi interim fructus tuorum laborum atque *Caſtigationum*, quas etiam tantum abeſt, toto eo tempore tibi fuiſſe denegatas, ut nec unquam ab hiſce, GERDOVIUM ejuſque cohæredes & amicos dico, adfectatæ, nedum interdi-

ctum fuerit, quin eas totas solique tibi vindicares. Verum quia vere ipsis cordi fuit, & merito quidem, defuncti IANI decus, atque emolumentum publicum. Idcirco etiam olim, necdum visis his tuis *Castigationibus*, antequam ea, quæ simul inclusa erant Basileâ, Argentinâ, & Francofurto, certum in locum ulteriorem exportarentur, diu multumque per literas complures, cum ad alios doctissimos Viros, tum tecum, ut nosti, actum de editione *Operis*, quod merito soli IANO vendicandum censentes GULJELMII nostri hæredes, non immerito desiderarunt, ut ne alius quisquis etiam id recensuerit, partes in eo priores potioresve ferat, quam ipsemet defunctus. Iam si eadem tibi quoque mens, si non minus, quam hi, consultum cupis publicæ, cui profecto hæc debentur utilitati, nec non existimationi etiam GULJELMII, quem tuum qnidem tibi honorem detulisse, cum viveret, delaturumque etiam, si supervixisset, ulterius fuisse, nemo negat, ostendit autem ejus, quod hic habemus, *Operis*, manu P. M. IANI consignata Inscriptio, editionem hanc ipsum defunctum sibi fuisse vindicaturum, testorque ego, viciſſim etiam IANUM sibi de te optima quæque fuisse pollicitum: denique si de consequendo simul eodem fine utrinque serio adlaboratis, quid quæso de conditionibus tam anxie, tamque diu estis solliciti, ut verendum sit, ne, si aliter negotium gerere non institeritis, fine isto vestro tandem certo certius utrimque præcludamini.

Nam

Nam quod de exacta à te cautione quereris, haud magni id, opinor, momenti est, modo perpendas, non eam, quia tibi diffidatur, exigi sed ut ratio habeatur eorum, quos; præter GERDOVIUM, res isthæc concernit, fratris nempe defuncti, alibi degentis, & cæterorum cohæredum, quibus si eadem, quæ olim IANO, familiaritas tecum intercederet, credibile est, non magis quidquam etiam hujus vel fuisse vel iri desideratum, atque per te tunc factum cum *Castigationes* tuas in amicum, nulla ab eo exacta cautione, transferre, ut ipse ais, voluisti: quod autem id eo tibi videtur indignius, qui ista, quæ hic sunt, nunquam videris, in illo GERDOVIUS quidem & consortes, uti conjicio, optarint forsitan, quantum ipse queas, visum tibi hic & pervisum jam esse hoc IANI *opus*. Sperarem vero etiam ipse tum demum fore, ut non tantum de cautione nihil fueris replicaturus, sed & facile de ipso *Opere*, quidquid etiam adjumenti defuncto vel *Castigationes* tuæ, vel Codices illi, quorum meministi, cæteroquin tulerint, aliter, quam adhuc facis, judicaturus, liquidoque agniturus, etiam alios, quam Pythœanum ac Memmianum, Codices & quidem quos LAMBINUS nunquam, opinor, viderat, GUILJELMIUM (cui Biturigibus quoque aliquot Exemplarium manuscriptorum copiam fecit magnus meus amicus Cl. Ictus CUJACIUS) operi isto perficiendo adhibuisse; quo factum, quicquid forte olim cum *Thoma Guarino*, quem ego jam octo ab hoc annis Basi-

leæ oculorum dolore & aliis morbis, senioque fere ipso confectum, nec ullam pene amplius typographicæ rei operam dantem novi, pactum conventum fuit de excudendo aliquando Cicerone, ut non solum ipse IANUS maturare operis hujus editionem & per Parisienses, qui etiam tum valde ac catervatim id negotii ambire cœperant, evulgare, eo ipso anno, quo spiritum suum DEO reddidit, in animo habuerit (quod ipsemet mihi sæpius dixit) adeoque proxime subsequenti hyeme ea, quæ necdum in ordinem digesta, sed cartulis tantum singulis injecta hic habentur, Typographo, ita ut in plerisque jam voluminibus factum, liquido & compte fuerit præscripturus nisi hæc omnia simulque bonum nostrum GULJELMIUM, nihil tum ejusmodi veritum, immatura illa fati vis antevertisset; sed etiam, ut, eo jam defuncto postumum hoc opus, impressum nempe id M. Tullii ab IANO per omnia & in omnibus emendatum exemplar, itemque ista manibus GULJELMII propriis scripta, rationes Emendationum &c. continentia, cartulasque cæteras, quæ hic habentur, satis magno ære redimere Vir quidam Nobilissimus, & in augustissimo Germaniæ loco nunc vivens admodum instanter desiderarit, facta etiam ampla spe maturandæ, & fideliter, ac quidem GULJELMII solius nomine, apud quem ipsus hæc omnia viderat, peragendæ editionis: quod tamen quia non solum non suasi ipse, sed semper hæredibus istis hic au-

author atque hortator exſtiti tibi potiſſimum committendæ hujus rei, quippe cui ex verisimili mihique eatenus nota defuncti mente conſtet, tutius eam rectiuſque, quam ulli alii, concredi poſſe & debere: idcirco prolixius hæc omnia candido atque ſincero animo, nec plane aliâs meâ, cui neque hic, neque per quam plurimas tot nunc annis in hanc rem paſſim exaratas literas hilum quidem vel ſeritur vel metitur, ſed boni cum primis publici cauſſa, cui ut omnes boni, qua poſſumus, commodemus, æquum bonum eſt, partim verò etiam ſtudio atque amore defuncti GULJELMII, nec non in ejus hæredum ac tui gratiam, ſcribere inter occupationes volui: GULJELMII, inquam, quem ſciunt multi præſtantes in Germania noſtra, viri non tantum donec valeret, neceſſitudine noſtra, quoad hæc ipſa, de quibus nunc agimus, plurimum tam apud Cl. CUJACIUM, quam apud pleroſque doctiſſimos Gallorum, quos ipſe toto jam tum biennio prius noſſe cœperam, luculenter uſum, ſed etiam in ipſo morbo, atque morte omnia mihi potiſſimum concredidiſſe; in quo etiam, ſat ſcio, ſpe ſideque ſua falſus non fuit; detur, quæſo, utrimque à vobis opera, ne id quoad VOS, feciſſe videatur in poſtumo, quod hic hæret *opere*. Quod ſi tibi, mi Cl. & Opt. SUFFRIDE, eadem fide hæredes GULJELMII; illaque ſpe, ut cum tuis *Caſtigationibus* junctum, ſincera eruditaque tua fide, quovis meliori expeditiorique modo, facta lu-

cri, quicquid tandem id fuerit, participatione evulgetur, offerant, non solum per me causſæ nihildum viderim, cur acceptanda tibi isthæc non sient, sed vero speraverim, sat bene omnia cessura, laboremque, qui porro impendendus erit, abunde remuneraturum, certe Reip. Literariæ ista ratione optime prospectum, & tam tuo nomini, quam defuncti manibus, eatenus haud male consultum iri. Vale. Lub. Id. Maii. Anno XCV.

AUGUSTINUS KOCKERT.

EPISTOLA XCVII.

Viro Clarissimo

AUGUSTINO KOCKERTO

U. I. Consulto,

S. P. *Lubecam.*

QUam bene consultum rei literariæ & piis IANI GULJELMII manibus volueris, ut pluribus antea, ita etiam nunc supremis literis tuis accurate declarasti, Cl. D. Doctor; nec dubito te idem de me judicare, quod ego de te, qui rebus ipsis declaraverim, quanti IANUM fecerim, qui labores meos, quos rei literariæ nomine susceperam, illi præ cæteris, (quos tunc satis multos habere potui) edendos contulerim. Sed si IANUS hæredes reliquisset, quales huic negotio optandi erant, facile animadverto editionem *Castigationum* in Ciceronem non incommode finem debitum accep-

cepturam. Sed quia videntur ii esse, quibus præter lucrum nihil dulce est, non est cur mē ac te multis ultro citroque scribendis fatigem. Itaque sine odiosa repetione eorum, quæ hactenus dicta scriptaque sunt, equidem me refero ad eas literas meas, quas ad HENRICUM GERDOU hoc anno scripsi XVIII. Aprilis: ego enim *Castigationes* istas IANO P M. non alia de caussa edendas concessi, quam quod mihi tum per negotia non vacaret his occupari, nunc autem & plura negotia me impediunt; & ætas magis retardat, professio vetat, ut his incumbam: habeo enim jam duodeseptuaginta, & functionibus Ecclesiasticis distringor, & publico stipendio Ordinum Frisiæ Historias Patriæ conscribo; quas ut ego istarum *Castigationum* nomine relinquam, quis, quæso, mihi author erit? Et quoniam intra annum perfici non posse puto, id quod in Cicerone restat nonne ego insigniter stultus fuero, si illis caveam de lucro, cum mihi forte labor nunquam finiendus sit, qui imponeretur. Nam cum IANUS me multo junior operi sit immortuus, quid mihi seniori accidere non possit? Quod tamen si fiat, nonne ego hæredes meos hæredibus IANI obligatos reliquero? Quid hic porro accidere possit equidem cogitare malo, quam dicere. Refero me ad supra dictas literas meas, in quibus à me oblatas conditiones si accipere velint, bene est, sin minus, quærant alium quem velint, qui IANI nomine perficiat & edat, quod istic habent, ego pro meo arbitrio de meis

is de integro ſtatuam quod videbitur. Bene vale Cl. D. Doctor, & me, ut facis, ama, & Ampliſſimo D. Conſuli ARNOLDO BONNO ſalutem meis verbis, quam officioſiſſime quæſo dicas. Coloniæ prid. Cal. Auguſti, Anno CIↃ IↃ XCV.

Tuus ex animo

SUFFRDUS PETRUS L.

U. I. C. Hiſtoricus Friſiæ,

Canonicus ad SS. Apoſtolos.

EPISTOLA XCVIII.

Præſtantiſſimo Viro

HENRICO GERDOU.

Lubecam.

AD literas tuas, Vir Præſtantiſſime, quas mihi Ornatiſſimus juvenis D. IANUS ALBIUS huc reverſus XXIV. Iulii Stylo novo attulit finaliter ac paucis reſpondeo, quod velim boni conſulas, me ante duodecim annos adfini tuo IANO Lubecenſi *Caſtigationes* meas ita uti tunc erant tradidiſſe, ut ipſe eas abſolveret propterea, quod mihi per occupationes, ut ipſe id facerem non vacaret. Itaque cum interim mihi aggravata ſit ætas, auctæ etiam occupationes, & mutata profeſſio, multo minus etiam nunc vacat, eaſdem *Caſtigationes* acceſſione operæ IANI auctas abſolvere & edere. Quocirca ſi me inſuper cautione aſtringam

gam ad efficiendum id quod vos cupitis, & operi immoriar, ita ut IANUS est immortuus, quod fieri posse nemo negat, quid aliud egero, quam ut hæredes meos obligem vobis ad præstandos fructus ex laboribus meis, ex quibus ad ipsos neque gratia neque honor ullus redundare queat? Quocirca ne tu cum cohæredibus tuis habeas, quod de me conqueraris, equidem te remitto ad literas meas, quas idem IANUS tibi superioris Aprilis XVIII. hic scriptas attulit, ita ut si conditiones illæ tibi placent, quas ibi proposui, possis à me faciendum exspectare, quod promisi, sin minus, possis alium quærere, qui defectum suppleat in *Collectaneis*, quæ reliquit IANUS, ne conqueraris me tibi fuisse impedimento, quo minus lucrum consequaris, quod spectas. Ego de his, quæ sine controversia mea sunt agam pro arbitrio meo, quod suadebit occasio. Vale, & cætera pete ex literis meis ad Cl. Virum D. AUGUSTINUM KOCKERTUM datis. Coloniæ prid. Calend. Aug. Anno CIↃ IↃ XCV.

SUFFRIDUS PETRUS,

Leovardiensis, U. I. C. Historicus Frisiæ,

Canonicus ad SS. Apostolos.

EPIS-

EPISTOLA XCIX.

Reverendo Clarissimoque Viro

D. SUFFRIDO PETRO LEOVARDIENSI,

U. I. C. Bursæ Coronarum Regenti, Domino & Amico suo honorando.

S. P. *Coloniam.*

AD literas tuas, Vir Clarissime, serius rescribo, quod aliæ, quæ proximo tabellario fuerant exarandæ, & quia momentum habebant, procrastinationem non admitterent, tempus, quod tabellarii festinatio, in augustum redegerat, plane omne eripuerant. Simul atque igitur otium potui impetrare, officium diutius non differendum, quin potius moram, prompto aliquo responso, putavi purgandam. Literis autem tuis, nihil mihi potuit jucundius accidere: præterquam enim, quod peculiari sint humanitate respersæ, incomparabilem animi candorem, & studium erga me singulare, tanquam in speculo representant. Quo etiam factum, ut ad eam, qua propter jacta olim tuis auspiciis literarum fundamenta, & præclaras multorum sermonibus celebratas virtutes, jam ante te prosequebar venerationem, magnus, & non mediocriter auctus fœnore, cumulus accesserit. Et ratione quidem optima: quippe cum vitæ tuæ cursus (quem à primis quodammodo incunabulis repetitum, ad ætatem, quæ pau-

paucis æque solet provecta contingere, in epistola graphice exponis.) summa cum innocentia, & cupiditate Rempub. adjuvandi admirabili, hactenus feliciter confectus, vel alienissimos, & qui ne natum quidem sciunt, ad te amandum, omnique officio genere complectendum, convertere possent ac rapere. Quamobrem non injuria *Cæsar* æquus cujusque meritorum æstimator, de hisce omnibus multorum literis edoctus, atque etiam permotus, precibus tuis aures præbens, quibus paucos solet, te præmiis judicavit cohonestandum, ut ex Secretarii BARVITII ad me epistola, cujus partem ad MOESENBRUKIUM nostrum tibi communicandam nuper transmisi, haud dubie, jam intellexeris. Est itaque cur amici, qui operam hac in re suam accommodarunt, de optato successu, tibi gratulentur, sibique identidem gaudeant. Quod autem ad texendam Patriæ Historiam animum adjeceris, profecto, tam honestum singulari conjunctum cum pietate institutum, non possum non magnopere probare. Quam multa enim, DEUS bone, ab hominibus nostris, domi prudenter, militiæ autem fortiter gesta, crassis jacent tenebris circumfusa, quæ si præconem inveniissent, toto terrarum orbe decantatissima, tanquam in altissima luce versarentur? Non minori itaque sapientia, quam providentia Athenienses, quos in hostem educturos, aut egregium aliquod facinus aggressuros, Musis legimus ante solitos sacrificare; quo nimirum, quæ in aliqua ponenda laude, gerenren-

rentur, doctorum industria literarum monumentis fæliciter consignari, atque ita ab oblivionis injuria possent vindicari. Ut justis mehercule ductis rationibus Alexander, Homerum, virtutum buccinatorem, Achilli sit gratulatus. Utinam DEUS diuturniorem lucis hujus usuram, HADRIANO IUNIO dedisset, illeque exorsam tanto omnium applausu telam, potuisset pertexere; næ ille Bataviam suam, florentissimis Græcorum Latinorumque apud sæculum prius provinciis, æmulam constituisset. Simile ornamentum, paremque celebritatem, & Phrisiam tuam à te jubeo exspectare: cujus equidem res gestæ, cum Batavicis multum habent commune, ex iisque non mediocrem splendorem lucemque queant mutuari. Principibus ab ipsis fere, quibus utraque ditio in provinciæ formam redacta, primordiis iisdem paruit; bellis & quidem difficillimis, varia fortuna, terra marique sæpenumero est conflictata; magno denique linguæ, morum institutorumque commercio, cohæret atque conjungitur. Quod autem meam hîc operam humaniter implores, ego, mi Doctissime SUFFRIDE, in indagandis eruendisque gentis nostræ antiquitatibus, aliquam, mihi saltem numquam pœnitendam, me posuisse, nolim inficiari. Verum pleraque hoc in genere à me observata & collecta, in Patria, à qua annis jam duodecim absum, tineas pascunt: nonnulla, partim à me communicata, partim proprio marte, ab aliis etiam animadversa, typis excusa

jam

jam circumferuntur. Ut meum tamen ſtudium & propenſam ad tuos promovendas conatus voluntatem intelligas, quid ad eorum quæ de gentilitiis Comitum noſtrorum inſignibus, eorumdemque origine, annalibus ſunt prodita, fidem aſtruendam, ex Virgilio nuper annotarim, ſchedula hiſce adjungenda impertiar; ſi placebunt, pro ea, quam vetus proverbium inter amicos vult eſſe communione, familiariter utere. Si præterea aliud, in quo ſuppetias à me poſſe ſperari, habeas perſuaſum, occurret, propius ſuggere: ut in re ipſa nihil præſtem, egregiam tamen voluntatem te confido probaturum. Bene Vale, Vir Clariſſime, meque tuorum numero habere perge. Spiræ. XIII. Iulii. CIↃ IↃ LXXXIX.

Tuus toto pectore, tuique ſtudioſiſſimus

RENATUS vander DUYN. Eques.

Cum apud Virg. lib. x. Æneid. in hoc aliquando carmen incidiſſem,

Æneia puppis
Prima tenet, Phrygios roſtio ſubjecta leones, &c.

Leones illos *Phrygios* obſervatione dignos exiſtimavi: quod nimirum Æneam Phryggum Trojanorumque Principem ac Ducem; leones, tanquam Phrygum, gentiſque ſuæ inſignia, in roſtio navis, ſingulatim ſparſimque depictos (ut & Servius interprætatur) geſſiſſe, Poëta commemoret. Quo annalium noſtrorum,

qui Hollandiæ Comitum originem, ad Trojanos referunt, authoritas, non parum comprobetur. Nam Leo, quem, annalium testimonio, à Trojanis profectum, armorum loco Comites ab omni antiquitate usurparunt, annalibus hac in parte videtur astipulari. Tanquam videlicet eundem Comites Leonem à Trojanis, aliisque deinde suis majoribus, per manus quodammodo traditum, ad suam quoque posteritatem, successione transmiserint. Nam eadem stemmata, seu arma ostentantes, eadem gente, agnatione familiaque haberi oriundos, atque propagatos, præterquam quod moribus sit receptum, de jure etiam responderetur. Quæ quidem à nemine hactenus putem animadversa, cum tamen in re præsertim, tanta involuta vetustate, non levi veri similitudinis gratia, commendentur.

EPISTOLA C.

Reverendo Clarissimoque Viro

D. SUFFRIDO PETRO LEOVARDIENSI,

U. I. C. Bursæ Coronarum Regenti, Domino & Amico suo honorando.

S. P. *Coloniam*

Literas tuas v. hujus Coloniæ datas, Vir Clarissime, XXI. ejusdem mensis die, accepi: quibus querimonias tuas de Aula Cæsaris, & quod spei tuæ, vel nostræ potius, eventus haud

haud reſponderit, non mediocri cum moleſtia intellexi. Poſtridie itaque in aulam rurſus ſcripſi, & ſi quarta illa, natalibus videlicet reſtituendi, facultas, nequeat forte impetrari, ſaltem ut taxæ pro parte gratia fiat, eaque ad moderationem reducatur, ſummo ſtudio ab amicis contendi: equidem ſi mortalium ulli, tibi gratificatum iri, lubet ſperari. Quod quæ de *Leone Trojano* ex Virgilio ſuggeſſeram, grata tibi acciderint, gaudeo ſane plurimum. Annalium Gallicorum Scriptores, & ex recentioribus nominatim *Æmilius Ferretus*, *Ronſardus* quoque poëta nobilis, in ſuis Franciadum Francorum originem ad Trojanos revocant, eoſque Leonis inſignia, quæ tamen cum Liliis deinde commutarint, ab iiſdem tradunt mutuatos. Hollandiæ Chronica, Comites ſuos, Aquitaniæ Ducibus ex Franciæ Regibus oriundis, eſſe proſeminatos, & Liliis, Regibus ceſſis, ad avita Trojani Leonis, qui colore ruber, lingua & unguibus cæruleis, in aureo ſcuto aſſurgit, arma rediiſſe, memoriæ prodidere. Quibus veſtigiis, qui Brederodiorum hiſtoriam concinnarunt, etiam inſiſtunt, dum Siphridum, primum Brederodæ Dominum, Arnoldo tertio Hollandiæ Comite, ſecundo loco editum, paterni rubri Leonis arma, cærulei coloris labro, ſeu lambello, (ut loquuntur) tricorni, diſcriminaſſe recenſent; quæ & hodierna adhuc die, eum in modum variata, Brederodii gerunt, ut & *Vander Duniorum* gens, à Theodorico, Al-

phardi noni Brederodæ Domini, minore natu filio, annis abhinc plus minus CCCL. profecta (quod IUNIUS Cap. XIX. Fol. CCCXXX. perstringit) eadem usurpat. Quibus inter cætera (ne longius evagemur) recepta de Francorum à Trojanis ortu sententiam, adversus eos qui secessionem moliuntur, putarim posse propugnari. Si vero hanc de *Leone Trojano* ex Virgilio observatiunculam operi tuo intexendam, eaque occasione mei injecta mentione, amicitiam nostram posteritati testatam putabis relinquendam, næ tu immortalitatem, quam egregii tibi conatus promittunt, ut Pollucem cum fratre Castore fecisse Poëtæ fabulantur, mecum videbere velle communicare. Porrò, quæ de Trojanorum insignibus Franciæ Regibus per manum quodammodo ab iisdem traditis, commemoravimus, ad Hollandiæ Comitum, quorum stemma ad Franciæ Reges Chronica referunt, emblemata seu arma gentilicia (quæ mox delineavimus) peculiarius accommodentur. Utrum tamen, aliis Belgii Provinciis, quæ Leones quidem, sed colore à Batavo distinctos, in clypeis ostentant, eadem pariter queant applicari, satis apud me non est expeditum. Nam præterquam quod earundem provinciarum historiæ, Principum suorum primordia, à Trojanis non repetant, ideoque carmen Virgilianum Phrigios Leones, in illos non æque quadrent, sane insignium quæ antiqui Flandriæ Foresterii gestarunt, cum Leone nigro in campo fulvo ferocientis, à Theodorico Al-

Alsatio xv. Flandriæ Comite, Nobilioni Albaniæ Regi, in expeditione Syriaca detracto, permutatio, eorundemque insignium ad Flandriæ Comitum posteritatem (in cujus numerum, Hannoniæ & Namurci Comites, qui eadem præferunt, reponuntur) transmissio, historiæ beneficio, in recenti memoria versantur. Aliquis haud dubie casus, Brabantiæ, Geldriæ, aliisque inferiarum ditionum Leones, occasionem præbuerit, quam tamen, quod gentium illarum monumenta non evolverim, me latere, ingenue fateor. Ut ibi, Carolo Magno hujusmodi accepta referenti, præsertim, cum ultra meam sint crepidam, libentius fasces submittam. Sed de hisce plus satis. Tantam, adeoque multis à nostra memoria remotam seculis, maxime in familiis privatis, antiquitatem, atque in epistola polliceris, ex nostris hominibus paucos, qui idem argumentum tractarunt, putem assequutos. Agedum, mi SUFFRIDE, & ad diligentiam tuam, quam audio esse singularem, nihil reliqui facito, omnesque pro virili nervos contende, hosce ut fœtus ipse edas; ne alioqui posthumos, in tutores minus forte industrios ac fideles, contingat incidere. Qui Veneris, quam Apelles Cois inchoarat, morte vero præreptus, imperfectam reliquerat, manum auderet admovere, suisque eam numeris absolvere, nemo inventus. At nunquam desunt, qui omni profligato pudore, alienis Bibliothecis scelerate expilatis, iis, quæ sua non sunt, se venditare, & corniculæ instar Æsopi-

lus Magnus, Phrisiis propter multa in Remp. merita, privilegia confert, altero vero Fredericus III. Imperat. Emdano Domino ante annos circiter CL. Comitatus dignitatem impartitur: utrumque ad te suspicor jam permanasse. Si nihilominus exemplaria expetis, à te admonitus, haud gravate subminiſtrabo. Vale Spiræ XXIV. Octob. CIↃ IↃ LXXXIX.

Tuus toto pectore tuique studiosissimus

RENATUS vander DUYN,

EQUES, &c.

CENTURIA TERTIA

EPISTOLARUM,

A B

ILLUSTRIBUS

E T

CLARIS

VIRIS

SCRIPTARUM.

EPISTOLA I.

IOANNES à LASCO

N. N.

* * * * *

POSTEA legi correctionem tuam, in Epistola ad ALBERTUM. Ego nec à Philosophia alienus sum, nec adeo prorsus rudis omnium disputationum, ut non de Religionum varietate, deque illa infinita multitudine hominum extra Ecclesiam sæpe cogitem. Quid videtur absurdius quam tanta agmina etiam virtute excellentium condita esse à DEO ad æternas miserias? Sed compescamus has cogitationes Philosophicas. Magnum & peculiare beneficium DEI ducamus quod se sua voce patefecit hominibus: Nec frustra, nec sine causa, se sic patefecit; vult nos alligatos esse ad suum testimonium, ad verbum traditum, & ad ministerium quod instituit; vult illos exaudire ac recipere, qui agnoscunt ipsum, se patefacientem: vult discrimen esse inter cœtum, qui nec audit; nec curat, nec quærit DEUM sese patefacientem:

Sed

Sed aut fingit more Philosophico opiniones de DEO ex humana ratione aut etiam maledicit illi doctrinæ, quam DEUS sese patefaciens nobis tradidit. Hoc discrimen & hos fontes si curaremus, magnificaremus vocem DEI & ministerium. At plerique homines indulgemus nostris cogitationibus & quærimus concinnas opiniones. Id commune malum est universæ humanæ naturæ. Sed repugnare discamus. Et hunc vere esse DEUM æternum conditorem rerum statuamus, qui sua voce & misso filio suo patefecit. Hic est ejus populus qui eum audit, non qui maledicit, ut Turci, Iudæi, Ethnici, Epicurei, Academici. Non igitur transferatur promissio salutis ad cœtum illum maledicentem. Deinde nos qui agnoscimus DEUM, qui se sua voce & misso filio suo patefecit, utamur ministerio. Inseramus Ecclesiæ nos & nostros per ministerium quod existere in Ecclesia voluit. Scriberem plura si certo scirem ad te hanc epistolam perventuram esse. De nostro colloquio etiam brevi te certiorem reddam. Hæc cum scriberem Dux Iuliacensis ferebatur jam sese & suas ditiones omnes dedidisse Imperatori CAROLO. Hoc constabat Ducatum Iuliacensem occupatum esse à CAROLO. Hæc qualemcunque habitura sunt exitum, Ecclesiam spero DEO curæ futuram esse. Bene Vale. die XVII. Septembris. CIↃ IↃ XLIII.

EPIS-

EPISTOLA II.

IOANNES à LASCO *PHILIPPO MELANTHONI.*

VIdeo te nonnihil offensum fuisse literis meis, Vir Doctissime, idque ex æmuli cujusdam mei, quantum audio, instigatione, qui ut dissidium inter nos sereret, ac inde demum illius prætextu omnem mihi auctoritatem abrogaret Evangelii se studiosum apud te fingebat, homo alioqui non indoctus, sed Evangelii summus & mire callidus adversarius. Causa autem offensionis eam fuisse intelligo, quod in illis visus tibi sim tribuere salutem infantibus omnium Ethnicorum. Ego vero, mi PHILIPPE, etsi non prorsus caream scripturæ testimoniis quibus id mihi tueri posse videor, & puto id ad CHRISTI gloriam imprimis pertinere, ut illius beneficium quam latissime patere ex verbo DEI doceamus, tamen in mea ad te epistola nihil hujus attingere volebam, quandoquidem id tibi per ALBERTUM nostrum transmissis ad te scriptis quibusdam meis significaram; Sed cum in hoc potissimum nostra versatur disputatio; *An per baptismum proprie inferamur in Ecclesiam* CHRISTI; Id quod tu mihi equidem affirmare quodammodo velle visus es. Ego de nostrorum, hoc est, de Christianorum duntaxat infantibus quærebam, qui ad Turcas aut Schythas in perpetuum abacti servitutem inter illos interim in conjugio versan-

tes

tes generant. Et tamen nullum habere legitimum possunt neque publicum neque privatum ministerium verbi aut sacramentorum. Addebam & eos qui sub Papæ tyrannide constituti, in hac jam præsertim Evangelii luce non amplius sibi cum CHRISTI adversariis propter offendicula communicandum esse putant. Horum porro omnium infantibus si salutem tribuimus profecto neque à CHRISTO illos (extra quem nulla est salus) neque item ab ejus Ecclesia excludere possumus etiamsi non baptizentur. Et proinde nos non tam inseri propriæ Ecclesiæ per Baptismum, quam insitionem nostram potius promissione ad nos delatam vel per sigillum quoddam in hoc à CHRISTO Domino institutum obsignari. Hæc erat Epistolæ meæ summa quod quidem ad infantes & Baptismum attinet. Neque puto te improbaturum fuisse ea quæ ad confirmandam hanc meam sententiam adferebam, nisi se tibi tum parum mihi æquus interpres ille obtrusisset. Ego enim, mi PHILIPPE, non ideo elevo Baptismi usum aut dignitatem, quod doceo, illo non tam proprie nos inseri in Ecclesiam CHRISTI, quam insitionem nostram potius promissione ad nos delatam obsignari: sed proprium Baptismi finem indico; eumdem sane quem Paulus tribuit circumcisioni, dum illam nostræ acceptationis σφραγίδα esse docet. Promissio enim nos certos reddit, DEUM, esse nostrum & seminis nostri DEUM: nosque vicissim una cum nostro semine in lumbis nostris in-

incluſo eſſe Populum DEI; atque eadem nobis applicat etiam DEI erga nos benevolentiam; dum audimus Et DEUS *tuus* & DEUS ſeminis *tui*: Baptiſmus autem illam Et in nobis & in ſemine noſtro obſignat ex CHRISTI inſtitutione; quæ ſane (niſi CHRISTO Domino ſimul contempto) contemni nulla ratione poteſt. Dicebam tamen mihi non improbari eum dicendi modum ut fateamur nos per Baptiſmum inſeri Eccleſiæ CHRISTI, atque per eundum nobis applicari promiſſionem: ſiquidem de viſibili inſitione & applicatione juxta naturam Sacramenti intelligamus, ut Baptiſmus ſit, quemadmodum & olim circumciſio erat, benevolentiæ ac promiſſionis Divinæ viſibile teſtimonium, ſeu σφραγὶς De Ethnicorum infantibus rem tibi per ALBERTUM noſtrum proponere ideo volui, ut quid tu hic ſentias ſcire poſſem. Ac ex tua ſententia doctrinam meam demum moderarer. Nunc etſi idem mecum jam cogitaram, tum per te etiam admonitus nihil hujus amplius docebo, præſertim cum tu ſtatuas eam doctrinam hoc potiſſimum tempore non ita multum facere ad Eccleſiæ ædificationem, etiamſi vera eſſet. Abſit autem hoc à me, mi PHILIPPE, ut ego novi alicujus dogmatis autor eſſe velim, quod præſertim nunc perturbet quoquomodo Eccleſiarum concordiam, aut ſola humana Philoſophia nitatur. Agnoſco meam ipſe cæcitatem quod ad rationis judicium attinet. Et ineffabile illud

in Ada mortalium genus ad ſalutem condidit nominiſque ſui gloriam immortalem, ſed voluntarium, in ea multitudine contemptum damnari, ut dum oblatam gratiam deſtinata voluntate contemnit ab illa ſane excidat, ſed interim vel invita gloriæ DEI ſerviat, ac pœnarum æternarum magnitudine teſtetur, DEUM Dominum ſuum eſſe, quem ut Patrem indulgentiſſimum oblata in CHRISTO Domino ſalute agnoſcere nolebat. Cæterum ut huic multudini infantes quoque includamus, id vero non ita mihi facile, ut ingenue verum fatear, è ſcripturis præſertim perſuadere adhuc poſſum; imo vero diverſum mihi colligere poſſe videor. Sed tamen, mi PHILIPPE, libenter hic ſequar judicium tuum: & poſteaquam tu judicas utilem non fore nunc eam doctrinam ſi urgeretur, ero & ego hic deinceps mutus, donec id inter nos ſemel aliquando vel coram, quod maxime optarim, vel per literas excutiamus. Ego enim dum & plurima & eadem eximia dona DEI in te intueor, te unum eſſe etiam ſtatuo apud quem effundere debeam omnino quidquid in animo meo dubitationum oboriatur. Et facio id ſane ſumma cum fiducia, tum libertate; ea ſpe ut non dubitem, te hoc, pro tua humanitate, proque Chriſtiana charitate, boni conſulturum eſſe, inque optimam partem interpretaturum. De Cæna Domini gaudeo tibi probari noſtram ſententiam, utinam ea jam, pace omnium Eccleſiarum obtinere demum poſſit. Tua carnima de Moſe in caverna petræ conſtitu-

to, ac rursum de percussa per illum petra; magna cum voluptate legi. Plane sic est, Qui in legis ministerio positi, illius ministri videri volunt, illi ipsi omnium gravissime nunc petram in membris suis feriunt, hæc porro icta aquam nihilominus reddit, idque tanto copiosius quanto vehementius feritur. Et nulla major consolatio haberi potest quam dum certo statuimus protegi nos dextera DEI propterea quod nos in caverna petræ illius invictæ, quæ nullis ventorum aut fluctuum quam libet sævientium furiis loco suo moveri potest, constitutos esse videmus. Dominus adaugeat nobis eam fidem, ut tantum illius beneficium animis nostris firmiter impressum habere semper possimus. Idem vero te quoque nobis servet ad gloriam Filii sui magis ac magis sub tantis Ecclesiæ afflictionibus in ejus Evangelio illustrandam. Vale secunda Novembris. CIↃ IↃ XLIII.

EPISTOLA III.

IOANNES à LASCO

N. N.

ORo te per CHRISTUM, Reverendissime Domine, ne offendaris mea ista, non sane temeritate (id novit DOMINUS, in cujus conspectu sumus) sed potius sedulitate quadam probandi tibi nostra omnia; ad quam me alioqui & candor tuus, tuaque rara haud dubio humanitas invitat, & mei etiam ministerii fides plane compellit.

Nol-

Nollem profecto pertinax videri, ne dicam temerarius aut capitosus: sed nihil dubito quin videas, fidem mei ministerii hoc omnino flagitare, ut in nostra hac Ecclesia, pleno non autem mutilo ministerio jam tandem fungamur. Post eam presertim DOMINI, quam nuper sensimus admonitionem.

Si quid peteremus ad nostram gratiam: esset forte cur non audiremur. Sed dum id petimus quod nostri ministerii fides, in nobis requirit: quodque à pio & Christiano Magistratu negari nobis non debere putamus: Equidem nihil nobis temere videmur postulare. Imo vero hoc solo imprimis nomine, gratam vobis debere esse existimamus nostram hanc postulationem: quod in ea aliud nihil petimus, quam quod CHRISTI DOMINI ejusque Apostolorum doctrina, institutione, & exemplo manifeste approbari possit. Cum in istiusmodi petitione dubium non sit, non tam nos nostramque Ecclesiam vel audiri vel rejici, quam ipsummet CHRISTUM DOMINUM potius: quem nos potissimum sequi optamus in sua doctrina exemplo atque institutione. utque id nobis per vos liceat, summa cum observantia, postulamus.

Abs te vero imprimis, mi Domine, petendum id nobis esse videtur; quem nostri alioqui ministerii summum Antistitem habemus. quod id non minus tua certe, quam nostra interesse putemus: ut pleno, non autem lacero ministerio, in concredita nobis (tuis auspiciis) Ecclesia fungamur: imo vero quod tu omnem nostræ

(hac in parte) negligentiæ culpam sustinere debere arbitremur; in judicio DEI: si per nos admonitus, officium nobis tuum præstandum non esse putes.

Ostendi autem, nostra hac postulatione nullam dari occasionem, neque varietatis in cultus Divini observatione; neque item offendiculorum, aut dissidiorum, aut præjudiciorum: sed viam commonstrari potius omnium certissimam, ad tollendam omnem varietatem, omniaque offendicula, & quæ inde demum dissidia, præjudiciaque nascuntur. Nisi si CHRISTUM DOMINUM varietatis, offendiculorum, dissidiorum, ac præjudiciorum autorem, in doctrina, exemplo, & institutione sua facere velimus; quam nos ante omnia sequi cupimus. Et ut nobis id liceat, omni nostro studio postulamus. Alioqui præpostera est offensio in CHRISTO, doctrinaque, & institutionibus ipsius. Et proinde in nostra quoque petitione. Quæ aliud non continet, quam ut CHRISTI ejusque Apostolorum doctrinam & observationem, in nostro ministerio sequi possimus. Neque vero tanti sunt facienda semper præpostera hæc offendicula; ut propter illa CHRISTI Ecclesiam (sub tanta illi cruce præsertim) ministerio suo fraudare debeamus.

Videor præterea mihi etiam ostendisse, nos justas habere causas, cur & publicum Ecclesiæ consessum in Cœnæ administratione optemus; Et vestium item illarum usum detrectemus, qui-

quibus in vestris adhuc templis uti soletis. Atque item vanum esse eorum metum, qui ex nostra erga DEUM obedientia pericula nescio quæ ominantur. Vana item illorum consilia, qui sua se prudentia, manum DEI, quam propter verbi haud dubie sui contemptum, (quod in se Sacramentorum alioqui usu etiam complectitur) extentam esse videmus, evitare posse putant.

Hic vero tu, mi Domine, neque in confessus postulatione, neque in vestium detrectatione tibi satisfactum esse dicis. Et posteaquam certum non est, ad quemnam modum CHRISTUS DOMINUS tum ad mensam suam accubuerit cum suis Apostolis; nos etiam de hoc confessu in cœnæ administratione sollicitos esse non oportere. Rursum, quod ad vestes attinet; cum nullum sit illarum interdictum, & publica hic autoritate sint receptæ: Æquum tibi videri, ut illis utamur potius, quam ut illas detrectemus. Tibi enim persuasum non esse, ut quæ in ipso cultu DEI etiam ab ipsomet alioqui DEO instituto, præcepta non sunt; pro interdictis haberi debeant. Et cum res videatur fore mali cujusdam exempli, si nobis diversæ à vestris ceremoniæ permitterentur: te adhuc hærere in nostra ista postulatione.

Hæc tu, inquam, ita mecum, mi Domine, & quidem ita amanter (quo quidem nomine magnam tibi habeo gratiam) ut me quodammodo ad majorem consilii, hac in parte, nostri approbationem invitare videreris. Id mihi igitur fa-

ciendum esse putavi, si quomodo tibi, ut Patrono & Patri meo, satisfacere queam.

Quodque ad CONSESSUM imprimis attinet, Equidem pium magis religiosumque esse puto, ut CHRISTUM DOMINUM nihil tum ociose egisse putemus, in tota illa novæ actionis suæ mysticæ institutione, cujus exordium accubitum esse videmus: quam ut illum vel superflue aliquid vel ociose egisse arbitremur. Et proinde neque accubitum ipsius cum suis discipulis ociosum fuisse, atque à nobis negligendum esse intelligemus; quatenus assentimur, illum, nihil tum superflue aut ociose egisse.

Deinde si negari non potest, CHRISTUM DOMINUM mensæ accumbentem, accumbentibus etiam suis Apostolis cœnam suam administrasse, sic ut occubitus ille à parte totius actionis illius mysticæ excludi non possit: quæ res nos movet, ut eam actionis Dominicæ partem ab ipsius institutione in mandato illo (HOC FACITE) excludere, quam includere malimus? Equidem rectius fecerimus, si id mandato huic includamus, quod Evangelistæ ipsi in parte actionis numerant; quam si id nulla autoritate, nullaque justa ratione innixi excludamus.

Tertio, cum sciamus horribilem esse in Papæ, Ecclesia, Cœnæ Dominicæ profanationem, atque ipsius doctrinam ali, confirmarique genuum ista in Cœnæ usu flexione, quam adhuc plerisque locis observatam fuisse videmus, Et nostri officii sit, publice testari, modis omni-

nibus nos ab ea Idololatria abhorrere; adeoque & illi adversari quantum omnino possumus. Nulla vero esse possit aptior testificatio alieni animi nostri ab illa idololatria, quam publicus in cœna Ecclesiæ confessus, ab ipso præsertim CHRISTI exemplo Apostolicaque observatione petitus, merito illum sane instaurare observareque deberemus.

Nec refert quod certi non simus ad quem modum CHRISTUS DOMINUS cum suis Apostolis tum ad mensam accubuerit. Usus est procul dubio DOMINUS vulgari accubitus more, qui tum in usu erat. Quemadmodum & Paulus vulgari apud Corinthios more accumbendi usus est nulla illius nova forma inducta. Si igitur CHRISTO satis erat vulgari Iudæorum more in cœna sua accumbere; si item Paulus apud Corinthios de populari accumbendi more nihil mutavit in Cœnæ observatione; Cur nos hic anxii sumus de forma occubitus Iudaici, cum & CHRISTO, & Paulo, vulgarem tam Iudæorum, quam Corinthiorum accumbendi morem satis fuisse videamus.

Neque vero certi, quæ panis forma fuerit, sumus, in prima Cœnæ institutione. Neque item Paulus novum Panis genus, ne dicam formam, Corinthiis præscripsit. Sed quemadmodum CHRISTO DOMINO satis erat eum Panem Cœnæ suæ adhibuisse qui tum apud judæos juxta ritum illorum cibarius panis erat: Ita & Paulo satis fuit eum Panem apud Corinthios mensæ Dominicæ adhibere, qui tum illis

vulgo cibarius erat; etiamsi Azymum fuisse non constet. Nimirum & CHRISTUS DOMINUS, & Paulus, non tam solliciti fuerunt, de modo ac forma symbolorum in cœna; quam ut propositis vulgaribus omnino symbolis (ut eas quæque gens haberet) animos hominum ad cœlestium mysteriorum (symbolis vulgaribus adumbratorum) considerationem excitarent.

Præterea quid facerent gentes illæ, quæ neque panem ex ullo frumenti genere habent, & vino prorsus carent? An vero illas propter Panis Azymi inopiam, aut vini penuriam à Cœna DOMINI excludemus; donec aut Panis Azymi aut vini usum habeant? Equidem CHRISTUS DOMINUS, ut est Agnus mundi totius, ita totius etiam mundi Ecclesiæ, victimæ suæ memoraculum in Cœna sua reliquit. Neque gentes ullas (quæ modo nomen ipsius invocant) à Cœnæ suæ usu propter Panis Azymi aut vini inopiam excludi voluit. Estque illi satis, si mortis memoria, quocunque tandem Pane aut Potu celebretur; modo ut sine ullo contemptu, riteque ac decenter omnia, agantur.

Ad eundem igitur modum non moratur DOMINUS, ut in forma aut modo Confessus nostri, nimium anxii curiosique simus. Satis est illi, si quietem conscientiæ nostræ in morte CHRISTI, Sabbatismum inquam nostrum in CHRISTO, confessus nostri recepti Symbolo contestemur, ad totius Ecclesiæ consolationem; præsertim cum noster confessus, perinde est symbolum quietis apud nos;

atque apud Iudæos olim accubitus ipsorum (qualiscunque is tandem fuerit) quietis symbolum erat.

Satis igitur & nobis esse debet, receptum more publico confessum retinere in Cœnæ administratione, ut nostram in CHRISTO DOMINO quietem contestemur, illiusque hoc symbolo admoneamur; etiamsi de forma illius primi ad cœnam accubitus certi esse non possimus. Atque de Confessu tantum.

IAM quod ad VESTIUM DETRECTATIONEM attinet. In hoc fere esse videtur status causæ totius. Num cultui publico, ab ipsomet DEO in ejus Ecclesia certis ceremoniis institituto adhiberi aliquid debeat; de quo DEUS nihil præcepisset. Hic vero tu Domine mi, quædam esse dicis quæ sunt præcepta, quædam vetita, & quædam neque vetita neque præcepta. Præcepta igitur, observanda esse omnino. Vetita item, vitanda omnino. Sed quæ neque essent vetita neque præcepta, ea sane cultui illi ab ipso DEO institituto libere adhiberi posse; etiamsi de illis nihil præceptum esse legamus. Proferebas huc Davidis exemplum qui Cantores in templo olim instituit de quibus ipsum mandatum aliquod habuisse, doceri non possit. Et multa alia in eam sententiam proferri posse dicebas. Ego autem pro vetitis habenda esse dicebam (in tali cultu DEI) omnia, de quibus DEUS tali huic cultui adhibendis nihil omnino præcepit. Cui tu quidem sententiæ assentiri

te non posse respondebas, quod ego unico duntaxat scripturæ loco meam sententiam tueri coner: qui interim apud te adhuc dubius esset, tuque illum adhuc excutere diligentius velles. Tu vero ad confirmandam tuam sententiam plurima scripturæ tum testimonia tum exempla haberes.

Hæc ita inquam inter nos sunt acta, mi Domine, nisi me mea alioqui memoria fallit. Iam vero dudum optavi ego, & nunc vehementer optarim videre, rationes & testimonia ex scripturis, quibus tuam sententiam defendi posse putas. Quis enim non libenter ea amplecteretur, quæ minorem sustinent invidiam; præ iis, quæ hominem, & odiis & invidia, & suspitionibus variis, gravare manifeste videmus? Equidem non sum is, qui odio haberi, quam amari; quique invidiam sustinere, quam benevolentia hominum frui malim. Sed ante omnia id spectandum, & mihi, & piis omnibus esse puto (quod ad divina præsertim attinet) ne quid nobis permittamus; quod certi omnino non sumus, nos, tuta tranquillaque nostra conscientia juxta verbum DEI, facere posse. Ita ego cum me non videam tuta tranquillaque mea conscientia vestes illas in nostram Ecclesiam inducere (sub meo ministerio) posse; hærere hic cogor tantisper dum meam conscientiam laxari videam, Verbi Divini autoritate: quo sola illam, & laxari, & astringi debere puto. Alioqui si mihi mea conscientia (præter DEI verbum) laxanda esset, alibi illam com-

commodius multo laxare potuissem ☺. Sed ago gratias DOMINO DEO meo quod me ab ejusmodi laxatione servarit. Et oro ut me deinceps quoque servare adhuc, per suam gratiam, velit ☺.

Ut autem non temere meam (hac in parte) conscientiam astrictam esse ostendam; adferam tibi, mi Domine, plures quam unam consilii hujus mei (petitas ex verbo DEI) rationes. Illud tamen præfabor me hic non agere de ritibus jamdudum in aliqua Ecclesia usurpatis, qui dudum invecti tolli simul non possunt; & proinde aliquousque tolerandi adhuc videntur; non sine tamen digna eorum reprehensione, siquando id tempus aut res ipsa postulare videtur. Sed loquor de invehendis in aliquam Ecclesiam novis ritibus, præter Verbum DEI; qui in illa nunquam antea observati fuissent.

Redigam autem rationes meas, quas alioqui etiam attigi in nostra Postulatione, in certas argumentorum formas; ut res tota clare & perspicue cognosci possit.

PRIMUM antem argumentum, ad sententiæ meæ confirmationem, petam ex interdicto DEI illo de non edendo fructu arboris vetitæ primis parentibus nostris dato; de quo in nostra alioqui Postulatione multa. Quo videlicet DEUS abunde nobis declaravit quod nostra potissimum obedientia coli velit ☺. Atque huic interdicto, adjungo regulam illam, à Samuële ad Saulem Regem prolatam Gratiorem esse DEO obedientiam in cultu ipsius, quam victimas.

Et

Et ex hiſce locis (tanquam è fontibus) ſic argumentor.

Qui in cultu ſuo obedientiam vult rebus aliis omnibus anteponi: is ſane extra præcepti ſui fines coli ſe nolle manifeſte teſtatur.

DEUS, & interdicti illius primis parentibus noſtris dati, & regulæ item à Samuele proditæ, teſtimonio, mandati potiſſimum ſui obedientiam vult in cultu ſuo rebus aliis omnibus anteponi.

Ergo DEUS, extra præcepti ſui fines nolle ſe coli, manifeſte teſtatur.

Perinde eſt autem, ſive DEUM contra, ſive extra fines præcepti ſui colere velimus. Obedientiæ ſane eſt, ut nos intra præcepti fines contineamus. Eſt igitur inobedientiæ, fines præcepti quoquomodo tranſcendiſſe. Si extra aut contra illos aliquid faciamus. Ut jam vetitum eſſe in cultu DEI ab ipſo inſtituto intelligamus; de quo nihil præceptum habemus.

ALIUD argumentum ſumo ex mandato DEI (cujus etiam in noſtra poſtulatione memini) *Deut.* XII. *Cap.* quod alioqui pluries alibi etiam repetitum habemus. Quod tibi præcipio, hoc tantum facies DOMINO: non addes quidquam neque adimes. Inde vero ſic argumentor.

Ubicunque nihil neque addi neque adimi poteſt præceptis traditis; ibi ſane præceptorum fines tranſcendere nullo modo licet; ut aliquid vel contra vel extra illos omnino faciamus.

In cultu publico ac ipſo DEO in ſua Eccleſia inſtituto, neque addi neque adimi quidquam poteſt præceptis traditis, juxta hoc Moſi teſtimonium.

Er-

Ergo in cultu publico, ab ipso DEO in sua Ecclesia instituto, fines præceptorum transcendere nullo modo licet: ut aliquid, vel contra; vel extra illos omnino faciamus.

Est autem certum, Mosem, toto eo capite, de cultus Divini observatione potissimum agere: quem DEUS tum voluit in sua Ecclesia observari.

TERTIUM argumentum colligo ex eodem *Mosis lib. Cap.* XVIII. Ibi loqui aliquid, de quo DOMINUS non præcepisset, in parte impietatis ponitur. Et Propheta qui id faciat, morte damnatur. Propheta (inquit Moses) qui impie egerit, ut loquatur DE QUO NON PRAECEPIT DOMINUS &c. moriatur Propheta talis. Inde porro sic argumentor.

Quidquid Verbi Divini testimonio in parte impietatis ponitur, & capitale esse censetur; id equidem pro vetito haberi oportet, in Ecclesia *Christi.*

Loqui, aut tradere aliquid sub nomine DOMINI (in cultu potissimum ab ipsomet DEO instituto) de quo ipse nihil præcepisset; ponitur à Mose in parte impietatis, & capitale esse censetur, juxta temporis sui Politiam.

Ergo loqui aut tradere aliquid sub nomine DOMINI, de quo ipse non præcepisset, in cultu potissimum ab ipsomet DEO instituto; id equidem pro vetito haberi oportet omnino in Ecclesia *Christi.*

Nec refert quod quidam locum hunc Mosi ad rerum duntaxat futurarum divinationes referendum esse putant. Est enim illic Antithetica, veri Prophetæ, ad falsos Prophetas collatio; in qua eandem doctrinæ generalitatem (ut

(ut ita dicam) comprehendi oportet in altera ipsam ipsius partem, quam & in priore ejus parte contineri constat. Alioqui esset vitiosa collatio. Et cum prior Antitheseos pars qua de vero Propheta (nempe Messia nostro) loquitur, omnes Propheticæ functionis partes complectatur: non possunt procul dubio etiam ullæ Propheticæ functionis partes à secunda Antitheseos parte excludi in qua de falso Propheta tractatur. Ut non ille tantum Propheta, pro impio sit habendus, qui ventura solum modo pronunciet, de quibus DOMINUS non præcepisset, sed qui in omnibus etiam Propheticæ functionis suæ partibus, hoc est, in omni sua doctrina, omnibusque suis traditionibus Propheticis, id loqueretur & traderet: de quo nullum à DOMINO præceptum haberet.

Sed esto, donemus hunc locum de rerum duntaxat venturarum prædictione loqui: adhuc consistet nihilominus desumpta ex illo nostra argumentatio. Dum à minore (ut vocant) ad majus argumentamur. Etenim si in rebus venturis prædicendis, impietatis damnatur Propheta, qui id eventurum prædicit, de quo nihil præcepit DOMINUS; tanto sane magis impius erit Propheta qui de mysteriis DEI salutaribus, salutarique cultu ipsius, sub ejus nomine loquitur sine præcepto ipsius; quanto Doctrina de salutaribus DEI mysteriis cultuque ipsius major excellentiorque est, rerum futurarum prædictione.

Et certum est, sub nomine DOMINI docce-

ri

ri aut tradi: quidquid ministerii nomine in Ecclesia tradimus aut docemus. Pro DEO enim, non pro hominibus, Ecclesiis in ministerio nostro ministramus: quicunque ministri in CHRISTI Ecclesia sumus.

Manet ergo firma & immota nostra hæc (ex Mosi loco citato petita) argumentatio.

QUARTUM argumentum sumo, ex Hieremiæ Prophetæ *Cap.* XXIII. Ubi multa de Prophetis conquestus ad extremum ait: Ne audieritis verba Prophetarum, qui vobis prophetant. Visiones cordis sui loquuntur, & non ex ore DOMINI. Hîc sane visiones cordis nostri vocari videmus quidquid non petitur ex ore DOMINI. Videmus item vocari & imposturas, dum ait: Vanos vos reddunt, vel decipiunt vos, aut dementant vos, sive imponunt vobis. Quemadmodum VATABLUS adnotavit. Et videmus expressum mandatum, ne eos audiamus, qui non ex ore DOMINI loquuntur. Etiamsi contra os DOMINI loqui non videantur. Inde vero ego argumentor ad hunc modum; adjunctis ex eodem Prophetæ capite aliis præterea, quæ eis ipsis Prophetis attributa sunt, qui non ex ore DOMINI loquuntur.

NULLI Prophetæ, qui dementant populum, qui visiones cordis sui loquuntur, quique per illas lucem verbi Divini à proximo suo suffurantur; denique qui Ecclesiæ DEI, paleas protritico obtrudunt; audiri in CHRISTI Ecclesia debent.

Omnes Prophetæ, non ex ore DOMINI loquen-

quentes, dementant populum; visiones cordis sui ipsorum loquuntur, lucemque Verbi Divini à proximo suo suffurantur; & DEI Ecclesia paleas pro tritico obtrudunt.

Ergo nulli Prophetæ, præter os DOMINI loquentes, audiri quoquo modo in CHRISTI Ecclesia debent.

Neque hic locus Prophetæ ullis interpretationibus eripi nobis potest, quin fontes nostræ argumentationis in eo extent; quemadmodum & in proxime citato Mosis loco *Deut.* XVIII. eos extare diximus.

QUINTUM argumentum deduco, ex DEI mandato Mosi dato, de cultus Divini observatione; *Exod.* XXV. cujus alioqui mandati meminit & Stephanus in sua concione *Actor.* VII. Et Paulus *Hebr.* VIII. Vide, inquit DOMINUS ad Mosem, ut facias OMNIA secundum exemplar, quod tibi ostensum est in monte. Ad omnes enim Ecclesiarum ministros hoc pertinet, quod hic ad Mosem dicitur; qui modo fideles ministri (Mosis exemplo) esse volunt. Inde igitur ita argumentor.

Ubicunque juxta præscriptum exemplar aliquod OMNIA facere jubemur; ibi sane non solum contra exemplar, sed neque extra exemplaris præscripti fines facere quidquam licet.

In instituendo publico in Ecclesia cultu DEI (sub Mosis nomine) jubemur OMNIA juxta præscriptum nobis exemplar facere. Exemplar vero est Verbum DEI; in quo nobis DEus cultus sui formam patefecit.

Er-

Ergo in instituendo publico DEI cultu, in ejus Ecclesia; non solum contra exemplar verbo nobis Divino patefactum, sed neque extra præscriptos illius fines, facere nobis quidquam omnino licebit.

SEXTUM argumentum colligo ex verbis CHRISTI DOMINI apud Ioannem *Cap.* v. & VII. in unum junctis. *Capite quinto*, negat CHRISTUS eos posse habere fidem, qui gloriam ab invicem captarent. Ac rursum *Capite septimo* suam ipsorum, non autem DEI gloriam quærere eos docet; qui à semet ipsis loquuntur. Et omnes tales mendacii atque injustitiæ accusat; dum illos duntaxat veraces & injustitiæ expertes esse affirmat. Qui ejus à quo missi essent (nempe DEI) non autem suam ipsorum gloriam quærunt.

Quicunque in ministerii sui functione, suam ipsorum, & non DEI gloriam ante omnia quærunt: cum & mendacii & injustitiæ à CHRISTO DOMINO notentur, in CHRISTI sane Ecclesia neque ferri neque audiri debent.

Omnes qui ab invicem gloriam accipiunt, & à semet ipsis (non autem ex ore DOMINI) loquuntur: suam ipsorum, non autem DEI gloriam quærunt, juxta hoc *Christi Domini* testimonium.

Ergo omnes qui ab invicem gloriam accipiunt: à semet ipsis, non autem ex ore DOMINI loquuntur (cum & mendacii & injustitiæ à CHRISTO DOMINO notentur) in *Christi* sane Ecclesia, neque ferri, neque audiri debent.

Horum ego argumentorum omnium fontes attigi in nostra postulatione: producturus plures, si hos satis non fore putassem. Adjeci præterea exempla duo severitatis Divinæ; in

eos qui adversus hanc doctrinam, non tam contra, quam extra patefacti Verbi Divini fines progrediendum sibi esse putabant. Alii in adhibendo igne, Divino cultui; de quo nihil DOMINUS præcepisset. Alii vero in anteponendis carnibus, Pani cœlesti; quem eis DOMINUS in cibum dedisset.

Et sane ejusmodi sunt hæc exempla, Reverendissime DOMINE, ut eorum commemoratione exhorrescere deberemus, quoties ad observandum aliquid sine ullo verbi Divini testimonio sollicitamur.

Neque hic subsistit commentum eorum, qui Nadab & Abihu propter ebrietatem à DEO punitos esse docent; eo quod vini usus Aaroni & filiis ejus interdicitur. Nam & alia multa eodem mox loco Aaroni & filiis suis præcipiuntur adversus quæ peccasse illos oportuerat etiam, si horum duntaxat admoniti fuerunt adversus quæ peccarant.

Admonitus quidem est Moses tantæ severitatis Divinæ exemplo ut certas leges Aaroni & filiis ejus constitueret; ne facile postea adversus DOMINUM peccarent. Sed causa punitionis illius in ipso contextu diserte exprimitur: dum legimus. Nadab & Abihu ignem thuribulis adhibuisse; eumque alienum de quo DOMINUS nihil præcepisset.

Et demus illos per ebrietatem id feciisse, quod equidem non abs re adnotatum esse fatemur; non ideo tamen efficitur, illos propter ebrietatem potissimum ita punitos esse. Etenim si ebrii

erant:

erant; ante injectionem ignis alieni in thuribula, ebrii proculdubio erant. Ante injectionem igitur ignis puniendi fuerant; siquidem propter ebrietatem potissimum puniendi erant. Nunc cum non ante injectionem ignis puniti sint; & hanc solam scriptura ipsa exaggeret; fieri quidem potuisse non negamus, ut ebrietas flagitio illi occasionem dederit, atque ideo etiam vini usus sit Aaroni & filiis ejus interdictus; sed culpam puniti flagitii præcipuum esse dicimus, in ignis alieni injectione; quemadmodum verba ipsa ejus loci testantur. De quo nullum præceptum extabat.

EPISTOLA IV.

Ornatissimo Viro

HECTORI HOXVIRIO,

Amico integerrimo,

S. P. *Franequeram.*

EX epistola tua tantum accepi voluptatis, quantum ex nullius alterius multis jam seculis. Nam illa mihi sic repræsentavit tuum illum olim mihi perspectum candorem, ut absens prope plus mihi visus sim cernere, quam tum, cum ab illis tuis humanissimis moribus plusquam adamantinis vinculis tibi sum devinctus. Itaque duplici nomine mihi gratulor, primum, quod eo tempore mea de te conjectura non fefellerit. Deinde quod in eoipso video perpetuitatem, dum nec longinquitas loci, nec

temporis diuturnitas quicquam de animo erga me detraxit. In qua re certe mecum paria feciſti. Nam citius ipſe mei poſſim obliviſci, quam veteris tuæ in me humanitatis & obſervantiæ, quam tanto penitius animo infixam teneo, quanto mihi ſum magis conſcius, id nullo meo merito eſſe factum, ſed quidquid id fuit officii, totum hoc ex candore & gratuito amore profectum. Quod ſi M. Tullius vix hominis eſſe ducit, idque jure optimo, non reſpondere in amore à quibus ultro provoceris, quo tandem pacto ego inhumanitatis crimen à me amoliri poſſem, à quo non modo ultro in amicitiam ſim allectus, ſed etiam tanta conſtantia me porro ſentiam amari, ut temporis longitudo contra morem etiam hunc erga me tuum animum adauxerit. Itaque mi HECTOR, velim cognoſcas me id quod ſine flagitio omittere non queo, tam libenter agere, ut nihil agam lubentius. Quis enim tam candidum pectus non amplexetur? Quis tantam eruditionem, quantam literæ tuæ præ ſe ferunt non exoſculetur? etiam ſi nulla accedat conſuetudo ac familiaritas. Hunc autem animum meum erga te utinam aliquo certe argumento tibi liceret indicare. Sentires profecto quam calamus meus non diſſentit ab animo. Quod ad AUSONIUM germanum tuum pertinet non patiar illum quicquam à me fruſtra deſiderare. Nec eſt quod hic mihi agas gratias, cum ego me potius beneficum accipere interpreter, quod mihi propius feceris familiarem juvenem non ſo-

solum eruditum, verum etiam ea comitate & morum facilitate, ut eruditio sine moribus non possit repudiari, certe morum suavitas sine commendatione literarum ad amorem abunde habeat invitamenti. Eum ante amavi fama tantum cognitum, maxime quod scirem illum tibi esse fratrem germanum⌣. Operam meam illi ad studia antehac non obtuli: ne viderer ambitiosior in conciliandis amicis, aut sorderet beneficium ultro oblatum⌣. Sed acceptis tuis literis quam jusserim de me illum sibi polliceri omnia malo per ipsum tibi, quam meis literis significari. Siquid aliud usu veniat in quo Co. Goclenius queat gratificari suo Hoxvirio, senties reipsa meum in te animum⌣. Bene Vale⌣. Lovanii è Collegio Buslidiano quinto Idus Maji. Anno CIↃ IↃ XXVIII.

Tuus quantulus est

Co. Goclenius.

EPISTOLA V.

Clarissimo Viro

HECTORI HOXVIRIO,

Amico Syncerissimo.

S. P.

Paulus Verienſis Phrysiorum nuncius multam mihi salutem tuo & fratris, præterea D. Hermanni Consiliarii, ac Hajonis Cam-

MINGÆ nomine renuntiavit. Id vero utrum sua sponte & officii causa, an vestro jussu fecerit non admodum laboro, nihil dubitans, quin vos pro mutua benevolentia cupiatis illa vota omnino rata, quæ *Paulus* vestro nomine mihi est precatus. Perveniſſet tamen ad me non paulo plus voluptatis ſi eadem ex vobis intellexiſſem. Hæc tamen qualicunque animi cogitatione concepta mihi inſtar ſummæ ac veræ, donec eam aliqua majori ac certiori cumulare vobis libeat. Interim vobis viciſſim precor omnia ex ſententia. Scripſiſſem copioſius niſi me ipſe nuncius in ipſo articulo profectionis appellaſſet; verum id compenſabimus alias locupletiore aut certe loquaciori epiſtola. In hac tamen temporis anguſtia mitto ad te *Dialogum Marphorii & Paſquilli* curioſiſſime inquirentis in acta multorum. Sed puto te illum jam dudum vidiſſe. Iampridem enim eſt huc ex urbe Roma allatus. ERASMUS noſter rectiſſime valet. Cupio ſcire an acceperis novam quandam farraginem epiſtolarum ejus principio hyemis ad te miſſam, quibus titulum, fecit Neopalæarum. Bene Vale amicorum γνησιώτατε & cæteros, quorum nomina mox recenſui ex me diligentiſſime ſalutes. Lovanii pridie Nonas Februarii. Anno DOMINI CIↃ IↃ XXXIII.

Tuus quantulus eſt

CONRA. GOCLENIUS.

EPIS-

EPISTOLA VI.

Nobili ac Ornatissimo Viro

HECTORI HOXVIRIO,

Domino & Amico suo singulari.

S. P.

HAud me fefellit opinio, Vir Eximie, quam de ingenii tui excellentia dudum conceperam, comprobata nuper totius populi nostri judicio, qui te non fortunæ solum splendore, generisque claritate insignem, sed singulari prudentia & vetere Romanaque facundia cum paucis conferendum delegerit ex ornatissimo totius Patritiæ apud nos gentis ordine, qui publicum Phrysiæ gaudium, post adeptas gravissimis bellis clarissimas victorias, omni ævo memorandas, post pacatam Italiam, & Augustalis diadematis solennem inaugurationem reduci tandem Cæsari Opt. Maximo (est enim hæc justissima ejus appellatio) nunciares; in quo munere non dubito, quin tua virtus tanto cæteris egregie antea à te gestis rebus illustrior apparuerit, quanto id ipsum fuit excellentius. Ut taceam enim antiquæ gentis nostræ, etsi haud ita modo magnæ, tamen inter Germanos à multis retro seculis, clarissimæ, decora, quæ potuit honoratior injungi functio, quam ut totius populi vicem gerens, communem patriæ vocem; in tam effusa omnium lætitia, ad Principem longe potentissimum & Europæ Dominum perferres? Perferres vero certissimum testimo-

nium unanimis populi, omnes fortunas illi dedentis, vitamque ipsam pro illius gloria pollicitantis. An minus putamus ipsum Cæsarem ad tuam orationem exiluisse, quam ipse tu tunc feceris, qui populi personam sustinens, prout gratulationis munus exigebat, incredibilem lætitiam præ te tuleris? Intellexit etenim ille gloriari jam se posse Gaditanis Columnis acceſſiſſe eas, quas, Auctore Tacito, Herculem laborum ſuorum metas apud Phryſios conſtituiſſe fama vulgavit; duplicatum ut inſigne jam geſtare Cæſar poſſit, Heſperiæ oræ Gaditanas, Germanici autem limitis Phryſias columnas, populi utriuſque juſſu & voluntate firmato, conjunctoque Occidentis & Septemtrionis imperio. Quid autem eſt, quod tu dubites, MI HECTOR, hujusce rei, & Cæſari & Phryſiæ adeo honorifice teſtimonium provulgare? Cur autem premas ob quorum neſcio iniquitatem. Apage iſtam opinionem, tanta res calumnioſæ quorundam reprehenſionis formidine in obſcuro ut maneat. Mei ſaltem ſimilibus ede eam, qui Iuriſprudentiæ ſtudio enixius incumbentes, ut ipſi ab Eloquentiæ adytis ob impuram artis noſtræ tractationem, conſuetudinemque legendi Barbaros auctores excludimur, ſi minus moroſi ſumus aut ſubtiles in examinanda Scriptorum Politiæ. Ede eam illis, qui rerum ſeculo noſtro geſtarum monumenta poſteritati tranſmittere meditantur, quibus proculdubio gratum feceris, nec enim ſilentio obliteranda

eſt

est tantæ benevolentiæ Phrysiorum nostrorum in reducem Cæsarem testificatio. Existimo etenim eös, qui res nostra ætate gestas scripturi sunt, inter cætera præclara CAROLI Quinti facinora haud præterituros quam ex eo laudem mereatur, quod Phrysiam & civilibus dissidiis & finitimorum vexatione graviter concussam fatigatamque, Ducibus tandem IOANNE à WASSENAER & GEORGIO à SCHENCK ad summam tranquillitatem composuerit, quorum ille glorioſe moriens perpetuo apud nostrates victurus est; hic autem vice Cæsaris multos jam annos adeo modeste & juste fungitur, ut merito tali eum eulogio apud Cæsarem Patria nostra laudari jusserit. Quam autem rarum boni Proconsulis, Præsidis, seu cujuscunque alterius vicaria potestate fungentis exemplum sit, haud ignotum est iis, qui veterum Romanorum historias tenent, in quibus celeberrimæ recitantur querelæ provincialium de administratorum rapinis & expilatione. Hic profecto GEORGIUS talis est, ut si non fas nunc sit merita ipsius atque honorem divina religione consecrare, quemadmodum olim Asia ob Scævolæ memoriam, qui eam Provinciam innoxie integerrimeque rexerat, Mutia instituit, nos tamen apud Augustæ Majestatis culmen recitare ea deceat, ut is qui solus plurimum potest, meritis illius digna præmia rependat. Talibus vero heroibus an non cupiant historias suas

quæ aliquando ex locupletiſſimo eruditionis tuæ penu deprompturum te expectamus. Memini quam de te ſpem jactare olim ſolebat D. BERNARDUS BUCHO patruus meus, fore videlicet, ut per te aliquando patria noſtra illuſtraretur. Quod cum jam efficere poſſis, rei literariæ copiis abunde inſtructus noli committere, ut patriæ amicorumque voluntati defuiſſe videare. AUSONII fratris tui humanitatem erga me non poſſum non amplecti, diligentiam vero multum probo, eaque illum mihi arctius conciliat. Sed ANDREAS ALCIATUS, cujus audiendi cauſſa huc eſt ille profectus, menſe Auguſto Mediolanum abiturus eſt, ea enim illi patria eſt. Reditum promittit ſi honorarim augebitur, id taxavit in ſingulos annos mille ſcutatis. Et an adhuc non eſt in pretio Iurisprudentia? Ego ſub hyemem quoque Patavium aut Bononiam adibo. Cura ut ibi aliquando à te literas accipiam. Ego quoties licebit, de Italicis rebus ſtudiiſque viciſſim te reddam certiorem. Bene Vale. Biturigibus poſtridie Nonas Iunias. CIↃ IↃ XXXI. *Tuus*

VIGLIUS ZVICHEMUS.

EPISTOLA VII.

ANDREAS ALCIATUS *VIGLIO ZUICHEMO.*

Spiram.

REpentinus *Falconis* Sileſii, qui has literas tibi reddet, diſceſſus effecit, ut tumultuarie ad te

te scribam, jocandique materiam tibi præbeam, tanquam gallinæ manu scriptas literas ad te exararim⁀. Sed tamen existimavi satius esse quomodocunque descriptas ad te mittere, quam prorsus silere, & justam tibi causam conquerendi, quod tuis non responderim, præsertim tam mihi caris atque jucundis, ut vel decies eas legerim atque sum exosculatus. Hortaris ut Lucubrationes aliquas edam & præsertim *Parerga*. At ego jam feci. OTHO enim WILTPURGIUS sua humanitate atque literis extudit, ut ad se mitterem: quod quidem eram omnino facturus, sed dilationem petebam, ut perfectius consummatiusque opus ederetur. At ille omnis moræ impatiens repræsentari sibi librum voluit; dedi itaque manus, & ad eum misi arbitratu suo edendum⁀. Ego quidem natura cessator καὶ ἀναβαλλόμενος sum, nec lubenter crabrones irrito; at alii etiam non mea pro meis edunt, ut iste, quisquis fuerit Librarius, qui & nomini meo inussit notam, fecitque uti spiculatoris Epitomator viderer, & optimo viro HENDRICO FALCOMONTANO fecit injuriam. Sed ut scribis nemo est scriptorum meorum studiosus, quin impostura statim non deprehendat: quod ut verum sit, plerique alii decipiuntur, vel potius occasionem calumniandi inde sibi præripiunt, meque lancinant: fero tamen æquo animo, quod indicabit tibi Parergῶν præfatio, in qua de re nullum verbum. FALCONEM ipsum, qui has tibi reddet, obsecro vel mea causa commendatum habe⁀. Et

si

si quid est, quod opera mea præstare tibi possim, impera. Habebis ALCIATUM obsequentissimum. Vale. Ticini tertio Non. Septemb. CIↃ IↃ.XXXVII.

EPISTOLA VIII.

ANDREAS ALCIATUS *VIGLIO ZUICHEMO.*

QUI has tibi reddet literas, PETRUS FRANCISCUS CHALCUS, Iuvenis est tuo favore dignus, quem ego hoc anno ad doctoralem lauream evexi. Est nepos BARTHOLOMEI CHALCI cujus in epistolis POLITIANI plurima mentio. Etenim avus ejus cum à Secretis Sfortiadum Ducum esset prolixam in se eorum munificentiam expertus, multa privilegia, plurimas immunitates est consequutus; cuperet nunc hic meus ea omnia autoritate Cæsareæ Majestatis confirmari. Obsecro te, mi VIGLI, ut hominem, quantum potes, adjuves, & ad nos voti compotem remittas. Quidquid in eum beneficii collocaris, id omne proinde ac mihi collatum interpretabor. Ea est mihi cum CHALCIS istis conjunctio ac familiaritas, ut omnia illorum causa velim. Commendo itaque tibi illos de meliore nota. Anno superiore ad te scripsi, & conditionis meæ admonui, auxiliumque & opem tuam imploravi, cum tamen nullam à te responsionem acceperim; seu meæ ad te perlatæ non sint,

non licet. Vale Ticini seu Papiæ. Idibus Febr. CIↃ IↃ XLVII.

EPISTOLA IX.

UDALRICUS ZASIUS *VIGLIO ZUICHEMO*

Patavium.

LIteras tuas amantissimas, Doctissime VIGLI, quas XXVIII. Aprilis scripsisti, magnus ille patronus meus D. IOHANNES PAUMGARTNER hodie datæ præsentium mihi presentari fecit. Quapropter non est, quod mireris, si ad te interea non scripsi. Accepi jam diu *defensorium* mei, quod tu vir admirabilis doctrinæ *in Controversia Stellata* scripsisti. Si modo lis assistata in controversiam venire potest. Cum desiderio, & quidem singulari, legi, quæ tu tam perite elaborasti. Et cum in omnibus accedam, qui in utramque partem arbiter sicuti peritissimus, ita ex pari æquus fuisti. Ergo quam maxime possum, ut judicium tuum typis imprimendum edas eo quo scripsisti tenore, nihil demutans, erit ea res non tam mihi laudi, quam ingenii tui eminentiæ, celebritati. De aliis lucubrationibus meis quod me hortaris, ut publicem, faciam, ut primum per occupationes & valetudinem, qua plures jam menses torqueor, licuerit. Nihilominus *intellectus* meos locupletatos cum *tractatu Substitutionum* non pœnitendo, edidi: cujus tibi, proximo nun-

nuncio, exemplum mittam. Tu interea me, ſicut cæpiſti, ama, fideliſſimum ſine dubio amicum. Cogito de mediis, quibus efficiam, ut in locum meum, Ordinarius juris civilis eligaris. Septuagenarius ſenex ſum, quotidianis morbis attritus, memoria diminuitur, vires corporis abierunt, crura officium facere negant, vox frangitur, & ita in me nihil eſt, quod non ſit effætum. A Principe noſtro inſigni ſum privilegio proviſus, quo ſimili neſcio an alicui Iuriſtæ ſit conſultum, eo uti privilegio pergam, cum tu mihi ſufficiare, nec enim facile patior, ullum mihi alium ſubſtitui. Verum ea in re, quid tibi animo ſedeat, cum poteris, ſcribe. Salarium centum floreni ſunt, practica quæſtum præbet homini in lingua vernacula facundo. Conſiliis faciendis docti viri, quorum tu princeps es, ad modum quam occupantur. Vale & parce pauca ſcribenti: plura enim volui, ſed negotia volentem præcepere. Ex Friburgo IV. Iulii. Anno CIↃ IↃ XXXII. Calamum ſalebroſum æqui boni facito: feſtinate ſunt extorta.

EPISTOLA X.

Ornatiſſimo & genere, litteris, moribuſque Clariſſimo Viro

D. AUSONIO ab HOXVIER,

Domino & Amico ſuo non vulgari.

S. P. *Mantgum.*

CUm dudum cupiiſſem, Ausoni ornatiſſime, atque Chariſſime, Hectoris fratris tui

tui literis respondere, quæ proximo Novembri redditæ mihi fuere, frequentes tamen peregrinationes occupationesque voluntatem fere meam intercepere. Et hoc tempore non satis tutum est cuivis literas committere. Cum enim antea Daventriam eas mittere consueviſſem, quo per negociatores in patriam perferrentur, postquam tamen Anabaptisticæ factionis conspirationes, quæ tandem illic erupere, subodoratus fui, non sum ausus nisi certis hominibus literas meas concredere. Quapropter nunc proprium conduxi nuntium, qui hasce atque alias in Phrysiam perferret. Rogo te autem, mi AUSONI, ut fratri tuo inscriptum fasciculum tuis literis jungas, eidemque cum primum commodum erit tradi cures, ne meam moram tua fortassis aggravet. Incluſi etiam ad ALCIATUM & RENICUM noſtrum literas, ea cauſſa est, quod fasciculus sit crassior. Lubebat verò mihi de silentio tuo tecum expostulare, nam diu nihil à te scriptum est, nisi ipse in eadem culpa essem, & scio quoque tibi non defore excusationem præsertim novo marito, atque novo uti jam spero patri, quem uxoriæ delitiæ, familiæ multiplices curæ, & suaviſſima nuper natæ proles oscula, totum occupant, priſtinamque amicis operam dare non sinunt. Quando tamen ego in istis odioſiſſimis occupationibus AUSONII mei non obliviscor, ne tu quoque viciſſim VIGLIUM

LIUM animo tuo penitus excidere patiare rogo.

Si quæris quid hic agamus. Ilium adhuc obsidemus, haud alia spe, quam ut fame tandem ad deditionem Anabaptistica ista colluvies compellatur. Interea vero princeps præsulque meus auxilia undique implorat, ut adversus hanc seditiosissimam sectam, quoad voti compos fiat, exercitus impendia perferre valeat. Et hic quidem non desperamus, sed terrent subinde nos, quæ isthinc atque ex Hollandia nunciantur, nihil enim intentatum Anabaptistæ relinquunt, passimque per occultos emissarios seditionem moliuntur, verum DEUS propitius hactenus eorum scelerata consilia in tempore detexit. Nam quid Vesaliæ atque Daventriæ actum sit, arbitror vos illic non latere. Ego hisce malis & turbis jam prope assuevi, ac principis erga me humanitate, melioriſque fortunæ spe, me ipse consolor. Levant autem nonnunquam cogitationum pondus amicorum epistolæ. Quod quidem officium à te jam dudum expecto. Bene vale AUSONI ornatissime una cum mellitissima conjuge. Dulmaniæ. Cal. Mart. CIↃ IↃ XXXV.

VIGLIUS ZUICHEMUS.

EPIS-

EPISTOLA XI.

Ornatissimo Viro

D. AUSONIO ab HOXVIIR.

Amico summo.

Mantgum.

NOn mirum, mi AUSONI, te ad me rarius scribere cum cæteri quoque amici, an adhuc vivas dubitent. Non possum autem induci, ut sola tabellariorum inopia in caussa sit, sed potius id matrimonii impedimentis adscribere soleo. Ad communis Patriæ quietem tuis literis nunciatam valde exultabam, verum paulo post aliorum literis significatum mihi fuit novum illic bellum instaurari. Quod hactenus tamen (si vera sunt quæ nunciantur) non infeliciter gestum est. Ferunt enim Groningam & Covordiam Cæsareæ ditioni accessisse, ac Gelrum rebus suis apud nostrates pene diffidere. Sic tumultuante Phrysia non satis opportune frater tuus rediit. Verum spero parum vobis à Gelro illic fore periculi, si Cæsar adversus Gallum feliciter pugnaverit. Scire autem aveo quibus conditionibus Groninga se dediderit, & quæ desciscendi causæ fuerint, nam hic sane nihil cognoscere potui. De rebus Cæsaris quæ habui ad fratrem tuum misi. De ERASMO arbitror te quæ scire cupivisti ex eodem cognovisse. Ex diuturno autem morbo nunc meliuscule valet, neque tamen eum quicquam com-

mentari audio. Sed H. Frob. scribit eum totum esse in Origene, qui proximis nnndinis emendatus exibit⌣. Bene Vale, AUSONI ornatissime. datum Spiræ. xv. Iul. CIↃ IↃ XXXVI.

VIGLIUS.

EPISTOLA XII.

Reverendo ac Venerabili Patri ac Domino

D. M. N. RUARDO TAPPER,

S. Th. Professori ac ad S. Petrum Decano, Cancellario universitatis Lovanienſis, Domino suo plurimum honorando.

S. P. *Lovanium.*

REverende Domine Cancellarie, literas vestras ad XVIII. Septembris scriptas, postridie scil. XIX. accepi. Quod reverentia vestra scribit; ut Pensionarium Delphensium certiorem reddam, quo si fieri potest quam primum ad vos veniat; ita faciam, & quidem diligenter, nec dubito, quin ubi rem intellexerit, confestim ad vos sit accursurus. Literas enim vestras ad eum, cum hac iter faceret, nondum acceperat, nec scio an adhuc acceperit⌣. In meis, quas illi communicabam, non absolute continebatur ut veniret, & simul properandum erat illi domum, tam quidem ut de negotiis Ordinum referret, quam ut familiæ contra pestem, quæ ibi grassatur prospiceret. Itaque tamen placuerat inter nos, ut (ne multa scriptione Reverentiæ Vestræ, molesti essemus) paucis

cis ad D. LINDANUM ſententiæ noſtræ rationem perſcriberemus, ipſeque vobis exhiberet, quod & ita factum ſignificavit. De formula ſuper negotio Delphenſi concepta, quod ea vobis ac Rev. D. Officiali non placet equidem id jubente ac approbante D. præſide attulimus, quod pro mediocritate noſtra potuimus, ſubjicientes illud ipſum judicio ac authoritati veſtræ, in qua libenter acquieſcimus, cæterum quod ob id non placere oſtenditis, quia D. paſtoris acta tacite improbare, querelam magiſtratus ſuper ratione procedendi, ac editione teſtimoniorum approbare videtur; certe neutrum, ut quod veriſſimum eſt dicamus, nobis unquam fuit in cogitatione. Imo vero per contrarium, ad hoc potiſſimum cogitationis noſtræ finem direximus, ut univerſa illa querela ceſſaret, idque etiam reipſa, ex diligenti inſpectione ipſius conſpectus perſpici poſſe, niſi vehementer fallimur, putamus. Nam quod de omittenda lite dicitur, non alio prorſus pertinet, quam ut ſimul etiam quæſtio illa (quæ alioqui durante proceſſu motus aliquos poſſet excitare) conſopiatur, utque Delphenſes, neque in hoc negotio, neque alio ullam ejus unquam faciant mentionem. Nec eſt vero timendum, quaſi metu iſtius quæſtionis de lite deſtitum eſſe vulgo videri poſſit: quoniam non eſt novum neque inſolens, ut ſuperioribus literis oſtendimus, ut una via etiam bene cæpta omiſſa; ad aliam magis commodam, cum proteſtatione, perveniatur. Et ad omnem ſcrupulum tollendum, poſſet non de-

leri judicium cæptum, sed suspendi tantum, donec nova suspicionum materia offerretur, qua re in omnem partem, ut quidem prima specie apparet, cautum esset. Nisi illud etiam ad majorem adhuc securitatem fieret, ut reverentia vestra dispiceret, an reus pro sua innocentia aliquas habeat attestationes, nam iis perlectis, ac cum adversariis testimoniis collatis, non ita difficile fortassis erit dijudicare, utrum res ejusmodi sit; ut suspensionem dilationemque patiatur nec ne. Ecce hæ sunt Reverende Domine Cancellarie rationes, quibus inter cæteras, conceptus ille innititur, adeo ut ad illas alteras non solum non fuerit intentio directa, verum per contrarium omnis ratio pro virili inita, qua illis obviam iretur. Si autem nunc ita est, ut præter intentionem (quod subinde fit) res ipsa incommodi aliquid in sese habeat, id certe nos latuit, sed reverentiæ vestræ dijudicandum relinquimus, cujus emendationi hæc & omnia nostra libenter subjicimus. Ut autem Pensionarius ad nos veniat, & quando id futurum sit, ut sciatis, diligenter procurabo. Exemplum privilegii Hollandorum super publicatione testium nec non alia quæ eo pertinent dabo operam ut habeatis, summa in eo consistit, ut in omnibus testimonia ipsis edantur, exceptis speciebus in quibus jure communi non permittitur publicatio. Bene Vale, Reverende Dom. Cancellarie, ac me tuum esse tibi etiam atque etiam persuade. Ad D. Lindanum post aliquot dies scribam, nunc enim per otium

non

non licet opto vero illi multam salutem. Mechliniæ XX. Sept. Anno Dom. M. D. LVII.

Reverentiæ ac Paternitati vestræ deditissimus servitor

IOACHIMUS HOPPERUS.

EPISTOLA XIII.

Nobili ac Eruditissimo Viro

D. AUSONIO ab HOXWYER,

Phrysiorum Legato, Domino & Amico.

S. P.

PErgratum mihi fuit aliquando ex *Paulo* discere, Vir Ornatissime; quod te hic intra paucos dies futurum professus eras. Qua re cum nihil mihi magis in votis fuit, quam te coram videre, magnaque voluptate ob id delibutus fui, hoc tamen majore, plenioreque voluptate afficiebar, quod hic, ubi veterem consuetudinem multis retro annis auximus, eam etsi immortalem, refricatione tamen renovaremus, quæ res effecisset, ut jam ad vos scribere superfluum mihi esset: verum hodie in jentaculo cum ROERDA noster, Vir egregia humanitate præditus, ad vos redire velit, scisitanti mihi de vestro adventu respondit ille, vobis per occupationes vestras illinc decedere non permitti; quæ sane res mihi molesta fuit, vetusque gaudium nova sollicitudine perfudit. Quod si illa res minus appetitui nostro respondeat, proximum fortassis erit, ad vos transcurrere. Vo-

bis tamen interim gratulor, quibus patriæ nomine legationis munus concreditum est, neque dubito quin ea pro patriæ dignitate vestraque singulari prudentia ac eruditione ita sitis functuri, ut omnes in vestram authoritatem diligentiamque recumbentes atque erecti summum præmium ac fructum ex vestris laboribus singularique cum animi moderatione industria consequentur. Verum hæc coram pluribus, ut adhuc spero, cui omnia prospere ac læte cum incolumi valetudine evenire cupio, tibique exploratum habeas velim, me tui memoriam summa conservare cum benevolentia. Vale, Vir Doctissime. Saluta tuos collegas, D. SIXTUM à TZYARDA, D. SIBRANDUM à ROERDA, ac D. GEORGIUM, qui hodie à nobis discessit. Festinantissime Lovanii. An. CIↃ IↃ XLI. Pridie Pentecostes. Si tempus patitur, illis fortassis scribam.

Tuus ex animo

HAYO CAMMINGA.

Iterum scribo ad D. SCEPPERUM ob memoriam earum rerum refricandarum, quæ inter illum & me GOFFÆ ROERDÆ nostri nomine prius actæ sunt, qui summa authoritate apud Reginam ac Dominum de Arscoet, ut omnibus notissimum est, pollet, non quod ego quicquam existimem me impetraturum, quod ille pro singulari animi sui sagacitate, prudentia,

tia, cæteriſque dotibus, quibus & in priſtinis legationibus ſibi optimatum notitiam peperit, non ſit aſſequuturus; verum ut intelligere poſſit, quanti illum faciam, qui majoribus meis ſemper fuit chariſſimus, ac ut conatum meum cum ſumma erga amicos benevolentia ſignificem, cum aliquid ſit prodire tenus, ſi non datur ultra; cumque apud veteres, vel lacte litare ſolent ruſtici, utpote in ſumma rerum pretioſarum penuria, quorum tamen ſacrificia reſpuenda minime credebantur, cum de animorum puritate illorum conſtabat. Quare oro, ut hunc meum erga ſe ſuoſque affectum boni conſulere dignetur, ſi nihil meum eſt, quod illi prodeſſe queat, ſaltem ne lædat ſummopere ſtudebo; proinde, ut dixi, mitto epiſtolam tumultuario calamo ſcriptam, (niſi effuſam potius erit dicendum) eamque apertam, ut conſiderari queat non eſſe Vriæ, quæ ſi cenſebitur tradenda, poterit ea obſignari hoc ſigillo, ac reddi, ſin minus non recuſo, quo minus ſupprimetur, nihil enim habet ſecreti vel reconditi, barbaries autem mea vel lippis & tonſoribus innoteſcere, neque hic moror phaleratam dictionem cum innocentia ſimplicitate magis clareſcit ac illuſtratur, quæ, teſte Divo Iuſtiniano legibus eſt amica, ſuperioribus tamen rem paulo accuratius explicavi, ac adverſariorum objecta paucis confutavi, ut hæc non alia de cauſa ſcripta videri poſſit, quam ad rerum anteactarum memoriam, cum ſingula repetere non erit neceſſe. Ausonius egregius juvenis

mecum in iisdem ædibus habitat, qui quoque per puerum meum tibi est scripturus, ut opinor. Iterum vale, festinantissime.

EPISTOLA XIV.

Præstantissimo ac Doctissimo

D. HECTORI ab HOXVIER,

Apud Trajectenses Præsidi, &c. Domino suo observandissimo.

S. P. *Ultrajectum.*

EX eo die quo utrinque discessum est, Vir Præstantissime, nullas tuas accepi literas, quarum summo torqueor desiderio: quare ut eas ad me mittas, meque de omnibus rebus instruas, qui ex longo errore ac cursu tandem ad portum me deducere possunt, te etiam atque etiam rogo. Nam jactatum ultro citroque ac pene variis procellis concussum ac fractum pigere incipit hujus otii detestabilisque inertiæ, cum passim videam alios quondam meos commilitones plæclaris facinoribus in .... tos, illustribus majorum imaginibus præclariorem lucem addere, magnamque opinionem de se cæteris optimis quibusque præbere, quibus & prodesse, & de iis quam optime mereri studeant, dum ego inter sordes, seu sus quispiam lutulentus repens, vix notum quempiam compellare audeam, ne dum ex me conditionem scisciteatur; ac inquirant, cogar vagam, imbecillam, inertemque eam profiteri; ac verendum (quod abominandum esset) ne reditus domum, (si aliquando con-

contingeret) quam abitus minus ex honore & dignitate esset : nam ante abitum plurimas (amico loquor) in conjugio rei bene gerendæ oportunitates omissas, speravi studio aliisque rebus me redimere posse: quæ spes si me destituat, nonne merito dicar, operam & oleum perdidisse, instar canis, qui umbram carnis in aqua affectans, veram, quam rictu gerebat, omisit. Huic itaque meo malo, si aliquid tandem remedii adhibere possis considera. Illud interim tuum consilium expeto (libertati meæ erga te ignosce) num unus aut alter salutandus erit munusculo, hoc est, amicitiæ & affectus monumento, sive sit equus Phrysonicus, sive poculum, in ea re non me torquebit dispendium, modo id approbaveris, & modum (si honestum videbitur) præscripseris. Sunt enim quidam qui hujusmodi res non morantur : homines fortassis ejusmodi naturæ, cujusmodi Philippus Rex Macedonum multos epistola sua ad filium existimat, judicans donis nullam amicitiam comparari: tametsi diversæ scholæ autores contra sentiant, quorum regula hodie prævalet, atque arcem tenet, cum & antecessores & veteriores rusticos, ut fabulæ & historiæ tradunt, quo animi affectum erga Deos ostenderent, illorumque benevolentiam, atque, ut ita dicam, propitiationem redimerent, non semper pinguibus pretiosioribus victimis, sed & lacte, secundum cujusque facultates, litasse. Hæc itaque tecum deliberatio eo pertinet, nequid temere, leviter, ac suspecte agam, quod pru-

prudentiæ, gravitati, juſtitiæ & temperantiæ minus ſit conſentaneum, tametſi nihil hic cupiam, quod ab honeſto non proficiſcatur, neque illos ad aliud etiam aures applicaturum intelligam, quam quod rationi paret. Quare cum animi mei ſententiam & coram nuper intellexiſti, & nunc quoque perſpectam habeas, cauſam meam atque adeo me ipſum tibi commendo. De Domini SCEPPERI ſinceriſſima amicitia nunquam dubitavi, neque dubito, cui quod me commendas gratias habeo immortales, ac peto, ut pergas Domino Præſidi SCHORANO nondum mei memoriam excidiſſe, nuper caſu ab aliis intellexi, cui ut per occaſionem, ſive coram ſive epiſtola eam renovas precor. Quod ſi fortuna mihi (quod abſit) inviderit, tum proximum fortaſſis erit, ut repetam Franciam poſtea quam certa jam pax coegit. De meo domicilio ſi ſcire deſideras, cum quodam meo hoſpite moror, qui Inſulis ad miliare ſeceſſit extra oppidum, ubi habet egregium prædium, cum ædibus quoque elegantibus, foſſis ac hortis cinctum; nam & peſtis non longe ab ædibus in urbe graſſata eſt, in eo prædio, ut aliquamdiu apud illum hæream oravit ac obtulit, quod & facilius impetravit, cum propter amœnitatem & ſitum loci, tum etiam ob hominis candorem. In hoc itaque ſuburbano prædio aliquando otium fallo, cum Muſis, ac horis interjectis à ſtudiis venamur, aucupamus; nam hoſpes, ut eſt homo nobilis in meam gratiam alit canes & aves. Ita ut mihi ſatis arrident

om-

omnia. De D. GOETSCALKO tibi triſtia cogor narrare; Is redux ex bello, poſtquam deplorata ferme valetudine Valencenas eſſet delatus, pridie quam fatis concederet, illum adivi viſitationis gratia, verum ita morbus linguam occupaverat, ut volentem loqui intelligere non potuimus. Regina Franciæ dicitur jam eſſe Cameraci, cum octingentis equis bruxellas itura. Vale Vir Doctiſſime, ſaluta neptem meam quæſo & *Iuffer* LUYTZ, & filias alias meas neptes. Miſi famulum in Brabantiam, ut inquirat tuam epiſtolam, deinde forte tranſcurſurus, ſi ita videbitur. Datum feſtinantiſſime ad miliare extra Iuſulas in pago nuncupato *Lomme*. Ipſo die Sancti Lucæ. CIↃ IↃ XLIV.

Tuus ex animo

HAYO CAMMYNGA.

EPISTOLA XV.

Reverendo ac Eximio Sacræ Theologiæ Profeſſori

D. RUARDO TAPPER,

Decano Sancti Petri Lovanii, Domino ſuo obſervando.

VEnerande Domine Decane; oſtendi Sereniſſimæ Reginæ noſtræ D. U. literas de delectu eorum, qui ex ordinibus mendicantium ad ſacrum Concilium mitti poterunt. Majeſtas autem ſua veſtro judicio acquieſcens, primo loco à vobis nominatos aſſumpſit, atque ad

eos

eos scripsit, ut se itineri parent, in eandem sententiam, quam literæ quoque vobis directæ continent. Ex Theologis autem vobis adjunxit, Magistros nostros, SONNIUM, HASSELT, & de TILETO. Canonistas autem duos necesse habemus ex Lovanienſi Academia assumere, cum conveniat ut ex iis, qui Tridentum mittentur aliqui sint, qui Universitatem ipsam Lovanienſem repræsentent: cujus nomine decrevit Regina ex sedecim quatuor deputare. Duos videlicet Theologos & totidem Canonistas inter quos Dm. Vm. primum cupit tenere locum, adjuncto sibi vel HASSELT vel TILETO, prout vobis videbitur. Inter Canonistas autem D. DRUTIUS ac Vulmarus cum primis idonei videntur. Et quanquam illi videntur excusari velle, tamen cum Reginæ sententia in ipsis assumendis persistat, nec alii sint qui perinde idonei habeantur, conveniatque omnino tales nomine Universitatis mitti, qui publicæ de ea opinioni ac famæ respondere possit, quæso, ut vestras preces Reginæ autoritati adjungatis, eisque persuadeatis, ne tale munus detrectent, poterunt interea pro lectionibus publicis aliqui substitui; nec ita diu vos abfore puto. Ac, si Concilium in longius tempus protrahatur, successores eis dari poterunt, qui ipsis redeuntibus in Concilii legatione surrogentur. Abbates duos delegit. S. Bertini & Furnensem, de duobus aliis adhuc Majestas sua deliberat. Abbati Parcensi quæstorium munus impositum est, ut si ab particu-

cularibus Provinciis earumque collectoribus pecunias recipiat, & cuique, quod ordinabitur, numeret mittatve. Et quoniam Prælati cæterique, qui in horum sumptuum contributionem consenserunt, tam cito pecuniam submini-strare non poterunt, interpellavit opulentiores aliquot Abbates Regina, ut præfato Abbati Parcensi, aliquot millia mutuo dent, quæ ex prima collecta ipsi restituentur, ne ob pecuniæ & viatici defectum profectio delectorum retardetur. Iubet autem Cæsar, ut ii cum primum poterunt itineri se accingant: quo cum Patribus Tridenti existentibus primæ sessionis, quæ mense septembri erit, materiam præparent. Quamobrem, Venerande Domine Decane, te etiam atque etiam rogo, ut te, quantocyus huic itineri pares, cæterosque Lovanii agentes, ad idem incites. De pecunia Parcensis Abbas respondebit. Ordinati autem sunt singulis Theologis Canonistis & Mendicantibus tres Philippei in dies singulos. Quod si pro vectura librorum & aliarum rerum necessariarum aliqui adjici desiderabunt, ego lubenter apud Reginam intercessorem me præbebo. Licebit usque ad Alpes nostratibus curribus uti, eo ubi erit ventum alpina reperietis vehicula, quibus impedimenta imponere poteritis. Delegit quoque Regina Licentiatum quendam, qui Secretariatus ac Scribæ munere apud vos fungatur, quem statuit præmittere, quo hospitia vobis Tridenti designetur; adjungemus quoque vobis nuncium publicum, qui in itinere securitati vestræ pro-

prospiciat. Curabo quoque diplomata expediri necessaria, & literas ad universale Consilium prout congruet, nec ex nostra parte aliquid desiderabitur: vos modo vobiscum statuite, & legationem tam sanctam communi studio promovete. Bene vale Domine cum primis observande. Ex Bruxella. v. Iulii, CIↃ IↃ LI.

V. D. Deditiss. Servitor
VIGLIUS ZUICHEMUS.

EPISTOLA XVI.

Illustri Heroi
D. LUDOVICO à FLANDRIA,
Domino de Praet, &c.

MUlti extiterunt & apud Græcos & apud Romanos Viri summi, qui etsi eximiis virtutibus præditi magnam & præclaram in Rep. gubernanda laudem consecuti sint; comitatis tamen humanitatisque commendationem insignibus aliarum præstantiorumque virtutum ornamentis gratiam ac favorem apud summos pariter ac infimos sibi longe maximum pepererunt, atque eo quidem, quod cum fere fiat, ut natalium splendor, dignitas, opes, honores etiam præstantissimos inflare atque insolentiores reddere soleant, si quis in eminenti positus fastigio humanitatis officia colat omnium oculos animosque in sui admirationem & amorem pellicit atque rapit. Atque hanc quidem virtutem tantopere a viris prudentibus laudatam, sive naturæ

ræ instinctu, sive magnarum bonarumque artium beneficio (quibus præter consvetudinem aliorum Magnatum apprime & delectaris & excultus es.) cum tu quoque eximiis prorsus dotibus, quibus te DEUS cumulate ornavit, adjunxeris, dici non potest, quantum omnium hominium favor, quanta gratulatio, quam crebra doctorum hominum, ut tui similes multi orbi Christiano Principes contingant, vota ubique in nostris regionibus personent. Neque vero ulla res alia æque me impulit, ut tuo nomini Tragœdias illas duas Sophoclis consecrarem. Quas cum gratas tibi fuisse, tum ex fratris mei, tum ex aliorum literis intellexissem, non mediocriter gavisus sum tanto Principi ac tam gravi judicio prædito quicquam potuisse placere quod meum fuerit, hoc est adolescentis vix tenui ingenio, eruditioneque minore, sed tamen amore ac indefesso erga literas studio. Proinde cum hac ratione benevolentiam me tuam conciliasse mihi persvadeam, omni studio, sedulitate, diligentiaque perficiam ut eam conservare possim, quam & magno mihi honori & ornamento aliquando futuram spero. Hac autem fiducia fretus, quanquam principio splendorem, amplitudinemque tuam animo intuitus, nonnihil reformidavi, literas has ad te mitto, Princeps Illustris, quas te æquo animo accepturum spes facit insignis tua eruditio, & incredibilis humanitas. Necessitas autem me huc durum telum adegit & incredibilis cursum meorum studiorum absolvendi

ardor. Quod fieri tanto cum fructu non poterit nisi tu te eorum Mecænatem hoc tempore digneris præstare. Quod quidem opus non esset, si adversæ fortunæ tempestas Patrem meum olim ex prospero rerum omnium statu funditus non demersissent. Nam qua ille, ut ipsius ferebat conditio, gratia apud Prudentiss. Cæsarem MAXIMILIANUM & PHILIPPUM Hispaniarum Regem floruerit, quos labores asperrimis ac difficillimis belli temporibus pertulerit, quæ officio hujus Augustiss. Imperatoris ætate Curiæ Burgundicæ præstiterit, multis in Aula Proceribus cognitum est, neque T. C. ut opinor, inauditum. Cum autem fortunæ iniquitate tandem eo redactus fuerit, ut in omnium bonorum suorum discrimen venerit, nihilque nobis prope reliqui, præter spem meram, fecerit, quæ tota in clementia & benignitate Imp. Majestatis posita est, ut ea non præstentur, quæ olim Patri, propter ingenteis labores exhaustos, donata à DD. PP. MAXIMILIANO & PHILIPPO fuerunt, saltem hoc contingat, ut habeam unde me sustentem honeste, donec optatum studiis meis finem imposuero. Ad quam rem consequendam non minimam in spem me erexit tua humanitas, & erga juvenes optimarum artium legumque studio deditos, favor, & benevolentia. Neque enim volenti tibi difficile impetratu fuerit, ut aliqua mihi pensio ad tres tantum annos ex Reg. Majest. fisco decernatur, qua interim sumptus studiorum meorum & hic & in Italia sustinere queam. Eam

enim

enim regionem videndi summo desiderio teneor, ex qua tanquam ex fonte uberrimo omneis bonarum artium disciplinæ, omneis pene leges, quibus Resp. feliciter fausteque, gubernantur, promanarunt. Quocirca C. T. etiam atque etiam obtestor, ut pro summo suo erga literas favore præsenti necessitati succurrat, ne forte inopia rei familiaris jam absolutum prope studiorum cursum cum gravi meo detrimento interrumpere cogar. DEUS conservet T. C. Incolumem, Princeps Clarissime. Biturigibus VII. Idus Iun.

T. Cels. Cliens addictiss.

G. RATALLER.

EPISTOLA XVII.

VIGLIUS ZUICHEMUS HECTORI HOXVIRIO,

Præsidi Ultrajectini Concilii.

QUod Reginæ Procerumque judicio ac amicorum consiliis in suscipienda Trajectensi Provincia tuam accommodaveris voluntatem, Clarissime HECTOR, id cum mihi inprimis volupe fuerit, tum tibi ac Reip. perpetuo faustum ac felix esse precor. Delectabit etiam te, ni fallor, urbis amoenitas & bellorum hominum utriusque ordinis consvetudo, in quibus HADRIANUS MARIUS, Præsidis nostri frater, ut cura consiliisque tibi conjunctus, sic ingenio ac doctrina & ipse excellens, molestiam

publicorum negotiorum jucundissima studiorum communicatione allevabit. Me autem, mi HECTOR, literæ tuæ ac NICOLAI, ejus fratris, quibus de secretioris Concilii conditione certiorem me reddidistis, magna me hercle sollicitudine evolvere. Ut enim emolumenta omittam, quæ hic mihi & certiora obveniunt, & minus forte vitiosa, præmia scilicet laborum, non munerum corruptelæ, ut taceam oportunitatem aliquid elucubrandi in literis, quod nominis immortalitatem, ad quam natura omnes aspiramus, conciliet; ut reliqua hujusce functionis commoda prætream, illud non minimum me movet, quod ego hujus superioris Germaniæ publicis rebus, lingvæ ac videndi consvetudini jam assvefactus, si isthic transiero, Lingvam Gallicam, cujus pene usum deperdidi, rediscere, & in universum pene vitæ rationem retexere, omniaque ab initio, quasi rursus exordiri necesse habebo. Cujus quidem me & in hac ætate ut non possit non pigere, sic aliquo etiam modo pudere debebit. Proinde sane ægre ad propositam conditionem animum applico. Ac si mihi, quod cœpi, institutum tueri liceret, confestim certe respuissem. Verum id non est palla gravissima epistola tua multis me rationibus fortissime in diversam vocans sententiam. Quas dum singulatim cœpi mecum expendere, animi dubius suspensa sententia de adeunda Brabantia consilium tandem cœpi, ut hujus functionis oblatæ, explorata certius conditione,

aut

aut veſtræ authoritati cedam, aut ad iſtam nondum renunciatam provintiam liberam mihi redeundi copiam mihi retineam. Ideoque, quo res interea integra iſthic eſſet, ad Secretarium NICOLAUM ante has per veredarium literas dedi, quibus me ad Paſcha proximum, quo coram ſuper conditione oblata conſtituam, adfore ſignificavi. Hoc cum rebus meis conſultiſſimum in præſentia viſum mihi fuerit, tum tibi quoque non diſpliciturum arbitror. Citius vero iſthic advenire commode mihi non licuit, & propter hyemem, & ubique pæne graſſantem peſtem, quæ interea forte mitigabitur. Et quia Illuſtriſſimo Marchioni Brandenburgenſi contra patruum Marchionem Georgium in maxima lite ab Principibus meis illius Curatoribus Advocatus recens deſignatus, vix ſperabam circa ejus litis ingreſſum & (ut nos vocamus præparatoria) abeundi me poſſe impetrare veniam, ut his proximis menſibus impedimenta amoliri conabor, quo tempore condicto certo adeſſe queam. Quum vero interea facile tibi ad me ſcribere liceat, rogo te, ne graveris me tuo conſilio per literas plenius inſtruere, ſi quid facto ..... opus cenſeas. De DOCCUMENSIS noſtri morte te audiviſſe arbitror; miſeret me uxoris ac liberorum, vereor enim ne rem haud magnam reliquerit, cum, uti ſcis, & laboris fuerit fugitantior, & lautior quam pro quæſtu & fortuna. Auſtria longa ſævaque mortalitate pæne exhauſta eſt, atque incredibilia

sunt, quæ ex Suevia, atque aliunde de eadem grassante lue referuntur, ut memoria hominum non extet tot locis tamque graviter pestem eodem tempore in Germania desæviisse. Omnino DEUM nobis offensum esse oportet, hinc crudelissimo, victoreque hoste nos premente, inde peste, ad hæc rebus omnibus domestica intestinaque dissensione misere afflictis. Mussitant & Bohemos res novas adversus Regiam Majestatem moliri: ita undique malis cingimur. Spiram hoc mense aliquot Principes, cæterorumque omnium Statuum Legati, juxta Comitiorum Ratisponsium decretum, conventuri sunt. Verum toties frustrati spem etiam deponere cogimur. Vale. Ingolstadii, III. Ianv. CIↃ IↃ XLII.

EPISTOLA XVIII.

VIGLIUS ZUICHEMUS *HAYONI à CAMMINGA.*

SI verum est, HAYO Ornatissime, quod vulgo dicitur, Leviorem dolorem reddi, quo plures una sufferunt, tua certe amantissima epistola non modicum mihi solatium adferre debuit, & me hercle attulit, dum meo vulneri mederi cupiens te ipsum de hoc tristissimo matris obitu indoluisse significas. Solebat quidem illa nobis referre, se pro patrio more accepisse à quadam IDA ab HERINGA, quam tibi aviam, an proaviam, nescio, fuisse dicebat, &

& quæ matrimonio juncta CAMSTRENSI, ni fallor, avi mei consobrino, nostræ familiæ amantissima semper extiterat). Quamobrem & ipsa mutuam benevolentiam, quam re exhibere non poterat, verbis subinde apud te testari solebat. Eam vero te non contempsisse, ac memori mente tenere, haud minimum mihi in cæteris eruditissimæ consolationis tuæ partibus levamen attulit. Porro studiorum tuorum successui, mi HAYO multum gratulor. Institutiones qui diligenter legerit, tituloque cæterorum librorum tenuerit, is certe amplam sibi viam ad juris civilis cognitionem aperuit. Hi quippe sunt, quasi indices quidam, qui ad cujuslibet materiæ notitiam ducunt, quas etiam propter expeditiorem lectionem, inventionemque faciliorem, memoria complecti inprimis conducit. Deinde vero si quis quid hodie in jure sapere videri velit, eum non offendi iis, quæ quidam delicatioris palati in glossis nostris culpant: magna enim & recondita eruditio in ipsis sita est, nec errarunt tot præclari Iureconsulti ad nostram usque ætatem, qui plurimum opere eisdem impenderunt. Me autem, quando & hoc scire postulas, multi invitant, ut rursus aliquid in lucem exire sinam, & habeo sane aliquot annorum fœtus, verum iis expoliendis ocium hactenus consequi nequivi, cum præter docendi provinciam multijugis hic occupationibus distinear. De nova Erasmianorum operum editione nihil hactenus intellexi. De nostra quæresa proximis nundinis cum *Frobenio*

coram agam; nam multorum literis in Inferiorem Germaniam revocatus, ſub id tempus profectionem inſtitui. *Aphricana expeditioni* nollem te interfuiſſe, vix enim ex iis qui Cæſaris ſtipendia ſecuti ſunt, tertius quiſque incolumis huc rediit, nec erat his opus tam longe hoſtem quærere, cum domi ac in ipſo Germaniæ limine is adeſſet, Budamque ac totam pæne Hungariam in ſuam poteſtatem redigeret. Unde jam totius Germaniæ vaſtationem quotidie timere cogimur, ut niſi quamprimum hoſtis retropellatur, de Auſtria viciniſque regionibus metuendum ſit. Rex FERDINANDUS undique opem implorat, omniaque tentat. Et quidem ſperamus Germanos juſto exercitu hac æſtate in Ungariam deceſſuros; ad quam expeditionem omnis ſe Germaniæ nobilitas accinctura videtur. Vale, HAYO ornatiſſime. XXV. Febr. CIↃ IↃ XLII.

EPISTOLA XIX.

VIGLIUS ZUICHEMUS *GEORGIO HERMANNO.*

QUanquam ſperabam meam iſtam migrationem in Inferiorem Germaniam nihil detracturam conſvetudini ſcribendi, qua per multos annos uſi fuimus, neſcio tamen qui fiat, at ab ipſo ſtatim initio diverſum experiar; nam ego & pauciſſimas abs te hîc literas accepi, & ipſe, ſive quotidianis occupationibus profectio-

ni-

nibusque impeditus, sive quod in Germaniam Superiorem profecturum me putaram, meum quoque officium segnius me præstitisse agnosco. Decreverat autem Regina me Nurenbergam mittere ad Comitia, quæ nunc isthinc habentur, ac jam ad iter eram paratus cum nobis hic difficillimum bellum incidit cum Rege Francorum, ut de iis rebus, quæ Nurenbergæ agendæ erant, consultandi tempus vix suppetat. Nam in Luxemburgensi Ducatu Ivodium oppidum à Gallis obsidetur. Contra Artheſiam Dux Vendomensis exercitum ducit. Ex Geldria vero in Brabantiam irrupit MARTINUS à ROSSEM, Mariscalcus Ducatus Geldriæ, cum peditibus XIV. CIↃ. equitibus CIↃ Regis Franciæ stipendia profitentibus. Unde huic Provinciæ graviſſimus metus exortus est; ac principio Antverpiæ tanta orta trepidatio, ut nisi confestim Proceres aliquo eo missi, equitesque ac pedites eo ingressi fuissent, de urbe omnium opulentissima in summum discrimen veniſſemus, nec enim tantum hostium vires timebantur, quantum domestica aliqua proditio, qua MARTINUS inprimis fretus fuit. Verum propitio DEO ita cuncta intra urbem constituta fuere, ut hostis urbem accedens, quum spe frustratum se cerneret, alio mox castra moverit. Cum vero Regina Mechliniam conceſſiſſet, quo ex propinquiore loco rebus commodius consuleret contra appropinquantem eo hostem, militem evocare, urbisque tuitioni incumbere neceſſe habuit. Verum hostes obvia quæque

incendio consumentes Lovanium abiere, atque ibi cum nulla præsidia essent, quidam cum hostibus paciscendum putavere, sed restitit melior civium pars, scholarium adjuta auxiliis, hostilesque impetus fortiter sustinuit. DAMIANUS tamen à GOES Portugallensis, cujus mihi olim de DIO Historiam donasti, ibi captus est. Inde vero hostis castra ad Hannoniam vertit, quo in Francia pervadens conjunctis copiis Belgicam hanc Provinciam denuo adoriatur. Nobis autem non tam miles, quam animus deficit: quanquam hactenus copias nostras in unum colligere non licuit, quo grassantem incendiis rapinisque hostem cohiberemus. Nec dici sane queat quanta huic Provinciæ damna parvo tempore illata sint. Accedit dedecus ac periculum metusque longe maximus, ut ipse sane hanc sive levitatem, sive timiditatem satis detestari nequeam. Equitum fere quinque millia habemus, peditum plus quam XXX. CIↃ. ac in his ex Superiori Germania XII. CIↃ. Hanc autem formidinem auxere principia non satis auspicata. Nam PRINCEPS AURAICENSIS, Comitis quondam HENRICI ab NASSAUW filius, in hostilem exercitum Antverpiam adventantem imprudenter incidens, duo pœne peditum millia amisit. Nunc etiam nobis à mari classis Danica imminere dicitur, quæ Hollandiam, Zelandiam, Frisiamque infestet. Audis belli initia, cujus quis exitus futurus sit, non satis video; mihi certe formidolosum in hac rerum conditione videtur; cum etiam timen-

mendum sit, ne (rebus infeliciter cadentibus) domestica aliqua seditio oriatur. Sunt enim vulgi animi hic valde mobiles, & in eorum, qui Reipublicæ præsunt, calumniam nimium propensi. Quæ ad te, mi HERMANNE, eo libentius scribo, quod te sciam Cæsaris nostri commodis prosperitatique semper faviſſe, ut optimi Principis sortem una doleas, mearumque inde rerum statum expendas, qui me ex illa quiete, qua altissime Ingolstadii fruebar, in hanc rerum perturbationem imprudens conjecerim. Sed sum sane magno animo, quem magis indignatio iniquioris fortunæ Patriæ, quam pœnitentia privatarum rerum angit. Verum DEUS, qui Cæsarem olim in æque adversis benigne adspexit, hæc (uti speramus) mala temperabit, ac nobis veterem tranquillitatem restituet. Bene Vale, Amice Chariſſime, ac me, ut soles, ama. Bruxellæ. v. Augusti. CIↃ IↃ XLII.

EPISTOLA XX.

Reverendis, Nobilibus, Clariſſimis ac Eximiis Viris

DEPUTATIS FRISIÆ,

Dominis & Amicis ſuis honorandis.

S. *Leoardiam.*

DOmini & Amici. Cum negocium pacis cui me quoque intereſſe voluiſtis, nunc ad collationem & concertationem veniat, & metuam ne Acta quæ hinc inde exhibentur; vel se-

ſerius vel non integra ad vos tranſmittantur. Quod ex quibuſdam cauſis antea nobis interdictum fuit, impetravi ab Illuſtriſſ. Duce Arſchotano & reliquis Ordinum legatis ut poſthac liceat mihi omnia quæ hic aguntur vobis & Tranſulanis ſeorſum & privatim communicare. Id quod eo magis urgere volui, ut vos eorum conſcii vobiſcum deliberetis an me ſecretò, quis veſter circa ea intellectus & voluntas ſit, admonere velitis, ne cum fidei meæ hanc rem una cum aliis commiſeritis, quicquam faciam quod intellectui & voluntati veſtræ adverſum eſſe poſſit.

Quantum ex Tranſiſulanis intelligere potui ea receperunt quæ uſque ad XVI Maji acta ſunt. Ad eos ergo reliqua perſcripſi & tranſmiſi. Et cum non dubitem quin & iſta vobis legati veſtri jampridem communicaverint nec alioquin magni momenti ſint, ordine & hic inde & quæ interea acta ſunt, referam & tranſmittam.

XVI Maji. Cum nomine Ducis de Terranova factum Principis Parmenſis excuſaretur, Induciæ recuſarentur, ante omnia vero Media, quæ conſtituendæ paci ſervire poſſent, à nobis peterentur XVIII ſequente reſponſum notatum hic litera *A.* primum ore dixi, dein in ſcriptis illud una cum primis noſtris articulis exhibuimus. Hos articulos non tranſmitto, quia non dubito quin eos habeatis.

XIX. Accuſati ſunt articuli noſtri quaſi duri præter rationem, prioribus pactis non conſentien-

tientes, ad quos nec Imperator, nec Rex, nec Dux de Terranova velit attendere, quare rogant ut eos corrigere, lenire & mitigare velimus.

XXI. Ad accusationem istam responsum notat. litera *B.* primum ore recitatum, deinde in scriptis ad petitionem Commissariorum exhibitum fuit.

XXIII. Aliquæ obscuritates & difficultates in articulis à nobis exhibitis per Principes Commissarios fuerunt propositæ & moderatio rursus petita.

XXV. Super his responsum not. litera *C.* datum est, & exhibiti secundi nostri articuli, quos quia jam ante accepisse vos existimo, non transmitto.

Post exhibitos articulos ore ea quæ notantur litera *D.* adjecimus, fit in his mentio conditionum, quas Archidux Matthias juravit, quæ non possunt vobis esse incognitæ.

Ab hoc die usque ad IX. Iunii nullum responsum à legatis Regiis accepimus ex nulla alia causa quam quod de die in diem expugnationem & occupationem Trajecti superioris expectaverint, ut per eam nos timidiores redderent, sed hoc die art. notat. litera *E.* nobis traditi sunt, iique ita commendati quasi justi & æqui essent. Deinde quædam alia proposita fuerunt, ad quæ nos responsum & annotationem sub literis *F.* & *G.* Deinde ad majorem Instructionem, Concordiam

diam articulorum sub litera H. concepimus & XI & XII die exhibuimus.

Habetis omnia quæ à XVI. Maji hucusque acta sunt, eadem quoque diligentia, cætera quæ posthac hic agentur ad vos perscribam & transmittam. Multa pro justificatione articulorum nostrorum & pro confutatione Regiorum art. dici potuissent, sed ne qua in re adversarios nostros offendamus, vel impedimentum aliquod confectioni pacis præbeamus, leniſſimè & modestissimè omnia exponere voluimus, ut si possibile est, ad desideratam pacem post longas tandem calamitates & miserias Deo volente, perveniamus. Sin verò eam æquis conditionibus obtinere non poterimus, justificatio ista necessaria erit, ne videamur Regi nos opponere in aliquo quod vel impium vel injustum est, atque ita Imperium erga nos concitemus.

Id quod in initio dixi, si me de quibusdam admonere secretò volueritis, libenter meum consilium ad vestrum accommodabo. Nihil enim magis opto, quam communicato inter nos consilio in hoc negotio progredi. Bene valete, mei optimi & amantiss. Coloniæ. II. Iunii Anno CIↃ IↃ LXXIX.

Vester ex animo,

AGGÆUS ALBADA.

EPIS-

EPISTOLA XXI.

Reverendis, Nobilibus, Clarissimis ac Eximiis Viris

DEPUTATIS FRISIÆ,

Dominis & Amicis suis honorandis.

S. *Leovardiam.*

DOmini & Amici. Posteriore scripto nostro quod proximè una cum articulis transmisi, etiamsi Domini Commissarii nonnihil se offensos fuisse ostenderunt, quod paulo acrius in eo visi simus officium eorum requirere, effecimus tamen eo ipso ut paulo propius ad petitionem nostram accesserint, restant tamen adhuc multa, quæ nisi simul impetremus, metuendum est aliquas adhuc provincias & civitates futuras, quæ nec poterunt nec volent iis articulis contentæ esse, & tamen salus nostra & incolumitas in eo posita est ut quæ vicinæ provinciæ sumus, concordes & unitæ maneamus, si separemur, nihil nisi præda & laniena Hispanis futuri sumus. Quamobrem visum nobis fuit, cum heri nobis mane novi articuli exhiberentur quos notavi hic litera Q. & R. secundum Ordinem, à prandio ea quæ sequenti scripto continentur, proposuimus & in scripto exhibuimus. Si pacem seriò cogitant, licet antea sæpius nobis recusatæ fuerint, non tamen nunc juste inducias denegare poterunt. Interea temporis quietis animis super omnibus Provinciæ inter se deliberare poterunt quibus vel pacem, quam ex toto animo à Deo pe-

petere debemus, impetrent, vel si necessitas cogit bellum diutius sustinere, cogitent quibus mediis hostibus suis superiores evadant. Nolim tamen propterea vos securos & segnes reddi. Nam tempore induciarum si eas obtineamus, quod adhuc incertum est, plura mala sæpe non moliri solum hostes solent, sed & ad effectum perducere quod in hoc bello propter domesticos & internos adversarios magis metuendum est. Valde miror vos nihil mihi ad omnes literas meas respondere, nec de statu Patriæ nostræ quicquam indicare. Bene valete Viri amantiss. Coloniæ, XIX Iulii, Anno CIↃ IↃ LXXIX.

Post scripta. De induciis obtinendis dubitare incipimus, sed adhuc idem metuo quod antea scripsi, quamcunque moderationem adhibere videantur nihil tamen quæri quam ut uni ab aliis separemur quod prioribus addere volui, ne spe induciarum à solita diligentia in avertendis periculis & procurandis necessariis desistatis. Iterum valete. Coloniæ XXI. Iulii. An. ut supra.

Vester ex animo,

AGGÆUS ALBADA.

EPISTOLA XXII.

Reverendis, Nobilibus, Clarissimis ac Eximiis Viris

DEPUTATIS FRISIÆ,

Dominis & Amicis suis honorandis.

S. *Leoardiam.*

DOmini & Amici. Nihil quidem singulare habeo quod scribam, sed cum Transisulani oc-

occasionem mihi dedissent ad ipsos scribendi, omittere non potui, quin per eundem nuncium vobis idem illud quod ipsis significarem. Recrearunt illi me quod ex literis eorum intellexerim se concorditer & unanimiter ea quæ patriæ suæ utilia & salutaria esse existimant, procurare. Si & vos quoque eodem animo inter vos affecti estis, omni partis studio depositio, est quod Deo Opt. Max. communi nostro nomine gratias habeam. Nam verè nihil ab Hispanis hactenus quæsitum est, & adhuc quæritur, quam ut in singulis provinciis discordias excitent, ut nos in nos mutuo insurgamus, mutuisque armis nos invicem perdamus & conficiamus. A Dominis Commissariis quoque etsi fortassis in animis suis pacem optent & quærant, nihil tamen est quod ab iis expectemus ut ultra quid concessuri & decreturi sint, quam quod Hispanis gratum & acceptum esse sciant. Sunt etiam quidam ex nostris, qui post ultimos articulos acceptos ostendunt se magis cum malè contentis quam Ordinibus sentire, & civitates multas inducere conantur ut ab universitate deficiant & particulatim cum Rege se reconcilient; antequam extremam resolutionem Ordinum, quam expectare iis nil cum æquum erat, acceperint. Intelligimus quoque jam ipsos Dominos Commissarios literas ad singulas provincias, tum etiam ad præcipuas civitates transmisisse, ut earum voluntatem singulatim cognoscant. Quid præterea literæ ipsorum contineant nescio, sed spero tamen unam quamque ea

discretione & prudentia futuram, ne quid privatim sed una cum sociis suis ad literas illas respondeant vel ad generale responsum quod arbitror nunc præ manu esse, sese referant. Intelleximus enim ex literis statuum prædictos articulos ad singulas provincias jampridem transmissos esse, optarem si etiam ad vos tales literæ vel à Collegis nostris, vel à Dominis Commissariis pervenerunt, earum mihi exemplum communicari, ut inde tanto melius quo consilia & conatus eorum tendant, cognoscere & perspicere possim.

Ab eo tempore quo postremò ad vos scripsi, & quæ acta tum erant, transmisi, nihil dignum scriptione incidit, quam quod petitæ tum induciæ nobis denegatæ fuerint. Ex Ordinum admonitione & voluntate x. Aug. proximo eandem petitionem de induciis renovavimus, prout ex hoc scripto, secundum ordinem nostrum literâ *s.* notato, cognoscetis. Ad hoc scriptum quicquid insistamus, nullum adhuc responsum accipere possumus. Quod amplius scribam, non habeo, sed hoc unum iterum moneo & oro vos, ut quicquid putatis Reipub. nostræ esse utile & salutare, quod vos ipsi quam optimè scitis, ut id communi consensu unanimiter & amicè inter vos tractetis & decernatis. Spero Dominum Deum pro sua misericordia medium semel daturum quo ab his calamitatibus liberemur. Utinam modo honorem Dei præ oculis haberemus & in ejus timore cum bona conscientia viveremus. Bene valete, Viri ho-

no-

norandi & amantiſſimi. Coloniæ XXI. Auguſti Anno CIↃ IↃ LXXIX.

Veſter ex animo,

AGGÆUS de ALBADA.

EPISTOLA XXIII.

Reverendis, Nobilibus, Clariſſimis ac Eximiis Viris

DEPUTATIS FRISIÆ,

Dominis & Amicis ſuis honorandis.

S. *Leoardiam*.

DOmini & Amici. Epiſtolam veſtram XIIII Auguſti ſcriptam hodie, qui eſt XXV. ejuſdem accepi. In ea inprimis miratus ſum quid evenerit prioribus literis & Articulis, quæ jam ante ad vos tranſmiſeram, cum eorum nullam hic mentionem faciatis. Certò enim ſcio primum faſciculum, quo literæ & Acta iſta continebantur, ad Senatum Leoverdienſem perveniſſe. Aderant enim aliæ privatæ quas apertas ab illis fuiſſe, per eum, cui inſcriptæ fuerant, cognovi. Nec dubito quin etiam alter faſciculus eodem pervenerit. Ne tamen ignari ſitis quæ præterea ad vos tranſmiſſa fuerint, ſupra ea quæ accepiſſe vos intelligo, exceptis etiam literis quas ante aliquot dies ad vos poſtremò dedi, mitto exempla primarum literarum mearum, quæ vos de Actis illis inſtruerit, inter quæ aliqua ſunt, quæ clarius juſtitiam cauſæ noſtræ explicant, & ad pertrahendos alios in

vestram sententiam plus commovere possent ⁊. Sed hæc hactenus.

De Articulis à Dominis Commissariis exhibitis omnino gaudeo judicia nostra convenire. Quod verò nonnihil vos malo habet, gratias illis ob eosdem Articulos actas esse, id studiose & callide à quibusdam nostrûm factum fuit ⁊. Nam postquam animadvertimus quo consilia illorum tenderent, & quorumdam etiam ex nostris, optavimus inducias fieri, ut interea rebus nostris quietioribus animis consulere possimus, propiusque ad hyemem perveniremus. Sed consilium nostrum ne nostris quidem probavissemus, tanto minus spei aliquid ad impetrandas eas conceptum fuisset, nisi hujusmodi speciosis verbis usi fuissemus. Nihilominus postea propositum nostrum deprehendisse videntur, petitasque inducias recusarunt. Redintegratio quoque ista, de qua scribitis, nec mihi nec quibusdam aliis placuit; sed superati sumus votis, ab iis qui jam in animo suo discessionem ab Ordinibus fecerant, sed aliquid sibi adhuc deesse videbant quo plures in partem suam pertraherent. Immutatio etiam ista in ultimis Articulis juxta præscriptum eorum de verbo ad verbum facta est. Sed de hac re & quibusdam aliis scripsi proximis meis literis, quibus quod nunc addam nihil habeo, nisi quod ex toto meo animo optem, ut quæ ad communem patriæ utilitatem agiti, ea unanimiter & concorditer per Status nostros concludantur.

Cum hucusque perveniissem, vocor ad Ducem

cem Arſchotanum ubi invenio ad proximum noſtrum ſcriptum de Induciis adjunctum reſponſum, quod juxta ordinem meum notavi Lit. T. à Duce de Terranova exhibitum eſſe. Non explico illud vobis quale ſit, quia ſatis per ſe perſpicuum eſt, & à prioribus actis non degenerat. Quapropter viſum nobis fuit nihil ad illud replicare, ſed incontinenti ad Ordines transmittere, cum hac petitione ne diutius reſolutionem ſuam extrahant, ſed quæ extremo petenda à nobis cenſeant, vel in quibus perſeverare omnino velint ut ea nobis ſignificent, quæ ſi denegentur, finem huic negotio imponamus.

Articulos Unionis veſtræ nondum mihi videre contigit, quare ut eos ad me tranſmittatis, rogo. Non dubito vos, in id intentos eſſe ut in contribuendo æqualitas inter provincias obſervetur, deinde ut certò ſciatis quomodo & per quos collectæ veſtræ exponantur. Tertio habere vos quoque in eorum concilio qui de neceſſitatibus communibus & privatis patriæ noſtræ recte conſulere & authoritatem ſuam interponere poſſint. Magna eſt hoc tempore hominum perfidia, avaritia & malitia, quibus ut occurratur non minus quoſdam ex veſtris quam alios præſentes eſſe æquum eſt. Bene valete Viri optimi & amantiſſimi. Coloniæ XXV. Auguſti, Anno CIↃ IↃ LXXIX.

Veſter ex animo,

AGGÆUS de ALBADA.

EPISTOLA XXIV.

Reverendis, Nobilibus, Clarissimis ac Eximiis Viris

DEPUTATIS FRISIÆ,

Dominis & Amicis suis honorandis.

S. *Leovardiam.*

DOmini & Amici. Cum negocium istud Pacificationis in eo statu sit quod singulæ provinciæ suum judicium interponere debeant super articulis qui jam pridem hic fuerunt exhibiti, valde miror me nihil à vobis intelligere, quid à patria nostra in hac re actum & conclusum sit: fortassis etiam non malè feciſſetis si per proprium nuncium, (cujus merces non adeò gravare patriam potest) me de vestro ad unumquemque articulum judicio admonuiſſetis. Priusquam à communibus Statibus nostris resolutio super iis petita fuisset: colligo enim ex iis literis quæ ad nos ab Archiduce & Ordinibus scriptæ sunt, uniuscujusque provinciæ judicium & voluntatem super prædict. articulis requisitum esse, cumque omnium provinciarum non una & eadem constitutio sit, nec pares vel necessitates vel privilegia, ita summo judicio opus erit, ne ex parte propriæ nostræ quicquam mittatur, quod ad incolumitatem, securitatem & salutem ejus aliquo modo conducere poterit. Siquidem non dubito in generali resolutione quæ per Ordines fiet rationem eorum habitam iri quæ à singulis provinciis proposita fuerint.

Vel

Vel forte visum vobis est, resolutionem istam non seorsum cum Statibus nostris, sed Deputatis ad hoc quibusdam eam cum reliquis unitis Provinciis inire & accipere. Utcunque sit, saltem non gravabimini, mihi (qui hic vicem vestram obeo, vobisque quam Transisulanis conjunctior sim, qui hoc tamen diligenter & ut spero non inutiliter faciunt) de omnibus actis vestris significare, ut secundum ea consilia mea ex voluntate vestra dirigere possim. Scire etiam semel ex vobis cupio, qua fiducia putetis vos libertatem vestram in perpetuum tuituros, cum omnes arces apud nos integras relinquatis. An hoc vobis svadent unitæ Provinciæ. Quod restat, mitto vobis ea scripta & literas quæ ab eo tempore quo ultimò ad vos scripsi, hic exhibita sunt, notata sunt juxta ordinem nostrum literis *V. X. Y. Z.* volebam iis adjicere binas literas propterea quod prudenter mihi scriptæ visæ fuerint, quas Status Brabantiæ, unas ad Dominos Commissarios, alteras ad Ducem de Terranova his proximis diebus dederunt, sed otium ad describendas eas Scriba meus non habuit, mittam illas postea. His finem facio, vosque gratiæ & misericordiæ Domini supplex commendo ut in ea agatis & valeatis, Coloniæ XXIII. Septemb. Anno CIↃ IↃ LXXIX.

Vester ex animo,

AGGÆUS de ALBADA.

EPISTOLA XXV.

Reverendis, Nobilibus, Clarissimis ac Eximiis
VIRIS
DEPUTATIS FRISIÆ,
Dominis & Amicis suis honorandis.

S. *Leoardiam.*

DOmini & Amici. Cum alioquin ad vos scripturus essem, ob ea quæ mox dicam, supervenit nuntius Ioannes, mihique indicat sibi literas, quas ad me dedistis, in itinere ereptas esse, graviter perculsus & contristatus fui, ne fortè literæ illæ aliquid contineant, quo consilium aliquod vestrum, vel statum patriæ, ex quo inimicis vestris occasio detur citius adimplendi, quod in animis suis jam multo tempore versant, cognoscant & percipiant. Sunt enim literæ illæ ereptæ ei ab illis, qui in arce Bleienbeck in præsidio sunt, ubi & quosdam ex nostratibus esse intelligo, qui cum iis, qui sunt Emricæ & in Rees, quotidie communicant, & jam forte etiam huc eædem literæ tum ad Ducem de Terranova, tum ad alios missæ sunt. Itaque tanto celerius mihi scribendum esse putavi, etiamsi sumptibus non libenter patriam nostram onerem. Inprimis scire vos velim eas literas vestras quas Daventriam misistis, quæ scriptæ fuerunt VI. Septemb. me primum VIII. Octob. accepisse, è quibus satis intellexi, negotium quod hic agitur diligenter & prudenter

ter

ter à vobis examinatum & ponderatum esse. Quæ etiam inter vos, qui arctiori fœdere juncti estis, conveniistis & decreviistis, ea similiter summa ratione & judicio facta esse video. Unum solum doleo, quod intelligam magnum nostratum esse numerum, tam ex nobilitate, quam ex aliis, qui actionibus vestris, quæ tamen hoc rerum statu non alio quam ad Dei honorem & salutem patriæ serviunt, adversentur; & inter hos reperiri, qui Hispanos contra nos movere & ducere moliantur. Hoc mihi credite, fuisse ex nostris, qui institerint apud Parmensem pro tribus millibus Hispanorum, quorum auxilio polliciti sunt, se ditionem nostram in Regis potestatem reducturos: Parmensem quoque apud Hannonienses & Artesienses Status sollicitasse, ut sibi permitterent eum militum Hispanorum numerum in partes nostras ablegare, velleque se ibi eos relinquere. Sed tamen non existimo petitioni ipsius locum datum esse. Nihilominus quam malevolum, invidum & vindictæ cupidum animum hi erga propria membra sua habeant nimis proh dolor manifestum est, quippe velle patriam, proprioque consanguineos & populares, sine discrimine sexus vel ætatis, privati sui odii, commodi & honoris gratia, omni genere cruciatus, fœditatis & servitutis afficere, violare & perdere. Sed nec hunc animum deposituri videntur. Donec vel per Hispanos vel per alios effecerint, ut si non eventus, qualem desiderant, sequatur (quod in solius Dei consilio & arbitrio

positum est) saltem conatus eorum, cum magno nostro malo in opus educatur. Ita pro certo ad nos hic refertur, justum exercitum in decimum sextum hujus paratum futurum, qui contra, Gronnigenses & vos destinatus est; atque id est quod in initio dixi me velle vobis significare. Quidam etiam ex illis honestius & gratiosius nomen Malecontentorum prætexunt, sed revera in animis suis nihil curant sive sub hoc nomine, sive sub alio rerum apud nos potiantur. Malecontentorum factum justo Dei judicio relinquo, sed effectus aliquando ostendet quale consilium adversus semetipsos & populares suos ceperint. Quinetiam, qui sincerè tales sunt non hoc armis à reliquis extorquere debent, sed justis rationibus illis persvadere. Temporis enim adhuc satis est, ad articulos & conditiones cum Malecontentis concluſos & initos amplectendum. Quod ad me attinet, non possum aliud statuere, quam quod finis miseriis nostris citius imponetur, si contenti simus iis articulis, qui in fœdere Trajectensi conventi & publicati sunt, quam si vel illos, vel qui hic adhuc propositi sunt, approbemus. Et utinam ii qui à vobis dissentiunt in hac re mihi fidem habere velint, nihil quæri adhuc aliud, quam ut diffidia & factiones inter nos excitentur, vel saltem in eo consilium meum sequantur, ut vobis assistant ad tempus aliquod, nec contraria consilia à vobis capiant, donec videamus quò se tum præsens tractatus tum alii conatus & consilia tam Cæsaris quam Regis nostri, inclina-

nabunt. Si concordes & unanimes permanserimus, longè aliam quam quæ adhuc se offert catastrophen visuri sumus. T. Quintius Græciæ urbes ad mutuam concordiam cohortans, adversus consentientes inquit. Nec Rex quisque satis validus, nec tyrannus est, discordia & factiones omnia oportuna insidiantibus faciunt. Quo pertinet etiam quod Philippus Comínæus in lib. II. de rebus gestis Ludovici scribit: Quemadmodum expedit Principi hostium suorum, si duo vel plures sunt confœderati, amicitiam quoquo modo dirimere, ita ii qui contra vim alicujus potentioris sunt confœderati, inprimis cavere debent, ne ullus pollicitationibus aut arte aliqua à se mutuo divellantur, auxiliumque alter alteri detrahat, quod cum fit non illius modo qui ita desertus est, fortunæ omnes ac facultates, sed etiam alterius non multo post occasione data in discrimen adducuntur. Item paulò post. Quoties illi qui fœdere conjuncti sunt, secessionem faciunt, & se dissipari patiuntur, dubitari amplius non debet, quin paulatim omnes cladem aliquam accipiant, idque pertinet tam ad Principes quam ad civitates, & quoniam ejus rei plurima exstunt documenta, longiore sermone nihil opus est. Hæc ille. Utinam hujus doctrinæ quæ probatissima est, memores simus. Sed cum metuam ne fortè dissidium illud, quod indies apud vos crescere audio, ex nimio studio hujus aut illius partis, vel ex æmulatione & ambitione quadam causam & occasionem ca-

capiat, amanter vos rogatos & admonitos volo, ut libenter consilia vestra cum iis, quos scitis patriam una vobiscum diligere, etiamsi putentur forte circa omnia non idem quod vos sentire, communicetis. Nihil enim vel à me scribitur vel à vobis adhuc tractatum video in communi Reipub. negocio quod non præstet in omnium notitiam pervenire, vel quod possit à quoquam patriam amanter reprobari. Hoc tamen præcipue cavere vos velim, ignoscite quæso libertati meæ, ne quid ipsi contra morem patriæ vel privilegia ejus committatis, vel, per alios qualescunque sint, committi toleretis, ne dissensionis causa vel ansa calumniandi cuique præbeatur. In Deputatis ordinandis sit libera Statuum electio, vel pari numero ex utraque parte qui diffidere videntur, eligantur, qui si inter se concordare nequeant vel causa magni momenti sit, adhibeantur etiam alii, quos satis idoneos ad hoc æstimemus, si naturaliter pro viris bonis, justis & intelligentibus habeantur, quique salutem patriæ non minus quam suam propriam salvam & incolumem esse cupiant, fiat amicabilis collatio & communicatio, spero nullum inter vos dissensum futurum, vel leniorem, quam qui communi bono incommodare poterit. Circa omnes honores & officia ita universos affectos velim, quamadmodum Plato scribit de ea civitate, quæ ex unis bonis constat. Nam hi quam intelligunt boni magistratus mercedem esse non pri-

privatum quoddam emolumentum, ſed publicam utilitatem ſubjectorumque conſervationem, ac proinde varias difficultates recte imperantem, & ut decet rectè officio fungentem ſuo manere, non ſolum ab omni honorum cupiditate alieni ſunt, ſed ita certatim incumbunt ne imperent veluti hodie certatur ut imperent. In bonis etiam quibuſcunque occupandis præcipuorum quæſo conſilio & conſenſu utamini, publica utilitas ita quæri & curari debet, ne privati per hoc labantur, præſertim ii, quibus commune bonum vobiſcum curæ eſt: ſaltem cauſæ & rationes veſtræ prius illis qui intereſſe habeat, exponantur, qui ſi juſtæ ſunt, nemo Vir bonus etiam cum damno ſuo reſiſtere iis volet. Hoc niſi fiat majora in vos odia, & majores metuo factiones in patria noſtra excitabitis. Iuſtitia ubique vigeat & leges ſtrictiſſimè obſerventur, ne illius defectus majorem materiam factionibus & calumniis adverſariorum veſtrorum præbeat. Ad magiſtratus non niſi viri boni & juſti promoveantur. Bonus enim magiſtratus efficit ut vitam fœlicem homines vivant, quantum poteſt aliquid in hac vita eſſe fœlicitatis: malus è contra vitam per ſe miſeram plane reddit intolerabilem. Sed hæc ſatis. Duo iſta ſignificata potiſſimum volui, literas veſtras cum magno meo dolore interceptas eſſe.

De-

Deinde quæ intellexi inimicos noſtros adverſus patriam noſtram moliri. Quæ præterea adjeci uti ſincero animo à me ſcripta ſunt, eodem animo à vobis quoque accepta in omnino confido. Bene valete Viri optimi & amantiſſimi. Coloniæ. IV. Novemb. Anno CIↃ IↃ LXXIX.

Veſter ex animo, quem noſtis,

AGGÆUS ALBADA.

EPISTOLA XXVI.

Reverendis, Nobilibus, Clariſſimis ac Eximiis Viris

DEPUTATIS FRISIÆ,

Dominis & Amicis ſuis honorandis.

S. *Leoardiam.*

DOmini & Amici. Quæ de Groninga intellexi, non parum me perturbarunt, nec ſatis ſuper inconſtantia & ſimulationibus iſtius Iuvenis mirari poſſum, quamque neſcio quid mihi animus meus de illo preſagierit, quod ſpero vos ſatis ex litteris meis, iis quas proximè ad vos dedi incluſis, cognoviſſe. Non enim dubito, cum iſthuc tranſmitti non potuerint, quin litteras iſtas aperueritis, id quod facere vobis etiam per me licuit, atque utinam ante eò perveniſſent, præcipue illa quæ Conſuli Alberdæ inſcriptæ erant, fortaſſis Senatus & Cives iis moti non tantam fidem juveni iſti adhibuiſſent. Sed ut illi non ceſſent in peſſimo ſuo propoſito perſeverare, non oportebit vos pro-

propterea abjicere animos. Verum qui patriam noſtram ab arcibus iſtis mirabiliter liberavit, quibus conſiſtentibus humana ratione vix jam ſalvi eſſe poſſemus, is etiam efficiet, ut conatus Groningenſium niſi reſipuerint, quod ſperare non deſino, in nervum erumpant. Quid ſcimus an etiam DEUS velit in iſta parte Phriiſiæ majorem aliquam mutationem introducere, quæ hactenus per quoſdam Cives impedita eſt; Nihilominus, ut dixi cum iſta Civitas de cujus ſalute non minus quam de noſtra ſollicitus ſum, præter eos quos audio comprehenſos eſſe, multos etiam alios viros bonos habeat, ſpero horum interceſſione effectum iri, ut penitius factis & Conſiliis prædicti juvenis examinatis, Et affectu qui neceſſario ex hac mutatione conſequetur, expoſito, ad mentem reverſuri ſint, ipſoſque libertatem ſuam non in oppreſſione & ſervitute vicinorum, ſed in communi conſervatione & ſalute poſituros eſſe, Id ut fiat ad confuſionem hoſtium noſtrorum, qui hoc facto illorum, jam ſe cunctos nos devoraſſe exiſtimant Dominum Deum unicam ſpem & auxilium noſtrum ſupplex rogo. Facies iſtorum tota nunc immutata eſt Convivia & gaudia ubique, atque ut factum illud excuſent, affingunt alliis, neſcio, quas proditiones, qua in mentem illis ne per ſomnium quidem, ut ego credo pervenerunt. Non ceſſant curſitare & inſtare apud Parmenſem, ut ſubſidia pro Groningenſibus obtineant. Sed & indè nuntii quoque ſecretò huc miſſi ſunt, ob eandem ut conjicio cauſſam,

Cer-

Certum est multos adhuc milites circumcirca conscribi, sed quando parati erunt, nondum quicquam veri significare possum, nisi quod rumor sit intra dies paucos delectum in Carpen habitum iri. Dubitare tamen non debemus, si Groningenses in suo proposito perstiterint, nec his pecunia desit, quam adhuc deesse nonnulli arbitrantur, Parmensem, eosque qui ei à Consiliis sunt, occasionem illam, qua per illos ad occupandas istas Provincias non minima potiti sunt, non neglecturos. Adversus hoc periculum, quod hinc imminere nobis potest nihil habeo præsentius, quam ut incontinenti operam detis, quo alius Gubernator provinciis istis decernatur. Ut Domini Vilæi auctoritas, si qua adhuc alicubi pollere potest, alterius auctoritate tollatur, & retundatur; Deindè ne si sine Capite diu existatis, majores factiones & discordiæ oriant, cum multorum juditia & obtrectationes subire cogamini, in iis rebus agendis, quas ratione officii vestri & periculorum quæ præ foribus sunt, omittere non potestis; Atque utinam Dominus Deus talem vobis ad eligendum in mentem det, talem etiam gratia ejus à Statibus obtineatis, à quo non necesse habeatis timere, ne propter Religionem, ullam vobis molestiam exhibeat; Deindè qui etiam per se velit & per amicos suos possit (adjuvante inprimis eodem Deo, in quem unicè nos respicere oportet, in homines autem ut ministros illius) patriam nostram in libertate illa Conscientiarum personarumque & rerum conservare. Quamobrem

obrem etiam neminem vos recipere velim, quem non prius obstringatis ne quicquid sine Consilio vestro vel eorum, quos Status nostri illi adjuncturi sint, in negotiis patriæ nostræ agat aut decernat. De Cæteris etiam, quæ vos ibi melius consultabitis quam ego vel intelligere vel scribere potero, patriæ nostræ providete, ne in idem periculum, quod per hunc subiistis & nisi Dominus pro sua misericordia averterit, adhuc subire poteritis, vel etiam in eandam servitutem, quam sub præcedentibus passi multis annis sumus, incidamus. Plura quæ nunc scribam non habeo, sed vos Consilio & auxilio Dei Opt. Max. ut iis freti ab impendente calamitate patriam nostram protegatis & conservetis, supplex commendo. In eodem vivite & valete optimi & amantissimi Domini & Amici. Coloniæ. XIX. Martii. Anno CIↃ IↃ LXXX.

Vester ex animo,

AGGÆUS de ALBADA.

EPISTOLA XXVII.

Reverendis, Nobilibus, Clarissimis ac Eximiis Viris

DEPUTATIS FRISIÆ;

Dominis & Amicis suis honorandis.

S. *Leoardiam*

DOmini & Amici. Iam ante quædam de statu illius Concilii intellexeram, quorum

respectu nonnullis etiam amicis inter vos, item extraneis quibusdam, qui apud me institerant, ut interesse ei non gravarer, significavi, invenire me onus ejus tale esse, cui perfungendo, cum propter infirmitatem animi mei, tum maxime corporis, quod calculo graviter obnoxium est, par esse non possim : visis nunc Articulis, quos ad me transmisistis, sive res ipsas considerem, sive modum tractandi illas, per modum intelligo continuos labores, sessiones longas, peregrinationes, &c. verè vobis dicere possum, me non esse illi muneri parem. Labores quos annis jam XXX. sustinui, vexationes & dolores animi mei, quos DOMINUS mihi ad salutem meam maximos dedit, non solum sensus meos ut visum & auditum minuerunt, sed & alacritatem ingenii mei & memoriam gravissimè labefactarunt, sicut testari possunt illi, cum quibus quotidie versor. Sed ut illa adhuc tolerabilia quibusdam videri queant, tamen ita torqueor propter Calculum rhenum & vesicæ doloribus, ut si unam aut alteram horam continue sedero, postea non sine difficultate corpus meum erigam, atque itioni subserviens reddam. Accedunt frequentes dolores capitis, quos inde etiam oriri existimo, qui ad longos & difficiles labores me prorsus morosum & inutilem reddunt. Iam quod ad res attinet, quæ necessario in Concilio isto tractabuntur; pleraque tales esse video, quæ requirant versatile, alacre & intrepidum ingenium, quod non facile querelis hominum, rumoribus, ad-

adversitatibus, &c. permovetur. Hic multum etiam in me desidero, certoque scio plures apud vos esse, qui istis rebus tractandis magis sunt idonei. Nihilominus non cogito ullo modo me rursus quieti dare, vel negotiis patriæ me subtrahere, sed cupio una vobiscum posthac non minus quam huc usque consulere, quomodo ab hostibus nostris defendi, quomodo etiam quam optime & piissimè Respubl. nostra paulatim constitui possit. Quapropter si modo me aliquid operæ ad hanc rem præstare posse putetis, ad media cogitare incipiam, quibus res meas ita disponam, ut possim habitationem meam propius vobis accipere, unde sine incommodo & periculo aliquo brevi tempore liceat mihi ad vos excurrere. Confido me plus boni patriæ meæ, si in libertate mea mansero, allaturum, quam si me in Concilium istud dedero. Forte etiam isto modo vicinis Provinciis ad communem concordiam aliquid servire potero. Quapropter officiosè & amanter vos oro, ut me excusatum habeatis, sicut etiam me Comes Iohannes gratiosè excusatum habuit propter easdem Causas, qui me libenter ad se in Geldriam pertraxisset. Spero etiam D. Duconem à Martena, quo nullum magis idoneum ad id munus scio, non ægrè laturum, multoque minus munus illud recusaturum, ut alius ipsi Collega adjungatur, ubi justas excusationes meas, maximè vero oblationem istam, intellexerit. Idipsum quoque summoperè ab eo patriæ nomine postulo, vosque iterum ma-

jorem in modum oro ac obsecro, ne me ad hoc munus suscipiendum amplius inducere conemini: quodvis aliud onus paratus subire, quod in libertate, in qua quod reliquum vitæ est, permanere statui, præstare potero. De incolumitate patriæ vestræ, non minus sollicitus sum, quam de propria anima mea, sed ipsi sine dubio etiam animadvertetis, non minus me privatum, quam publico illi muneri obstrictum rebus patriæ unà vobiscum servire & prodesse posse.

Valde doleo intellexisse me Acta quæ jam ante duos menses impressa sunt, nondum ad vos perveniisse, vel vos non bibliopolæ alicui injunxisse, ut Antverpia vel Leida allata apud vos divenderet, cum de editione eorum jampridem vos admonuerim. Fortassis qui nunc vel adversarii sunt, vel in alteram partem inclinare incipiunt, iis lectis, illi vobis reconciliarentur, hi verò in Ordinum fide permanerent. Tam rara ubique inveniuntur exemplaria, ut arbitrer ab hostibus nostris pleraque coëmpta & suppressa esse, ea scilicet quæ Annotationes adjunctas habent, ne in subditorum manus veniant. Omittere igitur diutius non potui quin Exemplar vobis mitterem. Et si materia placeat, dabitis operam ut plura exemplaria advehantur. Ob supradictam caussam, & aliam quæ me ipsum concernit; à transmittendo hactenus abstinui.

De honorario meo non ignoratis, quid jam ante vobis scripserim, quia verò non eo minus

as-

assignationem partis ejus pro vestra erga me benevolentia facere mihi voluistis, pro eo quam maximas vobis gratias habeo. Nostrates Capitanei plerique & quidam alii in hac urbe adhuc hærent, & me domi latere faciunt. Exercitus eorum cognominatus *dat Frieſche Regiment*, ex pago *Kuhoven*, de quo proxime vobis scripsi ad Comitatum *Moers* movere dicitur. Quia Geldriæ ibi nimis prope sunt timere sibi incipiunt. Trajectus illis *durch die wtleggers* difficilior redditus videtur; qua de re tamen Dominus GELDORPIUS certius vobis aliquid significare poterit. Exspectare se hic dicunt Dominum de Montigni, qui secum CIↃ. Equites adducturus est, CIↃ IↃ. Sclopetarios Vallones. Sed speramus inanem jactationem esse. Deest illis adhuc pecunia. Cætera ex præcedentibus meis literis. Bene valete Viri optimi & amantissimi in eo qui curam vestri gerit *Christo Domino & Deo* nostro. Coloniæ, XXVIII. Maji. CIↃ IↃ LXXX.

Vester ex animo,

AGGÆUS de ALBADA.

EPISTOLA XXVIII.

Clarissimo Viro D. Doctori

HESSELO AISMA,

Frisiæ Præsidi vigilantissimo, Domino observando.

MItto tibi, Vir Clarissime, inclusas hisce literas Regiæ Majestatis Angliæ, &c. & earum exemplum, ut quid iis contineatur videas. Scriptæ sunt ad Ordines Frisiæ, atque,

ut bona fide ad eos, quibus destinatæ sunt, perferantur, mihi traditæ. Ego, quantum Reg. Majtis. mentem ex literis & relatu Suæ Exæ. cognosco plurimos ex Deputatis nostræ Frisiæ, quam aliarum Provinciarum notari judico iis verbis (*aux menées & artifices de tels, &c:*) quæ de falso pacis pactæ rumore à multis sparso proculdubio sunt accipienda, præsertim cum hæc verba interprætationem clariorem accipiant ex littetis, quas Sua Exa. Senatui & singulis civitatibus scripsit, ubi de istorum rumorum authoribus multa, ideoque non Delegatis (propter suppressionis periculum) sed ipsis Ordinibus tradendas arbitror. Non male itaque (me Iudice) feceris, si ex consilio Senatus Ordines Frisiæ convoces, qui eo majorem conveniendi causam habent, quod ad literas, à sua Exa. missas, iis respondendum erit. Nunc enim necessum est, ut sincere mentem & voluntatem suam vel secundum pacta & decreta priora bonam, vel ad quorundam libidinem corruptam aperiant. Nunc fateantur oportet, publice decretam fuisse Suæ Exæ. plenissimam Frisiæ administrationem, verùm inscii se eandem necdum traditam esse. De authoribus certum est, ita ut inquisitione aut indicibus opus non sit. Mitto etiam Declarationem à sua Celsi. Ordinibus Generalibus propositam, cujus ad singulas civitates & Goas exemplum singulis litteris inclusum sua Exa. misit: neque dubito, Domine Præses, quin patriæ, suæ Cesitudini, nec non ipsi Majti. Regiæ, bonisque omnibus eam, quam po-

potes & ſoles operam ſis præſtiturus. Frater veſter intra biduum ad vos cogitat, omnium rerum, ut hic geſtæ ſunt, hiſtoriam narraturus. Miranda eſt in optimo Principe affectio erga bonos omnes, & multorum in ipſum nimis petulans & impudens ingratitudo; Ea niſi aut emendetur ab ipſis authoribus, aut ab aliis coërceatur, interitum patriæ & bonorum omnium ſecum trahet. Hæc liberius ad te, Dne. Præſes, quam debebam. Verum quia de humanitate tua certus ſum, non dubito, quin in optimam partem hæc ſis accepturus. Vale Vir clariſſ. & me commendatum habe. Dordraci 1. Septembris CIↃ IↃ LXXXVII. ſtylo novo.

Tui obſervantiſſimus,

D. RICHÆUS de POSTELLA.

EPISTOLA XXIX

A nos bons Amys les

ESTATS de FRISE,

ou a leurs DEPUTES.

Meſſieurs;

LA meſme ſincere affection & ferme volunté, qui nous avoient a commencement induite a embraſſer la defence de vous, & de ces pays la, & la conſervation, que de le commencement nous avons de vos afflictions, retenant excores le meſme lieu & forcæ ex nous pour vous ſoulager & pourchaſſer voſtre bien

& repos universel, joinct aussi la cognoissance que nous avons des desordres & confusions grandes, qui sont survenus par de la, de puis le partement de nostre Cousin le COMPTE DE LEYCESTRE, nous ont faict a l'instante requeste, qui nous en a esté de vostre part faicte, le renvoyer à præsent a sa charge, comme ayants ceste consideration, qu'a faute d'un chef qu'y gouvernast avecque le respect & authorite, qui luy est convenable, & luy doibt estre maintenüe, *telles confusions ont este traineez & si artificiellement conduites par les cautelles de quelques mal-affectées, qu'a peu pres elles ne fussent cause de vostre ruine & de la cause commune, & de faire alterer aussi nostre bonne volunte & affection, de la quelle neantmoins nous n'avons voulu estre divertie, quoy que tels gens ayent taschè a nous en donner des grandes occasions*, ains avons mieux aymé de continuer nos faveurs pour le bien de vous tous, comme d'un peuple que nous aymons comme nos anciens bons Voisins & Alliez, (a) *& de qui l'innocence nous est assez bien cognue*. Or comme pouvez veoir que nous n'espargnons nos meilleurs moyens pour vostre seul bien, sans regarder a aultre fin, jusques a y exposer au hasard un des plus signales & premiers Seigneurs de nostre Royaulme, & que nous tenons si cher, aussi nous esperons que vous continuerez à luy monstrer toute bienveuillance, & luy donnerez toute bonne assistance comme veritablement nous scavons & recognoissons que de vostre costé vous y estes

(a) Populi sc. & Ordinum ipsorum.

tres-

tres-bien (*b*) acquittez) ſans que donnez lieu ou faciez connivence aux menées & artifices de tels, qui taſcherent a vous ſeduire & ſejoindre de nous par une (*c*) opinion faulſe, & contraire à noſtre ſincere intention, de la quelle nous vous aſſeurons par ces præſentes, Vous remettant au reſte a ce que de temps a aultre vous fera entendre noſtredit Couſin de noſtre part; Qui ſera l'endroict ou nous ſupplierous le Seigneur qu'il vous ayt touſjours en ſa ſaincte & digne guarde. Eſcript à noſtre Chaſteau a Grenwiche, ce Iour de Iuing. CIↃ IↃ LXXXVII.

Voſtre bien affectionnée,

ELIZABETH. R.

(*b*) Hæc de iis accipi non poſſunt, qui authoritatem ſuæ Excellentiæ contempſerunt.

(*c*) De pace, quam Regia Majeſtas cum Hiſpano pepigiſſe falſiſſimè ſpargitur.

Hæc tibi ſoli, Vir Clariſſime, donec ipſæ litteræ publicè lectæ erunt.

Quæ heic latinè adſcripta ſunt, erant à manu Richæi. Belgice exſtat hæc & præcedens Epiſtola apud Berrium, Lib. xxiii. quem vide.

EPISTOLA XXX.

Illustri ac generoso Domino,

Domino GUILIELMO,

Comiti de NASSAU, Gubernatori FRISIÆ;

ac Dominis

DEPUTATIS ejusdem Provinciæ.

Nobiles Prudentesque Domini,

CUm per literas, primo Februarii datas, mihi dederit in mandatis Majestas Sua, ut Ordines Provinciarum Generales, quænam sit, in hoc pacis negotio, sua mens atque voluntas, certiores facerem: Quæ quidem literæ, quod aliquanto longius ventum secundum expectaverant, non ante septimum vigesimum ejusdem mensis in manus meas pervenerunt, continuoque illarum sententiam Ordinum Generalium Concilio & verbis exposui & scripto comprehensam tradidi: Quando quidem in illo Concilio soli jam relicti sunt Hollandiæ *Deputati* vestrique, cæteris non ita nuper domum reversis: Non potui committere, quin, ut mihi fuerat imperatum, earundem literarum capita summamque vobis etiam impertirem, Suæque Majestatis nomine vos obsecrarem, ut, causæ magnitudine ponderatâ, rationibusque vestris omnibus undequaque subductis, ita demum consilia moderemini, ut in usum patriæ commodissimum vedebitur; neque vos tam salutaris

hujus

hujus consilii repudiati in posterum unquam pœniteat. Qua in re ut Majestati suæ quam expeditissimè responso vestro satisfiat, vos etiam atque etiam rogo, nequid illi deinceps occasionis detur de morâ cunctationeque vestra conquerendi; Intereaque DEUM OPT. MAX. opteſtor; uti vos

Nobiles Prudenteſque Domini, incolumes florenteſque tueatur. Hagæ Comitis, II. Martii LXXXVIII. ſtylo vet.

Dom. Veſt. Deditiſſimus,

H. KYLLYGREUS.

EPISTOLA XXXI.

Illuſtri ac generoſo Domino,

Domino GUILIELMO,

Comiti de NASSAU, Gubernatori FRISIÆ.

ac Dominis

DEPUTATIS ejuſdem Provinciæ.

Nobiles Prudenteſque Domini,

CUm Domini Herberti reditum ſua Majeſtas diu expectaſſet, unaque reſponſum à vobis, num in iſto tractatu pacis jam in eundo Commiſſarios una mittere, & communem operam navare velletis: quandoquidem obhanc moram & cunctationem ſuſpecta cœpit eſſe Duci Parmenſi integritas Majeſtatis Suæ, acſi non illa fide bona pacem cogitaret: Non potuit illa diu-

tius

tius Commissariorum suorum tardare profectionem, sed eos coacta est jam denique Ostenum mittere, ubi cum Regiis Commissariis in illum pacis tractatum ingrediantur.

Iam vero quando quidem pluribus in locis harum Provinciarum falsos de se malevolosque rumores in vulgus disseminari sua Majestas intellexerit; verbi gratia: Iam dudum illam occulto & clandestino fœdere cum Duce Parmensi convenisse, interque cætera ratum esse, ut civitates illæ, quæ jam in sua ditione ac potestate sunt, continuo Duci tradantur in manus: Insignem hanc contumeliam graviter molesteque fert Majestas Sua, tum quod ejuscemodi calumniæ percrebuerint, tum verò quod hactenus nihil omnino factum sit, uti authoribus supplicia debita inferantur.

Et quanquam non sine causa Majestas Sua sic animum inducere potuisset, ne vos ulterius in hoc pacis negotio sollicitaret ob vestram (ut illa quidem interprætatur) ingratitudinem, promeritorumque suorum oblivionem, cum aliis compluribus indiciis compertam, tum vero præsertim hac ipsa cunctatione vestra, qua postulato suo responsum reddere distuliſtis, cum & olim à Gubernatore vestro Comite LEYCESTRIO, & nuperrime à Domino Herberto vobis propositam fuisset: Nihilo tamen secus, quod ita persvasum sit Majestati suæ interveniſſe moram hanc quorundam sibi non optime cupientium machinatione, non communi provin-

ci-

ciarum totiusque populi consensu, quos illa nihil dubitat, bene memores gratiæ liberalitatisque suæ, pristinum illud erga se studium retinere: Idcirco Sua Majestas ita secum ipsa constituit nihil intentatum aut inexpertum relinquere, quod salutem vestram & incolumitatem spectare posse videatur.

Quoniamque Sua Majestas responsum à vobis propositioni suæ septimum jam mensem expectarit, nec ullam interea vestram aut responsionem aut accusationem audierit; Neque jam longius (integro salvoque honore suo) præstolari queat, quod pridem PARMENSI pollicita sit sese Commissarios transmissuram; qua re dilata de die in diem spe atque expectatione responsi vestri, in eam ille devenit opinionem, nil aliud agere Majestatem Suam, quam tergiversari quodammodo ac se illudere, unde negotium illud omne propemodum infectum fuerat: Iam tandem Commissarios Illa suos legavit, qui undecimo Februarii jam elapsi Doveri Ostenam versus navem conscenderent. Quodsi vobis adhibito maturiori consilio rationem hanc inire libuerit, intereaque dum agetur Tractatus iste Ostenam aliquos mittere, qui se adjungant Commissariis Majestatis Suæ, quæque vobis commoda videbuntur, proponant: Eo est illa studio erga vos, adeoque tranquillitatis vestræ sollicita, (quod vobis etiam ipsis non erat perspectu difficile, nisi ferri vos in obliquum passionibus

pa-

pateremini) ut quanquam a vobis non humaniſſime accepta fuerit; tam illa Commiſſariis ſuis ita dederit in mandatis, ut ſi quid à veſtris afferatur in rem commodumque patriæ, id illi quam commendatiſſimum habeant; omnique ſtudio & induſtria promoveant; quo peregrino milite remoto, religioneque ſartâ, tectâ, conſervatâ, & eâ politiæ formâ ſtabilitâ, quæ cum antiquis immunitatibus veſtris ac privilegiis congruat, aliquando tandem hiſce provinciis beatâ pax reſtituatur, quâ jam ante belli tumultus floruerunt.

Quo tam Chriſtiano Regalique Majeſtatis ſuæ inſtituto, erit illa coram Deo coram hominibus purgata, ſiquid aliorſum vobis evenerit, tametſi non ſine gravi dolore ſuo videat, quorum illa ſalutis tam eximiam ſingularemque curam ſemper habuerit; tam obnixo obſtinatoque animo quæ ſibi ſalutaria ſint repudiare.

Relinquitur jam aliud ſed alterius argumenti, quo ſe non mediocriter offenſam violatamque ſua Majeſtas conqueritur, quod illi omnes, quorum illuſtrius aliquanto ſtudium erga ſe perſpectum ſit, indigne accipiantur, & vero ſeorſim Colonnellus Senoy hoſtilem in modum petatur, quos vel hoc ipſo nomine ſua Majeſtas gratiores vobis fore ſperaverat, quod in ſuam fidem inclinati putarentur: Cum vero jam illos parum ſua gratia tutos defenſoſque perſpiciat, neque ab hac violenta ratione ceſſatum eſſe, quantumvis jam antea declaratum ſit, quam illa Majeſtati ſuæ cordi non fuerit: Imperavit illa mihi, di-

diſerte vobis denunciarem, niſi Colonnellum Senoy armis & aperto Marte perſequi deſtiteritis, cogetur illa revocatis ſubſidiis gratiam erga vos ſuam, quam ſingularem hactenus experti eſtis, prorſus imminuere, voſque vobis ipſis relinquere. 11. Martii, CIↃ IↃ LXXXVIII. ſtylo veteri.

H. KYLLYGRAEUS.

EPISTOLA XXXII.

Reverendo Clariſſimoque Viro

D. SUFFRIDO PETRO LEOVARDIENSI,

U. I. C Burſæ coronarum Regenti.

S. P.

LIteræ tuæ Vir clariſſime, quas octava præteriti proximè menſis die, Coloniæ ad me dederas xxix. ejuſdem Menſis, demum huc arepſere. Mora haud dubiè veredariûm indiligentiæ aſcribenda, qui tamen ſeſe purgantes, quod ſtipendia indigne ſolvantur, omnem à ſe culpam conantur amoliri. Cum iis, qui hinc Pragam commeant, idem uſu venit, qua fidelitate litteræ veſtræ curentur, ignoro, inde quidem, tanquam ſi clauſa eſſet Bohemia, multis jam ſeptimanis, nullæ ſunt allatæ. Quo etiam fieri facile mihi perſvadeo quod ad eas, quas VI. & XXI. Octob. * ad aulam amandaram, hactenus fruſtra reſponſum exſpectem. Nihi-

* Sollicitatio Pragenſis.

lo-

lominus ut tibi morem gererem, & quæ mearum sunt partium pro virili præstarem, eâ ipsâ, quâ tuas accepi die, rursum scripsi, nihilque quod ad accelerandum negotium quoquo modo putari pertinere, prætermisi; supereſt solum ut veredarii ad pristinam discurrendi consvetudinem redeant, quod si obtineri possit quo res sit loco (esse autem minimè malo, libet omniari) saltem intelligemus. Quid de *Veronâ* Historiâ sit sperandum, meorum literæ significabunt. Interim diplomatum CAROLI MAGNI, quod veterem illum Saxonismum plane redolet, & FREDERICI III. exemplaria hisce adjungam: si quid ex iis, quod conatibus tuis inserviat, queat erui, operam meam præclarè collocatam existimabo. Quæ de Comitum Hollandiæ incunabulis, armis item gentilitiis, in præcedentibus meis commemoraveram, paucis perstringit *Michaël Vosmerus*, in opusculo, quod de Principibus Hollandiæ, *Plantini* typis, Anno CIↃ IↃ LXXVIII. *Antverpiæ*, carmine evulgavit, in præfatiuncula nimirum, quam ad lectorem præmittit. Eadem, ut & quæ de *Brederodiorum* primordiis delibâram, ejus gentis chronicis, quorum manu scriptum, justæ vetustatis, & ex ejusdem gentis profectum archivis, exemplum, in domus nostræ tabulario asservatur, fusius produntur. Et quandoquidem exemplum illud, in tanta gratiantium ubertate, itineri tutò committi non posset, meis negocium dabo, ut quæ huic serviant scenæ, descripta ad me transmittant, quorum te deinde li-

libenter faciam participem. Quæ de familiæ meæ origine, iisdem Chronicis illis, loco suo partim intexta memoria nunc suggerit, schedula hisce inserenda (ut & hac in parte tibi satis fiat) edocebit. Ut verò aliquo tanquam auctuario ea cumulem, epitaphium, quo *Alardus Amstelredamus*, Philosophus, Orator, & Poëta, illa ætate non ignobilis, patris mei mortem olim deploravit, quod inter ejus Poëtica *Leidis* ante annos L. typis excusa, circumferuntur adjiciam. Miror quo pacto tam lautam omnis generis Scriptorum suppellectilem corruere potueris. Næ te alterum *M. Catonem*, quem librorum heluonem *Cic.* appellat, jure optimo censebimus. Equidem primum nominis tui fama impulsus, incredibili lucubrationum tuarum desiderio fueram inflamatus, deinde, ubi ex literis tuis ipse te degustassem, ardere cœpi, at nunc æstuo: age itaque, in lucem aliquid profer, meam restinge cupiditatem, ne si diutius suspensum teneas, tandem planè conflagrem. Vale, Vir Clarissime, meque amare perge. Spiræ IX. Decembris, Anno CIↃ IↃ LXXXIX.

Tuus tibique addictissimus

RENATUS VANDER DUIN.

Quod nuncius impense festinet, FREDERICI TERTII *Diploma paratum esse non potuerit: itaque alias, & aliquo locupletatum fœnore, mittetur.*

IN Hollandia aliquando familia floruit antiquitus VAN VERDUIN, posteriori vero ætate VANDER DUIN, populari lingva cognominata: posterius nomen tempore increbuit, & frequentius perseverat: quamvis prius nunquam plane in desvetudinem abierit, quin imo subducta maxime præpositione VAN, in vulgi (quod solum VERDUIN enunciat) usu, semper remanserit. Sed ut ad ipsam prosapiam redeamus, *Antonius Hovæus*, Abbas Echternacensis, in libello, quem SURMUNDIUM inscribit, in Hollandiæ nobilitatis mentionem digrediens, *Verdunios* cum *Hodenpiſiis* & *Bingkhorſtiis*, inter vetustissimas clarissimasque Hollandiæ familias, quæ temporum injuria interierint, recenset. *Hovæus* in Abbacia Egmondana instructissimo ante hac reconditarum Hollandiæ antiquitatum promptuario, monasticam vitam multis annis professus, magnam earundem antiquitatum sibi cognitionem compararat, Abbas Echternacensis postmodum renunciatus. Ejus autem, de trium istarum familiarum occasu, sententiæ, *Iunius* in Batavia, Cap. XVIII. Pag. 316. & Cap. XIX. Pag. 341. subscribit: cui ad Abbatiæ Egmondanæ archiva aditum quoque patuisse, cum *Hovæo* item familiaritatem, studiorumque communionem intercessisse, Batavia aliquot in locis, præsertim Cap. XVIII. Pag. 311. abunde testatur.

Itaque cum prisca hæc *Verduniorum*, *Verdunorum*, *Vanderduniorum*, seu *Duniorum* (promiscuè enim

enim & ut ſynonymis hiſce utimur) gens; pro perpetua rerum humanarum viciſſitudine ad filiam domus hæredem, nomine *Machtildem*, aliquot abhinc ſeculis, eſſet reducta, *Theodoricus* Brederodius, *Alphardi* noni Brederodæ Domini, ex *Beatrice Hornana*, minor natu filius, eadem in uxorem ducta, *Vanderdunii* cognomen, quod ruinam interitumque minabatur, avitis tamen Brederodiorum armis reſervatis, ſibi aſſeruit, ſuamque ad poſteritatem, quæ ut idem cognomen, eademque quoque arma, adhuc geſtat, una cum arce *Vanderdunia*, (cujus *Iunius* in Batavia Cap. XVIII. Pag. 313. meminit) quæ priſcis *Vanderduniis* gentilitia, nuptiis illis, inter cætera, doti ei fuerat tranſſcripta, ab ejus poſteris ſimiliter, etiamnum poſſeſſa, tranſmiſit. Porrò priorum ſeu priſcorum *Vanderduniorum* natalitia inſignia, cervus candidus in campo coccineo oberrans, fuiſſe perhibentur; quæ iiſdem retentis coloribus cum tribus colliculis argenteis, in planicie etiam coccinea tumeſcentibus, poſtmodum commutârunt. Hæc recentiora, cum iis, quæ hodierni *Vanderdunii* præferunt, unum in ſcutum quadripartitò conjecta, cum hac inſcriptione VANDER DUIN. (qua forma eorundum delineatio, hic adjungenda, oculis ſubjiciet) in vetuſtis monumentis memoriiſque hodierna adhuc conſpiciuntur. Cujuſque autem ætatis moribus fuiſſe receptum, ut quoties homo nobilis, ſtirpis item nobilis hæredem, matrimonio ſibi conciliaret, atque diverſæ ita familiæ conjugii fœdere coaleſcerent, aut ipſe

maritus, aut communes filii, & ut plurimum ex natu minoribus aliquis, utriusque familiæ arma, eodem in scuto, figura quadripartita, sint soliti commiscere, neminem puto præterire. In præsentia, ejus qui nunc supersunt stirpis *Vanderdunii* (in plures enim stirpes, quæ paulatim defecere, quondam excreverant) illis trium colliculorum insignibus repudiatis, solis Brederodiis, pro ut ea gens Brederodia antiquitus, & *Theodorici Brederodii*, generis sui authoris, tempore gestabat, utuntur, quo scemate & majores, saltem quæ eorum stirpis extiterunt, ab annis plus minus CCL. eadem ita seorsim & separatim gessisse, sigilla, à quondam *Guilhelmo Vanderdunio*, tam tabulis, quibus *ut Schielandiæ Heimradus* Anno CIↃ CCC XLVII. cum aliis collegis, jaciendis novi *Mateneſii* aggeribus, consensum accommodat, quam iis, quibus anno deinde CIↃ CCC XLVIII. Seven husi pauperibus annuam confert elymosinam, appensa, sunt argumento.

Cæterum ad *Alphardi* noni Brederodæ Domini, *Theodorici Brederodii* cognomento *Vanderdunii* patris, illustrandam celebritatem pertinet, quod *Alphardus* matre *Aleida*, *Guilhelmi* Hollandi provinciæ Præsidis, quem *Guilhelmus* XVIII. Hollandiæ Comes, ROM. REX. patruum salutabat, filia unica susceptus, eidem Hollandiæ Comiti, & ROM. REGI, arctissima cognatione conjungebatur. Cujus *Aleidæ* Hollandæ nuptiis etiam effectum, ut in eundem *Alphardum* ejus ex *Theodorico* VIII. Brederodæ Do-

Domino, Hollandiæ Satrapa, Filium, Hollandiæ ſanguis & ſtemma, tum ex paterno latere Hollandiæ Comitibus profluens, tum ex materna identidem linea iiſdem emanans, utrinque concurreret atque conduplicaretur.

EPISTOLA XXXIII.

Reverendo Clariſſimoque Viro

D. SUFFRIDO PETRO LEOVARDIENSI,

U. I. C. Burſæ coronarum Regenti.

S. P. *Coloniæ.*

EX ſuperioribus literis, quas XXV. Februarii ad te expedieram, Vir Clariſſime, jam intellexeris quæ de Palatinatu tuo, ad me noſter Barvitius. Hiſce Chronica, quorum antehac communicationem petieras, aut potius, ex iiſdem, quæ inſtituto tuo accommodata videantur, excerpta, non ita pridem mihi allata, adjungam. Amico negocium dederam, ut de hiſtoria *Veronenſi* diligenter inveſtigaret, qui ſe cum quodam in cœnobio *Heiloano* olim ſodale, hac de re contuliſſe, & ex eodem accepiſſe reſcribit, ſe memoriâ quidem tenere, hiſtoriam illam à ſodalibus *Heiloanis* ex Bybliotheca templi Alcmarienſis, cujus propria erat, commodato aliquando fuiſſe acceptam, neſcire autem quorſum evaſerit. Addit amicus, ubi primum Alcmariam ſe proficiſci contigerit, omnia ſedulò odoraturum, & adſummam hic diligentiam nihil reliquum facturum. Nuper quidam mihi re-

retulit se Coloniæ intellexisse, te invectivam in *Iunii* Bataviam parare. Respondi quod ex professo aliquid acerbius meditere, non fieri verisimile: persvaderi mihi tamen facile posse, te in lucubrationibus tuis in quibusdam à *Iunii* sententia discessurum: more nimirum inter doctos recepto, qui nullius verbis addicti, quæ vero propiora judicant, solent propugnare, adversantiaque, incolumi nihilominus authorum existimatione, candide amoliri ac diluere.

Amicum absentem rodi (ut cum Horatio loquar) non sum passus; quam egregiam meam voluntatem te ratam spero habiturum: Si autem ejus generis aliquid inciderit te ea moderatione stylum temperaturum confido, ne cum manibus simultates exercere, aut cum larvis (quod ajunt) videare velle luctari. Ignosce libertati, quam studio impulsus erga te meo, tam tua fretus humanitate, mihi assumo. Cum litteras huc velis transmittere, tabellariis juratis, qui hebdomadatim fere huc solent commeare, eas committes. Nam equi, quos celeres vocamus, metamorphosin quodammodo passi, & in testudines transformati, officium *multis* jam mensibus deseruerunt, aut saltem segniter & fide non satis bonâ, obierunt. Vale, Vir Clarissime, meque amare perge, penult. Martii, Anno CIↃ IↃ XC.

Tuus toto pectore

RENATUS VANDER DUIN.

EPIS-

EPISTOLA XXXIV.

Reverendo Clariſſimoque Viro

D. SUFFRIDO PETRO LEOVARDIENSI,

U. I. C. Burſæ coronarum Regenti.

S. P. *Coloniæ.*

QUod genealogiam poſteribus meis inſertam acceperis Vir clariſſime, plurimum gaudeo: quod verò grata extiterit, tibique uſui ſit futura, plane in cœlo ſum. Si res forte ferret, ut ejuſdem mentio à te erit facienda, poteris vetuſti manu ſcripti codicis authoritatem γενικῶς laudare, ut tamen à me profectam, tibique ſubminiſtratam, idoneas ob cauſas, omninò diſſimules. De recuperanda *Veronæ* hiſtoria bona adhuc ſpes oſtenditur: Equidem ſi prælo manibus eſt, ut exemplar impetremus ſerio laborabitur. Meum adverſus calumniam illam patrocinium, tibi probari, perquam accidit jucundum. Sanè ut tam illiberalis, tuoque indigna candore, opinio de te ſpargeretur, equo animo ferre non potueram. Graviter ille ut omnis eloquentiæ, ita & totius philoſophiæ fons uberrimus, contendere (inquit) debemus, quam maxime poſſimus, ut vincamus, ſupplantare eum, quicum certamus, aut manu depellere nullo modo debemus. Eadem illa Friſiæ in occidentalem & orientalem partitio, quam antiquitus narras obtinuiſſe, hodierna adhuc die

apud nos nondum est obscurata. Gubernator itaquæ Præses & Senatus noster, quibus summa rerum est commissa, titulum *van Hollandt, Zeelandt, ende WESTVRIESLANDT*, (quo Horna, totaque vicina regio designatur) nominatim & seorsim usurpant. Eam Frisiæ partem, cujus *Lewerda*, Senatus jam sedes, est caput, orientalem etiam vulgo solemus nuncupare. Quoniam autem de Frisiorum Regibus agens, Egmundanorum mentionem injicis, occasionem dedisti, ut quæ ad asserendam eorum à vulgi fabellis dignitatem, multis ab hinc annis sum commentatus, communicarem, de quibus tuum rogo judicium, ne gravêre impertiri. Quæ de nominum quorundam ratione & etymologia erudite juxta atque ingeniose lepideque disseris, animadversionem putem promereri: quippe cum nomina, (teste Platone in Cratylo) non casu aut fortuitò, sed pro eo, quem quisque est vitæ cursum sortiturus, divino nutu ac ductu hominibus imponantur.

Quantum ad Palatinatum, si in eam sententiam in Aulam scribis, qua nunc ad me, propter merita tibi de communi taxa aliquid remittendum, vereor mehercule, ne tuis ipse luminibus obstruas, & in causa sis, quod expeditio protrahatur. Ego Barvitio, ex tuis ad me ante hac literis, indicaram, quod renunciata, qua niti poteras prærogativa, receptæ taxæ te submitteres: ad quæ ille, se ejus renunciationis contemplatione, manum operi admoturum respondit, ut ex clausula, quam ex ejus epis-

ſtola tibi nuper tranſmiſi, propius perſpexeris. Ab eo tempore, nihil ab eo habeo, quamvis ſemel atque iterum interpellare non deſtiterim. Forte tuis aut aliorum literis in tui commendationem ſcriptis taxæ gratiam rurſum urgentibus, ſententiam ille mutârit: Hoc ſeculo, mi SUFFRIDE, merita nullo loco ponuntur, ſed eodem cum omnibus jure ſolet decidi. Libenter officium reiterabo, eâ tamen lege, ut vos illinc, taxæ imminutionis, prætermiſſa mentione, ad meas, veſtras etiam literas hac in parte accommodetis, ne alioqui fides mea labefactetur, & oleum operamque (quod ajunt) perdamus. En meam hac de re ſententiam, quam noſtra fretus amicitia fideliter putavi exponendum: ſi tamen tu aliter ſtatuas, rogo prima occaſione me facias certiorem, ne amicum fruſtra defatigemus. Diploma quo FREDERICUS III. Imp. ULRICUM Friſiæ Dominum, primum Friſiæ Comitem renunciat, vidi quidem, ſed inveſtigare nondum potui: aliud vero, quod præceſſiſſe videtur, & quo FRIDERICUS multa in eundem beneficia ſeu feuda confert, cujus forte tibi copia hactenus non facta, hiſce adjungam. Bene vale, Vir clariſſime, meque amare perge. Spiræ, ult. Maji, Anno CIↃ IↃ XC.

Tuus toto pectore, tuique ſtudioſiſſimus,

RENATUS VAN DER DUYN.

EPISTOLA XXXV.

PATER FILIO.

S. D.

QUod mandata noſtra curæ habueris, gratum ⌣. Sed ô vota irrita, ô inanes cogitationes! Quid evenerit, rogas? Facinus indignum ac malum ⌣. Scito Curiales heri ante meridiem frequentes conveniſſe, non quidem in Curia, ſed (uti rebus prolatis ſolet) in domo Præſidis WINGARDENI; ibi de negotio hoc librario Comitia ac quæſtiones habitæ, ſimul accuſationes inſtitutæ adverſus Curatores abſentes, ignaros, inauditos, indefenſos; & quidem multò criminoſiſſimæ; univerſis ac ſingulis una voce ſucclamantibus, libros eos non publici, ſed privati juris eſſe, hoc eſt, Curialium, quippe Concilio Provinciali peculiariter quondam teſtamento legatos, à neſcio quo, quem tamen ipſi collegam ſibi fuiſſe ſomniabant ⌣. Scires de facto quidem conſtare, cæterum nomen Teſtatoris longâ temporum intercapedine hæredibus excidiſſe ⌣; niſi quod grandæviores ipſum IOHANNEM CUM LIBRIS, vulgo indigitatum, quaſi per caliginem meminiſſent. Sed hoc μνημονικὸν ἁμάρτημα. Proinde in Collegii, quod Ordinibus vicarium, poteſtate non eſſe, libros ſuos alienari, eoſque Academiæ dilargiri, ac LEYDAM porro *Hagâ* transferri. Nec Præſidem unquam, aut ſenatum paſſuros, tam inſignitam contumiliam ſibi

vel

vel à Curatoribus vel ab Ordinum Collegio irrogari. Vindicias facturos potius interdicto retinendæ possessionis ac manu injectâ, jus suum asserturos. Quid multa? discessio tandem in eum sententiam facta, ut Librariæ suæ veteri manum postliminio injiciant, neu fugitivam eam fieri, neve in aliorum Dominorum leges rem suam per incogitantiam, vel incuriam transire patiantur. Ego interea Senatus consulti istorum, ac deliberatæ interceſſionis, juxta cum ignarissimis gnarus rem factam nos habere arbitrabar, somnio beatus, præsertim impetrato jam Diplomate, quod hesterno primum die interim dum isti, ut dixi, Comitia sua agitant, à CONRADO scribâ, post tot dierum frustrationes, manè domi meæ accepi, sed cum lege, ut WINGARDUM Præsidem convenirem, eique decretum illud inspectandum exhiberem antequam jussa Collegii exsequi, aut Bibliothecam movere, vel librorum hinc quidpiam amoliri insisterem. Sensi extemplo de compacto rem geri ut in Velabro olearii. Ego tamen opera mea par esse nolui, itaque recta ad ædes Præsidis. Quid quæris? mordax janua, janitrixque mordax. Tandem Dominus ædium matutina fronte progreditur, non quidem in atrium, sed vero in aream subdialem; consistimus; causam interventus mei expromo, exhibeo decretum. Ille statim acriter mecum expostulare, inclamare Curatores, stomachari adversus decreti illius largitores, eosque de alieno largos, ac beneficos appellitare. Mox ob-

objicere mihi authoritatem Senatus ac Concilii sui sententiam planam facere, prorsus decretoriam. Ego contra quasi fulminatus hac pronunciatione, facti invidiam verbis mitigare, deprecari culpam satisfactione uti, hoc est, pro Curatoribus causſam dicere, qui in suspicionem fraudis immeritissimo suo traherentur. Nos tamen nihil præter officium nostrum feciſſe, si rem literariam ac bibliorhecam Academiæ, nostræ fidei ac custodiæ concreditam hac *Hagiensis*, imo publicæ Librariæ acceſſione promôtam atque amplificatam expetiſſemus, in quo si quæ culpa commiſſa, errori potius, quam fraudi cujuspiam aut malitiæ imputandum. Nam cui, obsecro, sit verisimile, struices istas librarias ad Curiam, aut Fori Patronos pertinere, in quibus tam pauci, vel nulli potius juris civilis interpretes? Cæterum illud mihi cum privatim, tum publicè acerbiſſimum accidere, quod pro summi beneficii semente malæ gratiæ meſſem nunc demum me metere intelligam, poſteaquam tot dierum laboribus de nihilo exantlatis, tam carâ præsertim temporis annonâ, primus ego bibliothecam istam impensis olim Iohannis Harii exstructam, ex situ & pulvere in apricum protuli, hactenus ignorabilem ac plane sordidatam, ne dicam pro derelicto habitam. Quid mirum? quam alii ne natam quidem; alii nec volam, nec vestigium ejus reliquum esse suspicarentur, nisi nos Nomenclaturam feciſſemus. Quid multis? Tranquillari sensim visus est, ac defervisſcere, ita ut etiam

am gratias mihi hoc nomine ab universâ Curiâ deberi palam ac publicitus testaretur. Tandem discessum, cum hac lege, ne quid novaretur, neu Decretum publicum exsequi properarem, sed ut integram rem omnem in reditum Collegæ mei Domini BANKII reservare animum inducerem, tum demum vacuum atque opportunum fore, certi aliquid ac solidi super hac librariâ controversiâ, de communi Curatorum, ac Concilii Provincialis sententiâ statuere ac pronunciare ⌣. Hic dialogus sic conclusus est, quem scripto nunquam fueram commissurus, nisi me rei indignitas moveret eo indignioris, quod hæc tragula nobis ab iis potissimum ex transverso injecta, à quibus minime oportebat ⌣. Quantâ spe exciderimus vides. Itaque cophinis nihil opus fore video ad libros transportandos; teque libero hac curâ. Cætera quæ restant (restant autem quam plurima) præsenti, ut spero, sermoni reservaturus. Interim vale, ac veni, quod tamen absque incommodo tuo fieri velim, & (quæ ratio maxima est) Principe tuo non nolente, Hoc mihi gratius facere nihil potes. Iterum vale ⌣.

IANUS DOUSA, P.

EPIS-

EPISTOLA XXXVI.

OTTONI GRYNRADIO.

Viro Nobiliſſimo;

LIbellum de Politiæ Moſis obſervatione, Vir nobiliſſime, credo ad manus tuas his nundinis perlatum eſſe. Eum tibi, & bonis omnibus gratum eſſe cupio & utilem toti Eccleſiæ DEI. Ad illuſtriſſimum quoque Principem, ſi dignum judicaveris Bibliotheca ipſius, mandavi mitti. Sed hoc totum permiſi judicio tuo quem & divinæ veritatis eſſe novi obſervantiſſimum & amantem mei. Nunc alia cauſſa agitur apud te, Vir nobiliſſime, quam mea (nam me in rebus meis apud quoſvis noviſti eſſe pudentiſſimum) ſed Eccleſiæ DEI, cujus te ſemper vidi & ſcio amantiſſimum. Non es neſcius Eccleſiam ultrajectinam variis procellis fuiſſe jamdiu agitatam, impellentibus partium diverſarum ventis. Penes quos culpa ſit nec poſſum nec libet inquirere; nam etiam in rebus hujuſmodi utrinque peccatur plurimum; & nemo eſt, qui factum ſuum apud ſe non probat ipſe, atque apud alios probari velit. Amneſtiam volo, cujus fundamenta ſuperiore anno fuerunt jacta. Unum deſideratur adhuc, ut unus aut alter bonus & pius DEI ſervus adhibeatur Eccleſiæ hujus procurationi, cujus viri opera ferruminari atque contineri membra ipſius poſſint. Hoc ab Eccleſiis propinquis non poteſt obtineri; tum quia nulla eſt, quæ ſe ferat diu privari bono

bono suo, tum quia multorum animi videntur partibus traducti fuisse, aut certè in opinione sunt. Hæc autem res quantopere commoditati unionis stabiliendæ adversetur, vides pro tua sapientia. Qua propter accurritur ad vos, & duo homines petuntur è Palatinatu vestro, quorum unus Francotaliæ, alter Erlebaci habitat. Interea Magistratus certos articulos mandavit per provisionem, nequid pacem interturbaret anno superiore cæptam. Ostendi quid in eis desiderent multi; Magistratum spes est, justo Ministrorum numero constituto, non ita fore morosum, quin res in melius mutari possint. Hæc res, ne ii, qui vocantur se circumduci putent, ipsis est exposita, non ut deterreantur, sed magis ut præmoneantur adversus eorum dicta, qui forte hoc opus cuperent evertere. Quantum sit negotium hoc non ignoras, quantum ad hujus urbis & Ecclesiæ, quantum ad Fœderatarum Provinciarum commodum, quantum ad Ecclesiarum omnium ædificationem faciat, quibus gravis certe plaga scandalo antecedente fuit imposita. Te itaque rogo, Vir nobilissime, & amplissimum totum Senatum Ecclesiasticum, ut in hac caussa opitulari huic loco studeatis diligentissime; impedimenta, siqua sunt, amoveatis, & eos ipsos, qui vocantur ad capescendam hanc provinciam in Domino incitetis. Impudentiorem me facit ea, quam video, necessitas, vos liberaliores ad benæ faciendum huic Ecclesiæ efficiet (confido) illa charitas, qua omnes in CHRISTO constringimur. Ego tibi, Vir nobi-

bilissime, omnia officia mea spondeo deferoque in DOMINO; qui tibi,

Vir nobilissime, consiliisque tuis sanctis & actionibus oro benedicat quam prolixissime. Ultrajecto, die Sabbathi, XX. Aprilis CIↃ IↃ XCIV.

Tuus Studiosissimus

FR. IUNIUS.

EPISTOLA XXXVII.

N. N.

Salutem in Christo.

NObilissimi Viri; Domini amplissimi & consultissimi, quum ante aliquot hebdomadas quidam rumor de rebus vestris ad me allatus esset, confidebam Dominum & V. A. sanctam prudentiam moderationemque largiturum, nequid in publico temere moveretur; præsertim cum anteacta experientia satis superque docuerit, orbem Reipublicæ à viris prudentibus sine magno strepitu verti oportere, & Presbyterium quoque Ecclesiæ vestræ suo Spiritu in omnem veritatem deducturum, ut veritas & charitas CHRISTI in vestro corpore obtineret. Neque vero dubito, si omnia ab omnibus sine privatis studiis procurata essent, quin DEUS lætum illum & fœlicem eventum consiliis salutaribus præbuisset. Sed quoniam rem aliter cecidisse magno meo dolore audio, oro & obsecro V. A. ut me pro studio & officio meo erga Rempub. & Ecclesiam vestram expostulantem

tem vobiſcum & paucis communicantem de rebus veſtris feratis æquo animo, ut feciſtis ante paucos annos, & ignoſcatis dolori meo, ſi quid fortè præter exſpectationem veſtram quaſi in conſilium videbor mittere. Audio juſſu V. A. quemdam nomine Bergerum ad miniſterium verbi in Eccleſiam veſtram vocatum eſſe, & Urſinum his paucis diebus abdicatum. Miratus ſum non mediocriter utrumque factum; ſed poſterius maximè, quia res veſtra & Urſini aliquo pacto eſt mihi cognita. Verumtamen de utroque paucis conferentem vobiſcum (ſpero) æquis animis audietis. D. Bergerus hactenus mihi ne de nomine quidem fuit notus in utramvis partem; quamobrem eo liberior futurus ſum in ſcribendo, quia nulla odii, nulla gratiæ ſuſpicio ineſſe poteſt. Siquis me de homine ignoto in Eccleſiam ad miniſterium verbi vocando conſuleret, equidem hoc ſimpliciter reſponſurus eſſem, cùm vocatio Eccleſiaſtica ſit divinæ ordinationis, ac non humanæ ſolùm, DEUM ante omnia, atque adeò ſolum audiri oportere (hic enim verè obtinet illud Pauli dictum *Galat.* 1. ſi placere vellem hominibus, DEI ſervus non eſſem) DEUM autem duo imperare in hoc argumento, certam cognitionem ejus qui vocatur, & legitimum vocationis modum. Siquis ergo ignotus eſt cujus vocatio agitur, certè eos qui noverunt audiri neceſſe eſt, ut cognoſcatur via & teſtimonio non ſolùm politico vel civili, quod laxius, verumetiam Eccleſiaſtico, quod arctius, qualis in repub. qua-

lis in Ecclesia fuerit is cujus in consilium mittitur vocatio. Nam, ut CHRISTUS per Paulum præcipit, eum oportet irreprehensum esse, 1. *Tim.* III. & bonum habere testimonium etiam ab exteris, ne in probrum incidat & laqueum diaboli. Tum modus vocationis ut sit liber atque legitimus, interest DEI, interest Ecclesiæ, interest etiam vestra, qui expresso articulo auctoritate publica perscripto ita cautum esse Ecclesiæ vestræ ante annos aliquot (si bene memini) voluistis. Hæc omnia si in Bergero vocando bene fideliterque provisa sunt, bene est. Metuo tamen, & graviter metuo ut is etiam apud exteros bene audiat, qui ne apud domesticos quidem mihi bene audire per omnia visus est ut ego cùm ipsius, tum vestra publica & Ecclesiæ causa optaverim; ipsius, quia melior est bona fama thesauris multis; vestra, quia hoc quoque ad vestram existimationem pertinet; Ecclesiæ denique, quia pax omnium concutitur, & præripitur omnis ædificationis modus, ubi nec bona opinio de aliquo est concepta, nec conveniunt ab exteris domesticisve testimonia. Ad Ursinum venio, quem exauctoratum à V. A. audio. Quid agam, Viri Amplissimi? credam ne id à vobis planè, aut ab aliquo specie auctoritatis vestræ fuisse factum? Jubent me boni quidam credere: non credere jubet bona de vobis opinio. Quid enim? credamne vos publicum incendium Ecclesiæ vestræ non ita pridem feliciter eluctatos nunc infeliciter in idem malum ruere quodam

(ut

(ut ita dicam) infortunio Reipub. & Eccleſiæ veſtræ? Verumtamen feciſſe ſtatuam, ut mihi ſit agendi cum A. V. ſuper ea re argumentum. Pono igitur ſic factum eſſe. Cauſam, modum, eventum contemplemur. Urſinus abdicatur [illegible]t rei alterius, aut vocationis Bergericæ cauſa, quod interceſſerit, & ſi quid eſt ejuſmodi. Ob rem alteram non putem, cùm ſciam hominem integrum vitâ & doctrinâ eſſe; ergo ob cauſam Bergeri factum eſt. Cur autem, obſecro? an quia interceſſit & oppoſuit ſe donec planè fuiſſet cognitum? Videte, Viri Ampliſſimi, quam procul ab eo judicio abſim. Bonâ veniâ veſtrâ hoc mihi licebit ex Scriptura dicere, ſi non interceſſiſſet ubi certum de Bergero non habuit legitimumque teſtimonium, contra officium veniſſet. Jubet enim Dominus Servis ſuis in Eccleſia videant, ne citò cuiquam imponant manus. Qui citò aut temere id faciunt, reprehenſione digni ſunt; non qui religioſo metu pedetentim procedunt in vocationis divinæ exploratione. Si quid tumultariè factum eſt, non deprecabor; ſed ſi in Presbyterio ex officio & fide (ut factum arbitror) amplius deliberandum cenſuit, duo reputetis obſecro per ſanctiſſimum DEI nomen; unum, qui foràs iſta efferunt quæ in conſilio Presbyterii aut alio ullo dicuntur, non agere bona fide, nedum fraterna charitate: alterum, nullo jure divino aut humano quemquam pro ſententia liberè in collegio dicta multari poſſe. Hoc enim ſi licet, quæ unquam libertas in conſiliis futura eſt? Ad

modum venio; delator auditur, qui ex collegio eliminat contra officium viri boni & Christiani fratris; accusatus si non auditur, si inauditus damnatur, per DEUM immortalem quis hanc rationem probaturus est? Non puto id à V. A. factum; si factum est, aliquo alio fine factum puto; de quo quia non cognovi, tantum V. A. rogatas velim, ut à fervidis præcipitibusque consiliis eos revocetis auctoritate prudentiaque vestra qui rem eò deductam volunt. Et quem eventum res habitura sit, quæso; expendite. Iudicia bonorum quæ foris, quæ domi futura sint quum reputo, equidem perhorresco; divisiones & domi & foris, incendiumque illud sopitum denuò redardescens; gravia denique, graviora quam putetur in repub. Ecclesiaque incommoda. Ebiatharem Sacerdotem læsæ Majestatis reum Salomo rex ille sapientissimus non est ultus gravius quam prout Ursinum ulcisci volunt qui vobis sunt consilii istius auctores. Quæ cum ita sint, oro & obtestor V. A. ne vos in consilia ejusmodi sinatis abripi; date illud CHRISTO Domino & Servatori nostro, qui nos vindicat à peccatis nostris; date Ecclesiis quæ laborant omni pietatis studio pro salute vestra; date Ecclesiæ & reipub. vestræ, quæ nihil nisi damnum ex actione hac sensura est; date mihi, quem confirmo in hac causa esse, si unquam fui, cupidum tranquillitatis & salutis, & honoris vestri. Efficite ut DEUS in vobis via pacis charitatisque honoretur; ita vos amet & honoret DEUS OPT. MAX. & me sufferte vero studio

&

& amore vestri apud V. A. pro vestra existimatione laborantem.

Ampliſſimi viri, Domini conſultiſſimi, DEUM oro & D. IESUM CHRISTUM, ut vos defendat ab omni malo, & deducat in omne bonum ad gloriam ſuam & ædificationem publicam. Lugduno Batavorum die Martis XIV. Decemb. CIↃ IↃ XCIX.

V. A. ſtudioſiſſimus

FR. IUNIUS.

EPISTOLA XXXVIII.

Docto & Prudenti Iuveni

D. GULIELMO CANTERO

Amico ſingulari.

Lovanium.

QUod mireris de literis meis; nihil eſt, ſcripſi enim cum potui, non cum debui. Nam Tabellarius, qui unicus nobis eſt, ultimo Paſchatis die ad vos profectus, cui epiſtolam dedi bene verboſam, ſed tamen, quia ignoro num eam recipies, in parva tabella immenſum illum gigantem tibi exponam. Scripſi itaque ad omnia pleniſſime, ac primum de BURENO, quem juvenem mihi commendaſti; ille tamen ubi agat neſcio, cum primum videro omne homini ſtudium pollicebor, ne non videar tibi plurimum debere. Locum Ciceronis vis expendi & evolvi, neſcio an aſſequutus

sim, scripsique videri mihi, Decemviros in ludis publicis, qui tamen sine corporum certatione fiant, quod Circi est, non Caveæ, lætitiam populi fidibus & tibiis & cantibus moderari velle, ne nimia sint hæc, quod in animos hominum nihil influat celerius, quodque emolliat & effœminet præsentius: idque esse credo quod in Comœdiis ascribitur MODOS FECIT TIBIIS DEXTRIS VEL SINISTRIS L. AMBIVIUS TURPIO. De Originibus assentior tibi, sed tamen qui ratione aliqua eam rem aggrediatur, quod Festus egregie effecit, non tantam sentiat difficultatem quam forte Verroni fuit, qui Latinum nomen à Latio accersiit, cum radices ejus ex Græcia petendæ sint; ascripsi huc Origines multas è plurimis, tu tamen ut pauciſſimæ sint efficere potes, idque eo modo, si quæ tibi non probabuntur ad me remiseris, quod facturum te amice & familiariter spero: quinimo si pateris impero. Gaudeo, mi JULIANE, Statio, Lucano, Iuvenali, & Gellio tam felix obtigisse ingenium, adeoque calidum, ut mirer tantulo tempore hæc præstitisse, quæ si effecisti absque Comite, jam mihi suspectus es Magus, nam qui fieri potest, ut etiam Horatium & Servium adjunxeris, sed tamen cum venit in mentem mihi illius studii, quod Parisius laudabiliter insumpsisti non possum non credere verissimam Poëtæ sententiam esse, *Laborem improbum vincere omnia*. Itaque Magiæ à crimine te absolvo, non tamen Naturalis, qua usus es, cu-

cupioque ut me desidiæ & stultitiæ accersas, imo si placet injuriarum, qui tam præpostere de vigiliis tuis judicarim. Hic ego ne non paria facerem appinxeram loca Plauti aliquot nuper à me ex Festo emendata, quorum prior est in Rudentis Prologo hujusmodi, *Atque hoc scelesti illi in animum inducunt suum Iovem se placare posse donis hostiis.* Hîc libenter legerim *duonis hostiis*, ut bonas intelligat, opimas & egregias, quin apud Festum *Bona natio* de pecoribus dicitur, & *Duonum* apud aliquos. Plautus Bacchidibus *Bonas oves* appellat lanatas probe & pingues, hoc versu,

BA. *Rerine ter in anno has tonsitari?* SO. *Pol hodie*
Altera jam bis detonsa certò est. BA. *Vetulæ*
Sunt thymiamæ. SO. *At bonas fuisse credo*

pro bono erat eodem teste. Aliud est in Persa actu illo cujus est principium hujusmodi. *Curate istuc intus*, ubi paulo infra sunt hæc:

DO. *Sine respirare me, tibi ut respondeam.*
Vir summe populi, stabulum servitricium,
Scortorum liberator, subiculum flagri.

Quid si cum Festo *subiculum flagri* legas, qui ait *subiculum* esse *flagri genus*, sic dictum, *quod vapulantes subare facit*. Levis fuit error & facilis, certe Festi ordo vix fallere potest, cum ex literarum ordine digestus sit, quanquam in hac dictione id sit obscurum. Tertium & ultimum à Milite glorioso est, eo actu, qui habet initium hujusmodi, *Nisi hercle defregeritis talos*:

PE. *Quare, ego hinc abſceſſero abs te huc interim: illhic ſis vide.*

Quemadmodum abſtitit ſevera fronte, curas cogitans.

legendum exiſtimo *obſtitit ſevera fronte*, quod facimus plerumque in concilio querendo non erecta cervice, ſed obliqua & incurva id me docuit Feſtus, quo ex Autore plura loca corrigere velim, quam ex manuſcriptis mille; nam ita judico vix invenire exemplar Plautinum, quod ſuum Autorem referat, ſed omnia librariorum indocta audacia perverſa eſſe, ne vel everſa dicam quod parricidium eſſe exiſtimo; & tamen hac noſtra ætate fieri ſcio ab iis, qui cum Autores è manuſcriptis codicibus emendaſſe videntur, non tam emendarunt, quam mendarunt, ut ita loquar, ac puto id Mureto accidiſſe in illo Catulli verſu;

Cui faveam potius, Cœli tibi, nam tua nobis
Perſpecta exigitur unica amicitia.

Muretus, *exigit hoc* ſcabro & ſubſultante verſu, quem tamen SCALIGER in *libris* Poëtices citat ut ſupra, & ait non eſſe vitium Poëtarum, ſed à Græcorum laſcivia profectum, adducitque plures, inter quos & hunc. Sed cum mentio incidit magni SCALIGERI, libet aſſcribere loca aliquot in quibus videtur Horatium ſine cauſſa cavillatus, ac primum, ait, nimis laxum videri ſibi verſum illum,

Om-

Omne cum Proteus pecus egit altos
Visere montes.

neque enim, inquit, *omnes egit pisces*, & visere *non satisfacit.* Quasi vero ita anxie philosophandum sit in Poëtis, nec tamen video cur non omnia optime se habeant. Antiqui enim præter hominem appellabant pecus omne animal. Nunc autem quia obscurum fore sciebat multis forte & SCALIGERO, latius se aperuit cum subjunxit,

Piscium & summa genus hæsit ulmo,
Et superjecto pavidæ natarunt
Æquore damæ.

nec enim disjungo hæc à superioribus, nec esse alia volo, illud autem *egit visere* summe placet ipsa ex antiquitate, & verbi & phraseos, cur enim, cum alia hujusmodi omnia sint à Græcis tracta, id solum non eadem sit originis? Tibullus certe ita loquitur,

----- *Seu visere dicet*
Sacra bonæ maribus non adeunda Deæ

Hic est *visere sacra*, illic *visere montes*, & Apuleius Apolog. I. *Quid? quod nec ob hæc debet tantummodo Philosophus speculum invisere, &c.* Imo antiqua est locutio, *visere ad aliquem.* Quod genus si usurpasset Horatius, quid dicturum fuisse SCALIGERUM credimus, qui in tam obviis ita à via declinet? Sed audi reliqua;

Vidimus flavum Tiberim, &c.
Ire dejectum monumenta regis

Tem-

Templaque Veſtæ
Iliæ dum te nimium querenti
Iactat ultorem: vagus, & ſiniſtra
Labitur ripa, Iove non probante u-
Xorius amnis.

Num veſtæ, inquit ille, *audet Iliæ incommodare? Denique ſi omnia fato fiunt, quare non probat Iupiter?* Pulchra hæc omnia & ingenioſa, ſed quare tua non probas fidelius? Primum non video quomodo Ilia-Veſtæ incommodet, nec *ire dejectum*, eſt *dejicere*, & ſciendum Poëtam eſſe in manibus. Dicit vero Iliæ queſtibus motum Tiberim (Ilia vero in ripa Anienis ſepulta erat, qui influit in Tiberim) Deorum voluntate, ſed tamen alieno anni tempore exundaſſe: ita enim libet intelligere illud *Iove non probante*, 1. anni tempore non ferente, ut probet Cæſarem Diis iratis occidiſſe. Non poſſum mirari ſatis, homini doctiſſimo hujuſmodi veniſſe in mentem; ſi enim propoſuerat in omnes Poëtas judicium ſuum exercere laudabiliter fecerat, ſed tamen modus aliquis prurigini illi maledicæ dandus fuit. Quid enim illud eſt quod dicit,

Trahuntque ſiccas machinæ carinas,

ait ille ingenioſus Curio. *Quænam machinæ ſiccas carinas trahunt, in aqua ſane fluitant.* Certe opinor non ſicco tibi hæc excidiſſe, quæ nimio humore jam putent; an neſcis hyeme naves in terram ſubduci & pulvinis imponi, ne putreſcant imbre & terræ fæcunditate, poſt vero cum per

per tempus licet, deduci iisdem machinis in mare? & tamen ut ludamus in facetiis tuis, qui ficcæ possunt esse si (ut tu intelligis) ex ripa ab Helcyariis trahantur mediis in aquis? Ejusdem genii est, quod sequitur,

Iunctaque Nymphis Gratia decentes,

non placet, ait SCALIGER; atqui dedecet te istud, nec gratiosum est non placere tibi *Gratias decentes*, quibus tamen, si gratus esse velles aliud nobilius Epitheton dedisses, quod Horatium non feciſſe videri desideras. *Decentes* tamen *Gratiæ*, pro formosis & pulchris accepit Poëta, quæ & ideo Horæ à Græcis vocantur.

Et potuit multas ipse decere pudor.

Subjicit Horatius;

Alterno terram quatiunt pede, dum graves Cyclopum Volcanus ardens urit officinas.

Non urit, inquit SCALIGER, *caminos, deficerent enim, atqui non deficiunt.* O hominis acumen! O solertiam! Certe cum hæc scriberes stultitia, aut Amor ille ardifætus non usserat tibi cerebrum credo, sed exusserat penitus; & tanto frigidissimum est commentum ex ardenti hac cerebri officina profectum. Quid enim, si uri aliquem amore dicam, hominem eum negabis vivere & deficere, adeoque cum Horatius ait *renidere lacunar*; tu *ridere* putas. Facinus scelestum qui ex placitis Grammaticorum Metaphoram tollis, male tibi à Grammaticis metuendum censeo, non poteris quantumvis in pur-

purgatorio illis satis te purgare, quin vapules largiter. Horatius,

Quid latet, ut marinæ
Filium dicunt Thetidis sub lachrymosa Trojæ
Funera? ----

Non sane convenit, latet Achylles in scyro sub Trojæ funera. Certe non convenit tibi mecum hac in re. An non multa prælia edita erant, priusquam Achylles deprehenderetur ab Ulysse? Non iit enim principio, sed tamen lachrymosa erant futura, si modo capi posset præsertim tali occasione, amoris nimirum & conjugii. Nugæ sunt istæ & Sophisticæ stultitiæ. Tædet pluribus tibi molestum me esse, sed tamen insignia duo adjiciam, & ita manum de tabula.

Mercuri facunde, nepos Atlantis
Qui feros cultus hominum recentum
Voce formasti catus, & decora
More palestræ.

Melius, inquit, *lege palestræ. Resonatio namque illa insuavis, decora more.* Neque & hic tibi assentiri, si enim suis cuique auribus credendum est, ut ipse fecisti omnino, mihi jucundissima videtur illa resonatio. *Decoram* autem *palestram* esse puto, quam Ovidius *unctam* vocat, & *nitidam* ... hoc versu,

--- Aut uncta dona palestræ.

Et certe luctaturi corpus oleo inungebant, ut esset non tam arte quam viribus decertandum. Horatius,

Ilio

Ilio dives Priamus relicto.

Hic exclamat SCALIGER, ſtupidi vatis eſſe vocare eum divitem, qui erat omnium miſerrimus, *potius infelix aut mœrens*. Sed eho SCALIGER, & bona verba. An tibi felicitas in bonis ponitur, atqui erat futurus miſerrimus ſi *dives* non fuiſſet, nam redimere corpus Hectoris nequiſſet ⌣. Itaque intelligamus *divitem* vocare, vel propter pecuniam, quam Achilli portabat, vel ex opibus avitis, tanquam de rege dictum ſit, non Veronæ alicujus, ſed maximæ partis Aſiæ. Quid ſi tecum mi SCALIGER, conjungam & *Divis* legendum eſſe contendam, ut commendarit *Divis* opidum jam abiturus more quidem nunc uſitato, ſed tamen neſcio, an eo tempore ⌣. Quare nolo tecum ita audacter ſentire. Ultimum addam, & ſic SCALIGERUM ſalvere jubebo.

Inſignem tenui fronte Lycorida
Cyri torret amor ----

Nunquam, inquit ille, *vel in viro vel in fœmina laudarim tenuem frontem, neque ad decorem neque ad venuſtatem.* Recte tu quidem, nec ego licet amator novellus. Sed credo Horatium aliud velle, quam tu bene exiſtimes, intelligit enim parvam & anguſtam, ſed tamen rotundæ cujuſdam venuſtatis, qualem deſcribit Arnobius, cum ait, *Mulieres ſibi limbis & faſciis quibuſdam frontem imminuere*. Quod hic per *tenuem frontem* ſig-

significat Poëta, & Flandri *Caperare frontem* fronſlen appellant. Gratulor tibi de Servio, ſed qui potuiſti Græca aſſequi? nam de reliquis rectiſſimus erat curſus. Horatius quem dicis meis in manibus fuit. Antiquiſſimum eſſe crederem, cæterum quæ ratio fuit, cur non octo illos verſus aſſcripſeris, an vereris ne gaudio nimis prono diſpeream. Quare volo, ita enim libet dicere, ut priuſquam in patriam abeas, eos mihi perſcribas, idque cum Nuntio Lovanienſi, qui tibi alias jam tradidit. Cupio vehementer intelligere ex te, quid conſilii cæperis de profectione, nec enim puto ante autumnum profecturum. Velim liceret tecum, quam nil tædii in via obreperet. Sed quæſo perſcribe omnia: faciam quantum licet apud parentes, ut liceat tecum iter facere. Si tibi comites non ſunt, huc advolare poteris, cum huc veneris, non deſiderabis & honeſtos & doctos. Vale, mi JULIANE, & FRUTERII memoriam Italia ſervet integram; multum enim vereor ne cum in *Alpes æreas* Virgilii perveneris, aliquo timore tam alti faſtigii, eam excidere tibi patiaris. Quare vide ne in cælum properans FRUTERIUM tuum viſu in terris quæras. Ille enim tecum ſi non poteſt, certe cum aliis eandem in viam aſcendet, quam veſtigia tua effecerint. Scis quid velim Macer. Iterum Vale, & ſalve, quod mortuis acclamari ſolitum ſcribit, ſed tamen tibi dico, non mortuo, nam hac ratione pro-

provocare oblivionem à te mei viderer, cum mortuis ut credere dignum est nil sit cum superis commercii.

Tuus quem nosti

LUCAS FRUTERIUS.

EPISTOLA XXXIX.

VIGLIUS ZUICHEMUS ab AYTTA NICOLAO PERRENOTO GRANDUELLANO,

Episcopo Atrebatensi.

Reverendissime Præsul,

INtellexi ex literis Reverendiss. D. V. Cæsareæ Majestatis voluntatem ac jussum; nempe, ut me quam primum itineri accingam, Wormatiamque præeam. Quem nuncium quanta cum molestia acceperim, nequeam paucis dicere: perturbat enim omnes priores rationes meas, quas de Germanica hac profectione conceperam: nam cum valetudine essem nondum satis firma, dubitaremque an equitationem ferre possem, de curru apparando cogitaram. Adhæc quia Cæsar lentius progredi solet minus quoque molestum id iter in ejus comitatu fore sperabam. Sed quando sic Cæsar jubet, obsequi necesse duco, quatenus tamen valetudo fer-

ferre poterit ; quam cum adhuc teneram ac infirmam esse sentiam, vix ad ullum certum tempus, quo Vormatiæ esse possum, adstringere me ausim. Sed tamen faciam, ne mihi vel negligentia vel mora ulla imputari possit. Financiariorum nostrorum liberalitatem miror, qui stipendium mihi ab eo tempore, quod id constitutum est, cessurum constituerunt, cum non sic soleant taxare antea. Verum, Rev. Domine, de principali hujus profectionis, sive accelerationis caussa valde angor ; nam ut nomine Cæs. M. Belgicæ nostræ caussam apud Ordines agam, mandato, sive literis credentialibus opus habebo. Velim quoque ad me mitti pro securitate itineris hujus literas salvi passus. Deinde hoc negotii Circuli Burgundici quod ibi mihi agendum imponitur, quam sit scabrosum perplexumque Rma. D. V. non ignorat, cum Cæsar superioribus aliquot Conventibus, uti Recessus ipsi clare continent, plura promiserit, quam nostri unquam agnoscenda putent. Et quantum ego hactenus nostrorum sententiam percipere potui, ipsi omnino eo contendendum arbitrantur, quo penitus ab omni prætenso jure Imperii nostræ Provinciæ liberentur, Imperiales contra magnis argumentis nituntur. Ad quæ si respondere conabimur, vereor, ne magis illi exacerbentur. Quæ autem Nurenbergæ olim acta per CREHANGIUM ac memet fuerunt in eo negotio translata ex Germanico ad te mitto : Sed tunc Ordines eo contenti non fuere.

Nunc

Nunc quid ultra respondendum sit ignoro : & tunc quoque alia erant tempora, & eo tum contendebamus, ut ab tunc indictis subsidiis excusaremur: nunc vero de hoc agitur, an ulla obligatione istæ Provinciæ teneantur erga imperium. Quæ res duræ digestionis : nam illi prætendunt habere se intentionem fundatam, & magnis fundamentis nituntur respectu quarundam ditionum. Quid quod de vestra Burgundia dicitur in Monstreleti historia ; Ducem Ioannem Burgundiæ Calesiæ à Sigismundo Imperatore investituram de Comitatu Burgundiæ accepisse. Sed hujusmodi infinita sunt, quæ Status prætendunt ; contra quæ omnia nudam crudamque negationem adferre, nescio an conveniat. Magnificus D. Præses SCHORANUS olim quædam hac de re satis diligenter collegerat, instructionique, quæ illi à me olim est reddita, inserverat. Sed apud me dubium, an conveniat hunc campum disputationis ingredi cum Statibus. Ego sane tenuitati ingenii mei non satis fido, ut caussam tam arduam defendam : sed tamen quicquid mihi præscriptum fuerit fideliter exequar. Verum in re tam magna & ardua, ne quid mihi olim imputari queat, sine particulari instructione non ausim quicquam facere. Quoniam vero Cæsar me hujus rei caussa ad Ordines præmittere decrevit, illud ante omnia esset constituendum, an super eo, quod Nurenbergæ propositum fuit, procedendum ultra sit, & ab Statibus exigendum, ut ipsi declarent, quas velint Provincias in munerum auxiliorumque societatem sub cir-

culo Burgundico comprehendi, quæ item habeant documenta ullius obligationis, &c. Nam si absolute responderimus, nihil omnino esse, quod domus Burgundica ab Imperio recognoscat, contendamusque, de totali exemptione, verendum ne ipsi, quod jam sæpius minati sunt, eodem jure uti velint, dicantque nec se plus quam illas ditiones teneri; ac sic Rex Romanorum nihil deinceps auxiliorum impetret: Quamobrem id enixe rogo R.me Domine quo saltem aliquid mihi in hoc negotio præscribatur agendum, secundum quod cætera queam dirigere. Scripsi eadem de re tria verba ad Præsidem, & antequam hinc discedam responsum acceptabo, ne sine credentialibus, sine literis passus, sine certa aliqua instructione hanc legationem occeptem. Et ne Cæs. Majest. me tarditatis arguat, quæso obnixissime quo R.ma D. V. obsequium meum una cum isthoc desiderio certæ alicujus instructionis ei exponat. Cum primum autem responsum habuero itineri me accingam: sed id vix puto futurum ante diem Sabbathi. Priores literas R.mæ D. V. heri accepi acturusque sum alio tempore gratias de benignitate R.mæ D. V. in iis quæ petieram. De beneficio illo quod Navius ab nuntio petendum scripserat, sufficiet meo judicio signaturam ab eo impetrare, ut ille, qui petit, postea dispiciat, an velit impensam expeditionis sustinere. Bene vale Domine colendissime. Mechliniæ, XXIII. Decembris, Anno CIↃ IↃ XLIV.

EPIS-

EPISTOLA XL.

Docto & Prudenti Iuveni

D. GUILIELMO CANTERO.

Amico singulari.

Lovanium.

INtellexi nuper ex Tabellario graviter ferre te nil à me literarum accipere tanta præsertim opportunitate, quod ut merito molestum fuerit, est tamen quod me restituat tibi, si enim meministi scripsisse te olim, in patriam brevi abeundum tibi esse, neque hoc non oscitanter legisse judicas, jam nihil caussæ est, quare FRUTERIO tuo non, ut ante, sis amicissimus, putesque illum summa cum ratione scriptionem distuliſſe, præsertim cum scripsisses, si quid indicare vellem tibi per nuntium Ultrajectensem agendum id esse. Habes caussam, mi IULIANE, cur ad te nuper non scripserim, tu cura ut me ex tabellis tuis expungas, nil enim tibi debeo, nisi solitum animum & observantiam. Venio ad literas tuas in quibus amavi synceram illam liberæ voluntatis & judici tui notam, sed quid tu ita famam meam anxie observas, ut etiam in minimis ita curiosus exiſtas, cæterum agnosco genium. De *Surgo* primum tibi assentior, cum nuper in Plauto legerim *Lumbos surgite atque extollite*. *Dimidium* à *medio* venire persuaderi possum; sed quid illud *di*, an pro *de*? In *bonis* lapsus memoria sum, cum tibi tamen eadem in epistola *duonas hostias* offerrem;

cæterum curiositas nimia in causſa fuit tantæ subtilitatis. *Piletas* tuos unice amplector quamvis improbi sunt, Flandri *Phielten* vocant, piratas mari suo reddemus, nam quid illis cum libris? Idem adnotaram in Festo meo de *Leucasia* insula ex Plinio Lib. VIII. Cap. VII. ait ille, Contra Pæstanum sinum hanc esse & à Sirene ibi sepulta appellatum, quod pugnat cum Festi opinione, quare ἐπέχω. Prandii tui reliquiæ sunt nullæ, ita me cum illo valide gessi ut non fuerit coctum prius quam concoctum. Quid mihi cum maculis tuis, qui ita candidum animum gero & mentem, ut nullus in me nævus locum habeat, candide tibi, mi IULIANE, Iuro, non placere mihi artem tuam, quæ posset apud populum, ut ais, plurimum, apud me certe omnino nihil, nam, quod inquis, *ad bellum non iisse spectatores* equidem nego, cum præsertim omnis Senatus in theatro consideret & Pontifices & Augures, quorum auspiciis & opera bella administrabantur. Certe hujusmodi bonis omnibus semper utitur Plautus, non autem arte illa qua procul dubio fuerat usurus si fructuosam esse judicasset, illa autem fausta precatione non tam Pop. quam ipsam Remp. sibi conciliat. Sic Paccuvius, *Pro imperio sic Salisubsulus vestro excubet*. Alteram emendationem tibi integram relinquo, cum sciam apud te illam natam primum, deinde à me jam educatam esse. Tibulli omnia illa incerta, esse una justisti, & certissima, qua ex re tibi gratias agit Propertius eadem nimirum labe diluta.

luta. Nescio an tibi assentiri debeam in alluſionibus tuis, cum præsertim non luserit olim Scinis ille portentosus latro, qui homines in lecto, quem ad hoc ludibrium excogitarat, compositos, si breviores essent extendere, si longiores contrahere solitus esset. Intelligis jocum, itaque velim tibi persuadeas, Propertii *pontum ludere*, non alludere, nec enim aliter sensus constat, cum dicat poëta, *Pontum clausum ab umbroso averno ludere*. Horatii versus si nescis impressi sunt jam olim, & tibi de se nil triumphi relinquent tanto jam tempore libertatem adepti. Grammaticus Clemens magno meo cum gaudio tibi obvenit, sed vide ut extrema illa, nescio an de versibus tractent, diligenter exscribas, nimis enim vereor ne impressos libros ita sedulo inspexeris & triveris, ut illa pene vetustate extrita aciem tuam non consequantur. De Poëta faveo utrique nostrum, sed cur non adjecisti antiquusne sit an novellus? Sciam ex te brevi, si videtur. Respondi ad omnia, nunc tibi ocii mei rationem habe quam disputes. Legi his diebus Catullum, & Tibullum, non tamen ut putabam, commodule, nam objecerunt mihi se quædam salebræ, aut certe ipse mihi difficultatem omnem peperi, tu videbis, eaque libertate, mea eludes, qua ego tua conatus sum, sed an præstiterim nescio: Catullus ad se ipsum scribit, & anteactæ vitæ commoda enumerans ait, *Fulsere quondam candidi tibi soles. Cum ventitabas quo puella ducebat Amata nobis quantum amabitur nulla,*

Hic ego legendum puto *vobis*, cum semper in tertia persona persistat, & omnino venustius erit, si continuum orationis filum spectes. Muretus quid *homines recti* sint non admonet in eo carmine, *Varus me meus*, &c. Ego dici puto formosos, & optime constituto corpore, ut illud Propertii, *Despicit & magnos recta puella Deos.* Paulo infra eodem in carmine, *Sed tu insulsa male & molesta vivis*, Ego *mala* & *vivis* pro *es.* Ad Aurelium, *Si quicquam animo tuo cupisti, Quod castum expeteres & integellum.* Muretus transit nescio qua ratione. Ego puto Catullum dicere, si cujus amore vel pueri vel puellæ teneris, quam tibi castam manere optares & integram, quod tibi fieri expeteres, id mihi nunc præsta. Carmen illud de Colonia distinguendum existimo, & uno ex carmine constituenda duo, idque ex sententia Terentiani. Simile genus est in nuptiis Manlii, *Collis ô Heliconii Hymen ô Hymenæe.* Quare vero hîc distinguantur non video, & apud Horatium *Grato Pyrrha sub antro Cui flavam religas comam*, inverte jam versum Priapæum feceris ita *Cui flavam religas comam Grato Pyrrha sub antro.* Hujus autem carminis doctissimi & suavissimi sensus hic mihi videtur, ô Colonia, quæ frequenti theatro excellis, & jam mercede histrionem conduxisti, qui in tuo ponte saltaret & gesticularetur cum timeas ne is in subjectas paludes incidat & in cœno vitam ponat, accipe à me inconciliatum nulloque ære conductum hominem, qui tibi & mihi delicias faciat; reliqua sunt facilia.

Vo-

Verum totius ut lacus putidaque paludis Insulsissimus est homo. Muretus *ut*, qua parte, interpretatur: cui non assentior, & *ut* esse pro *veluti* dico, & postea *sic* desiderari aio, *sic insulsiss.* & tamen distingui possit, ut inde hominis descriptio incipiat, *Insuulssimus est homo. Cui cum sit viridissimo nupta flore puella ut puella* legerem libens *& puella*, quod plenius est & rotundius. Ad Aurelium infra, *Pædicare cupis meos amores Nec clam, nam simul & jocaris una Hæres ad latus omnia experiris Frustra*, hic putarem legi posse commodissime, *Nam simul es, jocaris una*, ut nulla sit conjunctio, & ita venustissime futurum est: Plautus Truculento, *Nempe tu eris hodie mecum mea Phronesium.* Adeste Hendecasyllabi &c. *Et negat mihi vestra redditurum Pugillaria.* Sosipater ..... citat & rectius, *Et negat mihi nostra redditurum Pugillaria.* Ad Ortalum, *Qualia sub densis ramorum concinit alis Daulias assumpti fata gemens Ityli*, lego *absumpti*. Plautus Mostellaria, *Quid ego ex te audio absumpti sumus.* De Coma Berenices, *Idem me ille Conon cælesti numine vidit*, malim *lumine.* Infra, *Atque ibi præ cunctis pro dulci conjuge Divis*, ex superioribus legendum putarem *me cunctis*, ut ibi *Fulgentem clare quam multis illa Dearum Levia protendens brachia pollicita es.* Coma loquitur, quod mecum facit. *Isque per ætherias me tollens advolat auras*, malim *avolat*. Sequitur, *Virginis & sævi contingens namque leonis Lumina*, libentius legam *Iamque Leonis*. Ad Manlium in extremo *Ne nostrum scabra tangat rubigine nomen Hæc atque illa dies*. Supra in eodem

carmine *Ne tenuem texens sublimis aranea telam Deserto in Manli nomine opus faciat*, quare reponerem *vostrum* vel *vestrum*, neque enim puto Catullum immortalitatem suam ex hoc carmine metiri, qui nunquam intermoriturum nomen haberet ex aliis omnibus. Ad Tibullum venio, cujus non pauca observavi, quæ tibi mecum communia esse volui, partim ut de iis judicium tuum intelligerem, partim etiam ut si in hoc poëta succedere feliciter videam aliis quoque idem officii præstem. Tibullus Elegia II. *Neu quisquam multo perfusum tempora Baccho excitet*, Robortellus magnum quid invenisse se ratus putat legendum *percussum*, ut respondeat ad οἰνοπλῆγα Græcorum, sed tamen Tibullus paulo infra eandem locutionem usurpat Elegia VII. *Geniumque choreis Concelebra & multo tempora funde mero*. Poterat οἰνοπλῆγα suum Robortellus ad illud Ovidii applicare, qui in Amoribus ait, *Et multo tempora quassa mero*. Elegia quarta, *sic ego, tum Bacchi respondet rustica proles Armatus curva sic mihi falce Deus*, malim *cum Bacchi*. Alii *sic* legunt, sed longe id à vestigiis literarum; quare aut retineam scripturam veterem, aut *cum* legam. Circa finem, *At tu, qui Venerem docuisti vendere primus, Quisquis es infelix urgeat ossa lapis.* Quis dubitet hic esse legendum *tua?* Ibidem infra *Venus ipsa querelis Supplicibus, miseris flentibus illa favet*, ego fletibus; quid enim sunt *miseri flentes*, abhorret ab illa Romana Venere. Ultimum carmen hujus Elegiæ offendit aures meas, & tamen dubito quid agendum sit, sic habet,

Par-

Parce puer quaſo, ne turbis fabula fiam Cum mea ridebunt vana magiſteria, Legerem hic libens *turpis fabula*. Sed tamen illud *ridebunt* in mora eſſe poſſit, niſi putarem me alibi ſimilem locutionem obſervaſſe. Elegia VII. *Sed varii flores & frons redimita corymbis, Fuſa ſed ad teneros lutea palla pedes*, Hic legendum cenſeo *ſed frons redimita*, ut ter repetatur *Sed*, quod facit in ſequenti Elegia, *Sed corpus tetigiſſe nocet, ſed longa dediſſe Oſcula ſed femori conſeruiſſe femur*. Elegia octava: *Heu ſero revocatur amor, ſeroque juventa, Cum vetus infecit cana ſenecta caput. Tum ſtudium formæ eſt coma cum mutatur ut annos, Diſſimulet*. Legendum puto *Coma tum mutatur*, nam de *cana ſenecta* dixit antea. Paulum infra *Vech miſer abſenti mœſtas quam ſæpe querelas Conjicit & lachrymis omnia plena madent*, neſcio an audeam hoc in loco ſuperbum mearum aurium judicium tibi indicare. Sed tamen faciam. Puto legendum, *Somnia plena*, vel *omina plena* pro *ora*, nam Feſtus *omina* dici ait, quaſi *oremina*, vel certe *omnia plana*. Nihil affirmo, tu videbis. Elegia nona primo verſu, *Quid mihi ſi fueras miſeros laſurus amores*, Lego *luſurus*, ut in præcedenti *Hic Marathus quondam miſeros ludebat amantes*. Lib. III. Eleg. I. *Indicet ut nomen litera pacta tuum*. Muretus *facta* legit. Ego nihil mutandum cenſeo: Eſt enim ſimilis locutio cum illa qua *pangi carmina* dicuntur, ut ait Feſtus, cum in cera figuntur. Elegia III. *Sit mihi paupertas tecum jucunda Neæra, At ſine te regum munera nulla volo*, ut dicat Poëta, poſſe fieri ut

cum Neæra sibi paupertas jucunda, sed sine illa ne regiæ quidem opes. Eleg. ultima, *Hæc amor & majora volet*, Ego legendum existimo *valet*. Hæc pauca de multis ad te scribere visum est, ut non deesset IULIANO meo, quo FRUTERIUM rursus in amicitiam suam reciperet, & eo affectu prosequeretur, quo ille illum. Ride, mi IULIANE, sed tamen in re luctuosa. Nuper hic Sanctus quidam homicidium fecit in sacello Trinitatis, sed audi quam ingratus fuerit in presbyterum suum. Iam collocandus in altissima pulvinaria erat, & machinis quibusdam in parietem subducebatur, cum nimio suo pondere pulvinaria irrupit & quantus, quantus erat in sacerdotis sui caput validissime insiliit, nullo cum miraculo, nisi mortifero. Incepi hac de re ludere cum Musis, tu cum absolvero habebis. Vale, mi IULIANE, & me ama, ut facis.

Tuus quem nosti

LUCAS FRUTERIUS.

Cum hæc scriberem venit ad me Tabellarius, dixitque se postridie ejus diei profecturum, idque propter uxoris suæ adversam valetudinem, quare cum tibi nuper non scripserim, compensabo silentium illud meum isthoc corollario. Tibullus, itaque in Heroico illo quo Messalæ laudes persequitur simul Ulyssis labores ex occasione interserit his verbis, *Vidit ut inferno Plutoni subdita regna Magna Deum soboles levibus discur-*

curreret umbris, nescio quomodo hæc cohæreant; ego malim *vidit ut inferno Plutonis subdita regno Magna Deum*, &c. Propertius Eleg. v. lib. I. *Cum tibi singultu fortia verba cadent. Et tremulis mæstis orietur fletibus horror*, non offendit aures meas penthemimeris carminis poëtis usitatissima, sed Venerem illam non invenio, quæ erit procul dubio maxima, si ita legas. *Et tremulus mæstis orietur fletibus horror.* Idem lib. III, Eleg. VIII. *Dulcior ignis erat Paridi cum grata per arma Tyndaridi poterat gaudia ferre sua.* Vide, mi IULIANE, an hic rectius legatur, *cum Graja per arma*, unius literulæ mutatione. Eleg. XI. *Fædaque Tarpeio Conopæo tendere saxo jura dare statuas inter & arma mari*, Indubitato legendum & intelligendum de statuis Marii, cui, ut Plinius ait, Romæ statuæ erant etiam in omnibus vicis, quæ subversæ sunt Syllæ introitu. Lib. IV. Eleg. IV. *Prodita quid mirum fraterni cornua monstri Cum patuit lecto flamine torta via?* Malim cum Catullo *tecto flamine*, ille ait, *errabunda regens tenui vestigia filo.* vel lege *recto.* Eleg. X. de Hercule & Caco. *Dii tibi dent alios fontes, hæc lympha puellis Avia, secreti limitis una fuit*, ait Sacerdos Herculi, qui in lucum Nympharum inciderat, cupiebatque ex illarum fonte sitim sibi restinguere, hanc aquam nulli fluere, nisi puellis, quare lego, *una fluit*. *Causa perorata est flentes me surgite testes*, id facit ad tuum *surgo*, est ultima in Elegia Propertii. Unum aut alterum adjiciam, quod in superioribus adjecisse debueram, sed authoritate authoris veteris destitu-

tutus non audebam ; nunc autem cum invenerim tibi habe conjecturam meam. Catullus ad Varum de Suffeno, *Hæc cum legas, tum bellus ille & urbanus Suffenus, unus caprimulgus, aut fossor Rursus videtur ; tantum abhorret ac nutat.* Muretus nihil in hunc locum. Videtur mihi scriptum reliquisse Catullus, *tantum abhorret ac mutat ;* Id qua ratione dicam, non videntur mihi differre ista *abhorrere* ac *nutare*. Horremus ex frigore, & nutamus concussione capitis. *Mutat* venustius erit, si intelligamus poëtam dicere, Suffenum qui carmina sua eleganter in membrana descripta & aureis evincta laminis parum referre, cum legatur, *Muto* veteres dixisse testatur Varro apud Gellium. *In priore verbo graves prosodiæ, quæ fuerunt, manent, reliquæ mutant.* Gellius XVIII. Cap. x. Unum adjiciam & te sic valere jubebo, id est mirari me qua ratione Nannius Terentii illud, *Vidi Cantharam suffarcinatam*, cum illa ex Plauto, sicut aliæ multæ desumpta sit. In Epidico certe est muta persona, sed tamen ancilla, verba Pariphanis hæc sunt. *Eho Cantharа statim jube Acropolisticem prodire filiam ante ædes meam, Ut suam videat matrem*, nec movere debebat Nannium phrasis illa suffarcinata Cantharа pro onerata. Catullus alio quidem sensu, sed locutio consimili *Nihil ominore verpa es fartus.* Habes quantum patitur papyrus. Sed, ô amice, scribe quæso, quid illud meum fuerit de Macro, Ego nulla ratione assequi possum. Vale.

Tuus qui supra.

EPISTOLA XLI.

Clarissimo & Doctissimo

D. PHILIPPO MORO,

Canonico Ultrajectino, Domino & Amico.

S. P.

UT te familiarius utar tuaque opera, PHILIPPE MORE, tute effeciſti, qui mihi primus benignitatis tuæ fores ultro recluſeris, proinde dabis hoc mihi (modo ne importune tua abuti patientia videar) ut in meam gratiam iterum hujus tabellariæ cauſſam ſuſcipias & commendes apud eximium virum & liberalem (ut intelligo) patronum D. Decanum AMERONGIUM, ut is in fidem ſuam recipiat & patrocinio tueatur, non tam puellam honeſtam, quam ipſius ſimplicitatem & cauſſæ æquitatem: animadverti enim adverſarios ejus, qui pecunia abundant, nihil aliud agere, quam ut miſeram tædio enecent, iniquitatis ſtrumam reſcripti Pontificii dibapho veſtiant, neque aliis armis decretare, quam quibus Philippus Macedo caſtella quævis expugnari poſſe dictitabat, in quæ ſubire poſſet aſellus auro onuſtus. Reliqua per te melius ipſe quæ facienda ſint conſiderabis, conſulta tua Pallade, quam ſus docere nolo. Vale meque de nota meliore D. Decano commenda, & D. *Utenengo*, Scholaſteri D. Petri, cui multam ex me ſalutem officioſe, ſimulque D. Io. LENTIO Conſil. Reg. nunciari velim.

Rap-

Raptim Harlemo Sexto Kl. Decembr. CIↃ IↃ LXIX. Mitto ut redeas Diras, hoc est carmen in haleculas male conciliatas, quæ mihi te præsente in cæna apud DOUZAM nostrum, febrim conciliarant, è puris lambis constans.

Nuper Antverpiæ patrem tuum convenissem, si commendatio tua Mercurii vicem mihi præstare potuisset.

Tuus ex animo

HADR. IUNIUS *Med.*

EPISTOLA XLI.

Doctissimo admodum Viro

WILHELMO CANTERO,

Amico nostro singulari.

S. P.

MIraberis, Vir Doctissime, sat scio, Nos pro fælicis hujus anni auspice strena literulas mittere, quibus expostulare non dubitamus de aureo D. Chrysostomi Epistolarum opere dudum isthic Nobis promisso nondum in lucem edito. Cujus amor nos ita sibi devinctos habet, ut vix credas, quanto ejus videndi, immo fruendi ardeamus desiderio.

Proinde, mi CANTERE, rumpe moras, quæso, Nobisque, obsecro, istam vertendi operam sume; qua non modo de sacris studiis, totaque bene mereberis Ecclesia CRISTI Catholica, quam eximio decorabis ornamento, rarissimoque chimelio: sed etiam sanctissimum illum

illum DEI hominem, Mihi præ cæteris Ecclesiæ Doctoribus singulariter de egregio reformandæ Domus DEI zelo adamatum, Tibi apud DOMINUM conciliabis Patronum: qui & tuas causas apud DEUM agere, optatoque fine beare & nunc, & in posterum in primis non dedignetur. Magnam enim Tibi habebit gratiam, quod mellea suo Aureo fusa ore verba nunc apud Te latitantia, & suo Cygneo, vereque canoro sono quasi orbata, tuis vigiliis piaque tandem opera vocem recipiant; qua & DEI domum ædificare, & DEI gloriam celebrare, & non paucos DEI filios ad DEUM revocare, piisque monitis & sanctis exemplis queat informare. Aderit brevi tempus, quod sanctis istis laboribus plurimum tribuat, & sancti ocii, piæque meditationis; quæ ut isti argumento sunt germanissima; ita plurimum tollent molestiarum, quæ fastidiosis ex laboribus oboriri solent⌣. Vale diu incolumis Vir Doctiss. nosque redamare, mutuisque literis invisere perge. Ruræmundæ XIV. Ianuar. Anno CIↃ IↃ LXXIII.

Tui ex animo amantiss. & Studiosiss. In C. IESU,

WILH. DAMASI LINDANUS.

EPISTOLA XLII.

Clarissimo & Doctissimo

GUILIELMO CANTERO.

NOnis Iuniis demum redditæ mihi tuæ sunt literæ, quas Trajecto Batavorum ad me at-

attulit tabellarius Hollandorum in Franciam Mauricius: quæ tuæ literæ, ut semper alias, gratissimæ certe fuerunt cum aliis multis nominibus, tum quod familiaritatis pristinæ & animi in me tui vestigia in iis penitus impressa viderim. Vides autem, mi CANTERE, mihi qui ab aliis non ita sim paratus & instructus, quam sint utilia & necessaria amicorum eruditorum studia. Scis etiam in illis non minimo in loco te semper à me esse habitum. Itaque te quæso ut nos in hac re certemus, nec patiamur, ut vel calumniatorum vel malevolentium molimentis artibusque hæc nostra voluntas diluatur aut minuatur. Ego sane etsi in aliis tibi concedam facile, in hac re tamen paria facere cupio & volo. Utinam vero aliquandiu una agere, tecumque vivere mihi liceat. Quod vereor ut non possit, quando ita ad Vitulos properos. Cuperet certe frater tuus (qui tui desiderium nobis minuit, nam in hac regione familiariorem nec ego, neque ille, quam alter alterum habemus) is ergo vellet, & ego, ut proximo demum vere in Italiam versus pergas; nam & tum fratrem comitem habere poteris, & nos aliquando in Italia sodales. Eodem enim & nos intra annum DEO duce cogitamus. Neque hoc incommodo tuo fieri videbitur, siquidem ut emendate & eleganter formis illis plumbeis describantur *Observationes* & *Lectiones* tuæ jam renovatæ, optime meo judicio feceris, si ipse assis & magnam partem præsis, atque ita proxima hieme istic remaneas. Mirifice autem placuit

cuit (ut ad noſtra tandem veniamus) tua illa Tibulliani loci emendatio. Ex Virgilio quod affers, optimum eſt, extatque ita in libris manuſcriptis, & editis fere omnibus. Cautione tamen hîc eſt opus: nam initio lib. x. legendum,

Aggeribus mœrorum, & inundant Sanguine foſſas.

Libro xi. autem ita:

Agger murorum, nec inundant ſanguine foſſæ.

Cæterum etſi (libet enim etiam penitius in tua meo more inquirere) illud è lib. iii. Georgicorum:

--- *Abde domo, & turpi ignoſce ſenectæ*

Satis acute ex hiatus licentia ignorata à te ſit emendatum, ut à nobis iſtud ex i. lib. initio.

Sit pecori, apibus, &c.

ut & vett. libb. confirmant: ut inquam acuta ſit illa animadverſio tua, tamen repugnantibus omnibus libris antiquis, & Servio eam exiſtimo non eſſe facile admittendam, maxime cum antiqua ſcriptura videatur habere ſententiam probabilem, & haud ſcio an non veriorem. Tu judicabis. Exponam breviter ſententiam. Locus igitur ille eſt de equo generoſo. Eum autem Virgilius, ſi vel morbis vel ætate fractus relanguerit, etſi utpote generoſus & fortis equus, paullum etiam tum prodeſſe poſſit, tamen admonet ut domi retineamus, neque amplius fatigemus. Nam hoc certe crudele eſt ita miſeris armentis abuti, ut ne quidem ægris, aut ſenectute confectis parcamus. Qua de re locus eſt egregius apud Plutarch. in vita Catonis Uticenſis, ubi gra-

viter acerbitatem Catonis, ejusque sævum ingenium in servos suos accusat, comparatque cum iis qui ne equis quidem vel annis, vel morbo infirmis non parcant, quod tamen fieri solitum sit. Ipse locum videbis. Nam optime huc facit. Eodem perduci possunt hi versus Ennii:

Sicut fortis equus spatio, qui forte supremo
Vicit Olympia, nunc senio confectus quiescit.

Abde ergo, inquit Poëta, talem equum domo, & parce seu ignosce senectæ ejus, nec turpi, sive potius non turpi. Quibus verbis in equo generoso senectam vult esse non turpem, sed viridem & honestam satis & pulchram quæ in equis vilioribus & ignavis turpis merito ac jure dico dici debeat. Sic namque & Horatius optat sibi senectutem quidem, sed nec turpem, nec cithara carentem. Utque phrasis illa poëtæ, *nec turpi* &c. sit mollior, non erit ab re si post domo, colon ponatur, ut aliquantum quiescat auditor, hunc in modum:

abde domo; nec turpi ignosce senectæ.

Deinde potuisset Poëta dicere, *& non turpi ignosce*, &c. vel, *& nec turpi*, &c. Sed hoc, *nec turpi* est elegantius, antiquiusque; & in se ista quæ modo dixi, comprehendit. *Nec turpe* certe ita dictum videtur, ut *furtum nec manifestum*. Hæc mea est Servio consentiens sententia, quam notam tibi esse volui, ut videas, quid objici tuæ mutationi possit; quanquam non dubito, quin & ipse hæc videas. Certe tua si ve-

ra

ra esset scriptura, aut si mutandam putasses veterem, cur non ita scripsit poëta;

--- abde domo, turpique ignosce senecta.

Postremo consensum omnium librorum & interpretum veterum magni apud omnes merito fieri debent. Nam quod ratione hiatus interdum depravati sint veterum codices (ut in Lucretio ostendisse memini, ubi & tuum hunc locum laudavimus) nihil aut parum te juvat. Nam id ex vett. libb. aut grammaticis deprehendi debet, qui hic contra te testimonium dicunt. Verum jam satis de hoc loco. Accipe nunc à nobis etiam ex hoc poëta locum ut puto idoneum. Extremo libro ubi de Palinuro, sic legendum puto.

Æneam credam, quid enim, fallacibus austris
Et cælo, totius deceptus fraude sereni?

Sic enim habent vett. Codices quibus sum usus. Sic etiam Servius est interpretatus, cujus verba sunt ista: QUID ENIM, *quid ni? Cur non?* FRAUDE SERENI, *Serenitatis, ut, servantissimus æqui. Alii legunt Deceptus fraude sereni cæli.* Ita Servius, in quo illa verba postrema, *Alii legunt* &c. adulterina puto. Absunt enim à vet. codice optimo, quem habeo. Sententia est; *Quid enim?* (quæ indignantis est particula, male eam Servius explicat, pro, *quid ni? Cur non?* ea namque contrariam sententiam nostræ explicationi afferunt) Ergo Quid enim? credamne Æneam ventis infidelibus, & cælo, cum sciam varietatem cœli, & ipsemet sim deceptus à cœ-

lo sereno, ab ipsa serenitate? *Serenum* autem pro serenitate, omnibus est notum. In eodem Servio lib. VI. ibi fere, --- *foliis tantum ne carmina manda*, &c. ubi commemorat de Sibylla, quæ petierit pro libris suis à rege Tarquinio, ait eam popoſciſſe ccc. Philippeos ſolidos, qui aurei tum maxime pretioſi habiti ſint. Sic enim habet idem ille codex. Recte ſolidos appellat, nummos illos Philippeos, appellat eoſdem & Aureos. Quod obſervatu dignum videtur. Nam id probe convenit juri noſtro, in quo ſolidus & Aureus idem fere ſunt. Antiquiores nummos quoſdam eo fere precio quo *Realin* eſt noſter Aureus, vocabant Aureos; poſteriores, Solidos. In eodem Servio initio fere lib. III. Georg. ad illum verſum --- *ac navali ſurgentes ære columnas*, legendum puto ex eod. cod. *alteram ante Circum videmus*, &c. vulg. *arcum*. In Circo equidem alteram collocatam exiſtimo, non ad Arcum, Fabianum puta, aut ſimilem. Mox eodem lib. ubi de equorum coloribus, ex eodem vet. Cod. legend. videtur; GLAUCI *autem ſunt ſelineis oculis, id eſt quodam ſplendore perfuſis*, quaſi σιληνίους ..... nam eadem ratione gemma quædam Selenitis dicitur, & interpretatio illa de *quodam ſplendore* &c. omnino flagitant hanc noſtram ſcripturam, non ut vul. eſt *ſelineis*. Quod certe barbarum eſt nomen. Verſu autem præcedente, SPADICES, *quos pheniciatos vocant profeſſos myrteos*, vetus codex habet *preſſos myrteos*. Quod non intelligo. Si otium eſſet, plura poſſem colligere. Sed eo certe

certe minime abundo, & tuæ diligentiæ omnia servata malim, quam scio esse incredibilem, ut mirer, te in Servio edendo diem diffindere velle in reditum ex Italia tuum. Melius profecto feceris si istic remaneas, & eum cum Lectionibus, expolitum nobis hac proxima hyeme præstes, quod tuo tamen commodo fiat. In Statio hisce diebus observavi rectius legi posse initio lib. II.

--- prior hausit arenas.
Ungula, &c.

Vulg. *habenas*. *Haurire* est fodere Virgilio & aliis.

---- latus haurit apertum, &c.

Immo ipse Statius initio lib. III.

Ipse timet casus, haustaque informis arena, &c.

Commodius etiam eodem lib. II. legeretur ex U.C.

Expulerat calo gelidas Aurora tenebras
Rorantes excussa comas, vultumque sequenti
Sole rubens ----

In tuis Lectionibus, miror librum Ovidii te vocare *Transformationes*, cum & veteres Scriptores & libri semper eum *Metamorphoseon* indice insigniant; *Transformationum*, quod equidem sciam, nunquam: & verbum illud sit, ni fallor, barbarum. Et lib. II. cap. XX. emendatio loci Plautini illa, *pariter nunc me ars adjuvet*, non satis commoda videtur. Optat enim Poëta illis auditoribus I. e. civibus Romanis Martem secundum (cui maxime studebant Romani) si benigne ipsum audiant. Hinc ea sunt in Amphitr. prologo:

Vidi Neptunum, Virtutem, Victoriam, Martem, Bellonam commemorare, quæ bona Vobis feciſſent?

Et in Captivis:

--- Valete indies juſtiſſimi Domi bellique duellatores optumi.

Et in Caſina:

--- Valete; bene rem gerite & vincite Virtute vera, quod feciſtis antidhac.

Et Mercatore;

--- & lege & legionibus Hos fugitaſtis Quirites, ſucceſſis bonis. &c.

Et Pœnulo;

Valete atque adjuvate ut vos ſervet Salus.

Et eleganter in Rudente;

Valete, ut hoſtes veſtri diffidant ſibi.

Vides te ut velim multitudine obruere. Iudicium tamen tibi relinquo; mihi certe Mars hic mirifice placet. Et quod in Caſina eſt,

Aures votivæ ſi ſunt &c.

non videtur nequam, ſi *votivas* pro avido accipiatur, ut in Lucret. oſtendi. recte autem Ennius; *Propter aurium* (inquit) *aviditatem theatra replentur.* De Cap. IV. lib. II. alias ad te ſcripſi, & edidi in Lucret. in verbo ESCUNT, quam obſervationem noſtram ſibi ſumpſit totam DIONYSIUS ille thyrſiger, ut multa alia noſtra, quæ in Cic. emendaram: facile agnoſces fucum & fraudem, ſi vel ſemel ejus *in Cic. Annotationes* percurras. Hic ille eſt qui mihi plagium

gium, quod ego crimen indigniſſimum hom. ſtudioſo puto, impoſuit. Vidiſti credo jam *Annotationes*. Ecquid in iis præclari, quod quidem non ſit alienum, invenias, neſcio. Ego certe oſtenſurum aliquando me credo, quid de hoc ejus partu ſentiendum ſit. Indigne autem tuas omnes *emendationes* AURATO tribuit, nuſquam tui etiam facta mentione, niſi uno in loco, qui eſt in lib. 1. de Leg. ubi de notitiis illis inchoatis agitur, quem tamen Aurato etiam tribuit, Te vero extremo illo libro laudat, quia ad eum locum pervenerat, ut eſt veriſimile, cum in me ita baccharetur; cupiebat ſcilicet te quoque in meum caput excitare adverſarium, ut in oratione omnes noſtrates fere appellarat. Idem eſt ejus judicium de aliis tuis ſcriptis, quaſi vero citra AURATI operam nihil præſtare quis poſſit. Malim profecto omnia ea capita, quæ ab AURATO te profiteris ipſe habere, circumſcripta, quam ut invidis & improbis hæc feneſtra calumniandi aperiatur. Certe ego & frater tuus hac de re inter nos conquerimur ſæpenumero. Quid autem KAR. UTENHOVIUS ad AURATUM perſcripſerit, ex fratris literis cognoſce. Miror, miror inquam, tale in Flandro, ſeu Belga judicium, qui te tamen optime cognitum habeat. Sed moliantur illi, machinentur, adulentur etiam AURATO, quid velint, nihil tamen egerint, & *fragili cupientes illidere dentem, offendent ſolido*. Hinc vides, mi CANTERE, non omnium appetendam eſſe amicitiam. Audi quæſo, quid hiſce proxi-

mis diebus mihi acciderit. FRUTERIUS noster, proh dolor, mense Martio extremo hic diem obiit suum, consumptis assidua illa tussi pulmonibus. Moriens vero suos labores & libros mihi legabat. Hoc alii invidentes: qui & ipso usi erant familiariter, eos labores me ignorante (nam non statim à morte eos pudore deterritus petiveram) descripserunt: erant autem illi & mihi perfamiliares. Cum eos tandem intellexissem id jam quasi perfeciſſe; multis utrinque habitis sermonibus, conjeci eos propterea descripsisse, ut vel sibi eos vindicarent, vel quod me putarent plagiarium fore. Hic [illegible], tam audacis & impudentis facinoris, longius progressi sunt. Scripserat aliquot *Epigrammata* FRUTERIUS; ea cum peterem, noluerunt reddere, quod dicerent *Verisimilia* tantum mihi legata, non, *Epigrammata*. Cupiebant scilicet & illa describere. Impetravi tandem ea fide data, me remissurum. Petunt intra triduum. Nego illis me redditurum: & ne in illorum scribarum manus & calamos rursum incideret, ad RÆVARDUM & propinquos eum libellum mitto. Tum illi fremere, & mihi litem minari. Imo in jus me vocant acerbe condicta die. Venio, non comparent. Volebant credo paciſci. Venitur ad paciſcendum. Ibi contumeliis ita sum acceptus, ut DIONYSIUM non sapere, sed furere dixisses. Reditur in jus, nihil tamen agitur. Tandem convenitur. Sic & hæc Tragœdia in illorum caput recidet. Quid

ergo inquies, opera FRUTERII non habes? Minime. Habeo *Collectanea* quædam *inchoata*. libros in quibus maxime laboravit, *Varronem*, *Festum*, *Catullum*, &c. *Nonium*, & id genus alios non habeo, & illi scribæ se negant habere, quod falsiss. esse scio. Ajunt se habuisse, sed ubi nunc sint se ignorare. Hæc de FRUTERIO nostro, cujus existimationem si tuendam suscipiam, nemo est qui mihi id vitio vertere debeat, cum heredem me reliquerit. Cum autem hunc annum recolo, notandum mihi nigro lapillo video, tam infestum eum habui. Verum bene habet. Christianum me esse memini, hoc est, patientiss. & acerbissima quæque æquo animo ferre debere. Hæc fere habui in præsentia quæ scriberem. Cæterum ut primo quoque tempore rescribas, te quæso & oro. Commodissime autem id poteris, si opera *Oporini* ad *Plantinum* literas tuas cures. Nam & ego has ad *Plantinum* dedi, ut qui possit & velit hoc officium nobis præstare. Ante Nundinas fac ut habeamus literas, tum enim oportune illis respondebimus. Hoc unum à te rogo, mi CANTERE, ut si me amas, ab *Oporino* impetres Gellium illum manuscriptum, de quo aliquando ad me scripsisti: eumque una ad *Plantinum* mittas. Optima fide curabo ut remittatur, ubi eo tribus aut quatuor mensibus ero usus; nam quod excusabas eum librum non esse valde veterem, omniaque in eo desiderari Græca, non tanti facio, ut omnino libro carendum putem.

Quare hac in re fac, amabo te, ut pietatem tuam experiar. Vale CANTERE Doctissime, Parisiis, XIV. Kal. Iulias. Anno DOMINI, CIↃ IↃ LXVI.

Tuus

OB. GIPHANIUS.

EPISTOLA XLIV.

PAULLUS G. F. P. N. MERULA

Clarissimo Viro

THEODORO CANTERO,

S. Dico.

QUi in amicitiam magni viri se insinuare cupit V. Cl. solet ad id uti opera & commendatione alicujus, qui apud ejundem non nullo est loco. Ego id conatus sum, at malè cessit. Nupera ad te mea exspectabant reditum Delphis IACOBI TOUWII (qui animi tui erga Romanarum Antiquitatum studiosos admodum propensi non postremus præco) inciderunt vero in nescio quod hominum genus. Non mea id, sed me absente meorum culpa factum. Nimium quantum hunc errorem ægrè tuli; excusatum me, si excusationi locus, venio per hunc, qui & à te in amicitiam adscitus, & mihi à multo jam tempore magna familiaritate devinctus. Utinam ipse præsens me possem purgare, magis moverem. Tu tamen V. Cl. scio, gratiam hujus delicti etiam per hunc facies. Postulat præter alia id tua erga nostræ classis homi-

mines humanitas. *Ennii mei illa, quæ nominari, prælum jam jam subibunt.* Multa reſtituam ibi ſuis libris, quæ, nullo indicato libro, ab Auctoribus citantur, imo, exceptis paucis, omnia. Singulis fragmentis Annum præfigam A B U. C. quo pertinere mihi videbuntur; & in notis ſingulorum hiſtorias indicabo. Si quid eò habes, vel quod Ennii Annales, præter quæ vulgo nota, auget; vel quod nota jam emendat, quæſo communica. Tanti beneficii, memorem me experiere. Hoc etiam atque etiam rogo. Vale V. Cl. Ex Palatio Comitum, Propridie Eidus April. CIↃ IↃ XCII.

EPISTOLA XLV.

Viro Maximo & Nobiliſſimo

D. THEODORO CANTERO,

Senatori Ampliſſimo.

S.

LIteras tuas V. A. reverſus offendi, abfui enim ab urbe dies XIV. Gaviſus fui, probari tibi meum de Chryſologo judicium, quod ſperabam quam confidebam. Criticus meus excuditur, uni abſolutus erit, habebis exemplar. Sed tuâ fide, Domine CANTERE, placetne hoc factum meum? vereor enim ut ſuc-

succenseas tanquam falcem in tuam messem injectum eunti. Sanè nolim. Pereant enim omneslucubrationes meæ, quam ut mihi amicitiæ propter eas virorum magnorum. Amare autem & colere te (sine fuco dico) jam olim cœpi, & perseverò in isthoc adfectu, quem nulla unquam dies imminuet: tu viciſſim animum mihi tam benivolum serva. Chrysologi editionem Parisiensem hanc facilè venalem invenero; cum tamen, parebo petitioni tuæ. Interim si voles meâ uti, libentissimè communicabo. Venerunt nuper in manus meas ARNOBII nostri. Annotationes in aliquod S. Scripturæ loca, vidistin? ego sanè nunquam antehâc. GILBERTUS COGNATUS. edidit *Basileæ* anno CIↃ IↃ XLIII. Heus verò assem para, & accipe non fabulam, ut ait in Epistolis Plinius, sed historiam, & quidem monstrosam. Appulit ad littus nostrum piscis propè Catuicum longus pedes LV. ut audio, (nec enim visum excurrere libuit) qui venundatus florenus CXX. Dum hæc scribo, narratur fœmella quoque propè Harlemum appulsa, mariti fortè desidereo. Audi rem magis miram, & planè horrendam. Roterodami XIII. Kal. Februarius natus est infans masculus, vius anteriora testudinem, posteriora plenè liniamenta humani coporis omnia referebant. Caput grande, in ore ejus duo ingentes præcisores, &

& genuini aliquot. Vixit horas præter-propter duas. Mirum, nisi obscænum hæ res omen portendant: quicquid id sit, DEO in manu est. Nos quidem parati ferre animo forti & Christiano, certi optimè commeruisse peccatorum nostrorum multitudine, & fœditate. Vale, EPEUS Trajecti meæ, & MEURSIUM, quod facis, amare perge.

EPISTOLA XLVI.

F. LINDENBRUCH *Viro Nobiliss.* THEODORICO CANTERO.

S. & amorem.

ET fas profecto jusque erat, & ego id magnopere non nolebam citius ad tuas respondere; sed testor DEUM, nescio qui factum ut hactenus non potuerim. Nam ex quo tempore Lugduno Batavorum abfui raro ab amicis meis litteras accepi, rarius eosdem meis alloquor. Quod tum occupationibus quibusdam meis imputandum, tum quoque locorum distantiæ, hominumque perversitati ac frandulentiæ, qui provinciam quam susceperunt, fugere occipiunt, imo litteras meas apud se detinent, neque nisi multo convitio flagitati ad me transmittunt. Id quod mihi accidisse non sine causa conqueror. Ego vero, ne tu diutius meas desiderares, aut de me sollicitus esse posses, vertere vomerem in chartam, mucroneque exarare osseo hæc paucula volui, simul etiam ut verum

meum

meum erga te amorem & observantiam magis magisque approbarem; quod tum cum in civitate tua essem præ temporis angustia facere non potui quamvis ea mihi unica causa ut isthuc appellerem. Sed qui plus pote plus urget, eique sic nobis parendum, ut ne resistere quidem vel minimum, fas sit. Glossas Isidori jam tibi transmisissem nisi in dubio posuissem, acciperesne tu has litteras, an perituræ essent. Tantum quod aliquando à me petiisti, locum illum Heronymi, in quo vox *Lavina legitur jam tibi asscribam. Is est Epist. cxiii. part. iii. Ceterum amat deus hominem ut artifex fabricam, sed odit mala opera quibus fabrica vergit in lapsum, & cogitur in lavinam. Item ibidem lavina pavimenti.* His Vir Nobilisſ. amicisſ. Vale. Hamburgi. v. Kal. Iunii. Salutem doctisſ. præstantisſ. tuis Filiis.

Literas tuas ne posthac ad Raphelenque mittas, is nimis desidiosè agit; vellem potius ut Amsterdamum, si ibi amicum haberes, qui eas ad me transmitteret, nam inde melius, citius transportantur Hamburgum.

EPISTOLA XLVII.

Nobilissimo & Reverendo admodum Viro

D. ADRIANO VANDER-BURCHIO,

Ad D. MARIAM Ultrajecti Decano,

Domino plurimum observando.

S. P.

REdditæ mihi sunt, Vir Nobilisſ. literæ tuæ, cum Codice Arabico MS. & duobus exempla-

plaribus historiæ tuæ, quorum uno D. SCALIGERUM, altero me donas. Quo quidem nomine uterque nostrum maximas tibi gratias agit; ego tamen prolixiores, ob judicium de Epigrammate meo tuum, quod non tam ex ipsius dignitate ac merito, quam ex singulari tua erga me benevolentia profectum esse facile intelligo. Nosti illud Ibericum: *Todo es caer en gracia*. Sed vereor ne Suffenus fiam, mihique placeam, quia mea tibi.

Arabicum Codicem remitti jussit D. SCALIGER cum gratiis. Fragmentum est Alcorani, cujus & ipse habet quædam ἀπαπασμάτα. Optasset verò magnopere Mathematicum aliquod scriptum fuisse, quo ille studio præcipue se oblectat. Bene vale, Vir Nobilissime & Fratri tuo carissimo multam quæso ex me salutem dicito; simulque significato, me in summo desiderio exspectationeque versari cognoscendi quidnam Cyrilli Græcè manu exaratum & ἀνέκδοτον apud amicum quendam suum isthic lateat. Apparo n. editionem Græcolatinam XVII. librorum Cyrilli De adoratione in spiritu & veritate, & XIII. librorum in Pentateuchum, quos ille γλαφυρῷ inscripsit; quibus adjungam & librum ejusdem adversus Anthropomorphitas latinè olim à me editum. *Libros illos De adoratione, &c. hoc primum anno intellexi Toleti editos, Anno* CIↃ IↃ LXXV. *in fol. latinè* ex mea versione; una cum illo adversus Anthromorphitas. Quorum exemplar amicus quidam vetus ex Hispania redux mihi Antverpia transmisit, & paucis aliquot

ab

abhinc retro annis ANTONIUS AGELLIUS NEAPOLITANUS, Congregationis Clericorum regularium Presbyter, nunc, ut audio, Episcopus, Latinè à se versos edidit Romæ. Glaphyra nemo adhuc præter me vertit. Iterum Vale, Vir Nobiliss. & me benevolentia tua complecti perge. Lugduni Batavorum, An. CIↃ IↃ XCIIX; pridie omnium Sanctorum.

R. D. T. Reverenter colens

B. VULCANIUS.

EPISTOLA XLVIII.

Nobilissimo & Doctissimo Viro, Domino

LAMBERTO VANDER-BURCHIO,

Decano S. MARIÆ.

EGo verò omnem moram libens occupationibus tuis imputo V. A. Quantum verò me ames facilè perspicio ex istis tam benevolè scriptis literis, quas mirum nisi dictaverit ipse Amor non ille quidem *Veneris παυδήμου*, apage pestem, sed *τῆς οὐρανίας*. Vide autem ne pecces, hoc enim ipsum amici est, non onerare aliquem laudibus, ut ait in Epistolis Secundus. Gratas tamen eas accidisse mihi libens fateor; quid enim ni? quæ collatæ à viro tam magno, &, ut veteres illi *ἀπλῶς* dicebant laudato? Obsecro te, perge in isthoc adfectu, quem meruisse judicas propter aliquam ingenii eruditionis-ve umbram; quamvis reverâ ea utraque nimis in me, ingenuè profitebor, exigua. In hac enim ætate ut in-

ingenii fortè aliquid existat, eruditio tamen magna nunquam esse potest, quæ necessariò multâ & jugi lectione paratur. Nam sanè in philologico nostro studio minime adsentior Plinio dictitanti, multum legendum, non multa: nec Senecæ, Lucilio suo multorum auctorum lectionem dissuadenti. Per fidem, quid necessarium, si hoc non? erraverim profectò ipsorum judicio, equidem sic censeo quid tu, nonne pollicem premis? puto. DD. SCALIGER & VULCANIUS viciſſim te plurima salute impertiunt. Vale V. A. & me, ut cæpisti, amare perge. Pridie Eidus Feb. CIↃ IↃ XCVIII.

IOANNES MEURSIUS.

EPISTOLA XLIX.

Nobiliſſimo Ampliſſimo Viro

D. LAMBERTO VANDER-BURCHIO,

Decano Eccleſiæ B. MARIÆ.

Ultrajectum.

QUamvis rarius te appellem, Vir Ampliſſime, propter tuas occupationes fit, quas quia plurimas & maximas esse scio, tempero calamo sæpe scripturienti. absque eo esset, crebrò te per literas alloquerer. Quamvis autem nihil agam quod scire magnoperè labores, non potui tamen non indicare paratas me habere Curas PLAUTINAS, & Miscellas Animadverſiones, quæ lucem aspicient hac æstate, si volet DEUS, & valetudinem mihi formabit, quæ plusquam mensem jam valdè mihi imbecil-

la & afflicta. Non leviter verò ea res studiorum meorum impetum tardavit; sed quis Titan opponat se DEO? fero itaque hilari animo, *quicquid mihi imponitur. Ego merui propter peccata mea vel gravius supplicium*, tamen castigat me placide, &, (quod ait Propheta *Psalm.* CII) ut parentes liberos solent, misericordiæ plenus. Deinde & hoc solari debet nos Christianos, quod certi simus nihil illum facere, nisi nostro bono. Debemus ergo in his talibus casibus lætari potius, & erigere animum, non dejicere. Utinam multi hoc animo infixum haberent! item illud: Quem diligit DEUS eum castigat. Si enim in mentem illis veniret castigationem ejusmodi divini erga se amoris esse indicium, in quâcunque adversâ fortunâ alacriores multò, & animo in DEO sperante invenirentur. Vale Vir Amplissime & MEURSIO tuo favere perge. Salutem dices D. Fratri tuo, & D. RUDOLPHO à quo responsorias exspecto. Lugd. Bat. Kal. April. CIↃ IↃ XCIX.

IOANNES MEURSIUS.

EPISTOLA L.

Genere, virtute, & eruditione Nobili, multisque Nominibus Reverendo & Claro Domino,

D. LAMBERTO BURCHIO,

Magnificentiss. Collegii Mariani Decano, &c. Dom. meo Chariss.

AD XIII. Kal. Aprilis. quo die Ultrajecto discessimus, cum inter alia, magnifica huma-

manitatis & Benevolentiæ tuæ incidiſſet mentio, D. VALDRICIUS pridie me à te bona ſpe erectum, majori etiam expectatione conſolatus eſt, qua vehementer confiſus, hoc cumprimis me video conſequutum, quod jampridem obtinere magnopere laborabam, conatus ut ſcilicet mei talib. aliquando in Patria innoteſcerent viris, qui virtute & animi integritate ipſi præſtantes, Eos qui ſe fortunaſque ſuas pro Patriæ & Reip. incolumitate aut devoverunt aut devovere parati ſunt, lucubrationibuſque aſſiduis, amplius aliquid præ cæteris videntur conſequuti, in clientelam ſuam admittere, opera conſilioque juvare, non modo liberale ſibi & pium ſed quoque ex omnib. reb. humanis præclarius aut præſtantius nihil eſſe ducant, quam ipſa de Repub. maximeque de CHRISTI Eccleſia, quocunque fieri poteſt modo bene mereri; Idque vel præcipue ſibi habent perſuaſum, quod Plato ait; Beatas fore Reſpub. ſi aut Docti aut Sapientes homines, eas regere incipiant, aut qui regunt, omne ſuum ſtudium in doctrina ac ſapientia collocent. Quæ cum ita ſint, quanquam inter extremas præſentis tempeſtatis difficultates, hinc inde jacter, nec fixam fere ſtudiis ſedem, vel gratum modeſtioribus Muſis locum inveniam, ipſoſque labores meos, à temeritate hoſtium vix vindicare, tutoque ullo in loco conſervare poſſim, (quæ ſane animum in ſtudiorum laborib. ferendis vel pertinaciſſimum & conſtantiſſ. expugnare poſſe videntur:) tanta tamen in rerum omnium tenuitate

periculisque conjunctis, sive ad Patriæ sive ad Ecclesiæ aliquid conferendum, meipsum alacritate incendo ac erigo, ut non modo obesse quæ jam dixi mala, verum conferre potius aliquid, (nescio quid virtutis) mihi videantur. Idque cum sentio, cumque illecebris illis ocultis svavissimè accensus, indies magis magisque erga ea quæ officii mei sunt & futura intelligo flagrare incipio, quanto me præ rerum inopia indignius à fortuna (DEI mei permissu) deprimi video, tanto interdum constantius inter chartas & privatos parietes delitescens, supra eos quos indefessa animi contentione, à tergo me reliquisse, quosque veluti è specula quadam, securus intueor, animo me altius effero, opesque & gazas nuper neglectas regias, facile contemno. Cum enim ex sola virtute, etiam sine publici muneris alicujus functione, incredibilem quandam in animo gigni voluptatem, animique egregium quoddam utilissimumque robur, quotidie novo incremento promanare intelligo, quid mihi non pollicetur, studiorum, laborum virtutis denique qualiscunque (quæ hactenus aut misere oppressa aut solo in pectore magno nisu cohibenda, fuerunt:) fructus & exercitium? Est igitur, cum cur mihi de insigni illa humanitate tua merito gratuler, tum cur inter arma, & tormentorum horrendos strepitus, quoad funestissimus, & plane tragicus supremo suo impetu non impedit Mars, in Ecclesiæ & Patriæ utilitatem, occupare & exercere me minimè pigeat. Rem VALDRICIANAM

NAM meo nomine promovendam, rursum commendo, petoque obnixè ut D°. tam Candido & de me bene merito Ecclesiæque præ cæteris omnibus (quos quidem novi ejus ordinis) maximè addicto, tandem concedatur, quod Aliis forte videretur negandum, Ne si expectationi ejus & piæ voluntati Collegii suffragia non respondeant, pro favore quo sanè Ecclesiæ Ordines omnes, resque divinas prosequitur, mutato animo Ordinis sui Præcipuos in Republic. viros jure quodam re patefacta (ut faciles ad hujusmodi habent & aures & animos) tantum à Nobis faciat alienos, quantum Eos hactenus animi quadam rara & singulari constantia, Ordini Sacro conciliare semper est nisus, neve (quod absit) ex strenuo Ecclesiæ propugnatore, aut occultus aut apertus fiat impugnator, quod (quia indignum est de viro tam pio suspicari) prorsus non scriberem; nisi jam dudum infælici Collegiorum suffragatione, in reb. similib. magnum sæpe Ecclesiæ Provinciisque nostris, & incomparabile damnum illatum, ipse aliquando essem expertus. Accedit quod Res Ecclesiæ nunquam fælicius promoveri, rursumque in pristinam dignitatem nunquam oportunius restitui posse videantur, quam si Virorum Illustrium & Nobilium animos (infælici & belli sævientis, & pacis promissæ eventu, remissos ac pene abjectos) Cordatorum hominum, & eorum qui reb. privatis relictis publicas sanctè curant, singulari arte & industria, cum Sacratis Viris, tum sane Præcipuis Sacerdotum

Collegiis reconciliari contingat; quod tum demum facilè ac minimè arduum censebitur, si justis rationibus & animi pietate operam & opem Sacerdotum implorantes, mutua pietate humanitateque juventur. Pontifices mei, hactenus Patrono magis quam Librario egentes, si Collegium quo plurimum confido quid indulserit, & si perexiguo hujusmodi, nuper à me lucubrato opusculo, Dignitati V. gratificari forte valuero, profecto Mariano Collegio, & fulcro ejus BURCHIO potius quam Aliis, vel hoc nomine ascribentur, quod unus omnium, is maxime literis & rerum illustrium cognitione clarus, & BOCKENBERGII haud obscurè studiosus, magna mihi observantia colendus venerit atque ornandus. Idonei (spero) futuri testes & sempiterni, Benevolentiæ tuæ erga me, meæque in Dignitatem tuam pietatis, per quos, quasi religioso aliquo inter nos fœdere facto, quicquid literis, studiis, & pristinis meis delectationibus consequi potero, ad arbitrium tuum, qui hisce delectari te atque teneri eximia benevolentia testatus es, deinceps quam libentissimè conferam. *Inciderat intelligo mentio tenuitatis meæ*, hæsitque D. VALDRIICIUS fortè interrogatus *quo Titulo ad Ordines Sacros promotus sim. Titulus Patrimonii fuit, qui hac tempestate cum præcipuis Parentum bonis interiit, nec unquam teruncium mihi contulit*, quod tanto memorabilius videri potest, quod hactenus domi forisque Principib. & Optimatibus notus & acceptus, nullo unquam beneficio adjutus sim.

Qua-

Quamobrem iterum atque iterum maximopere pro noſtra quam affecto conjunctione, tuaque ſingulari humanitate peto & quæſo, ut quibuſcunque rebus potes, (potes autem plurimis) proſpicias & conſulas, cum D. VALDRIICIO & VALDRIICIIS tum quoque neceſſitatibus meis; Atque de mea erga dignitatem tuam voluntate, ſic judices, me quacunque re potero, quanquam videam quis ſim hoc tempore & quid poſſim, opera tamen & diligentia, ſtudiiſque meis, arbitrio tuo libenter fideliterque obſequuturum. Vale, Collegii tui Decus, Ornatiſſ. BURCHIE. An. CIↃ IↃ LXXXV. II. Cal. Aprilis. Tiela Geldriæ.

Dignitatis & Humanitatis tuæ Obſervantiſſ. Cliens,

P.C. BOCKENBERGIUS *Goudanus*.

EPISTOLA LI.

Nobiliſſimo Prudentiſſimo Domino

THEODORO CANTHERO,

Amico colendo.

Ultrajectum.

THEODORO CANTHERO IANUS GULJELMIUS S.P.D. Fatebor, quod res eſt, Clariſſime CANTHERE: valde me delectavit ſignificatio benevolentiæ erga me tuæ, expreſſa iis literis, quas ad hoſpitem meum V. Cl. SUFFRIDUM PETRUM dediſti. Itaque qui jamdiu te virtutis & doctrinæ cauſſa colebam, amare etiam exinde cæpi; invitatus amore illo

tuo. Quo tamen abs te non vincar, idque ita esse reapse ut intelligas, operam dabo. Arnobii censura tua viros doctos & eosdem bonos (nam istos πεπαιδευμένους μὲν πονηρὸς δ' φλυαρῶ) sane quam devinxisti tibi. & reliquisti tu quidem Spicilegium non mediocre, sed aliter fieri non potuit in opere tam maculoso qui præsertim libros, quos consiliarios adhiberes, nullos habueris. Quos ego si ullos aut mea ipsius aut amicorum opera nanciscar, non deëro honestissimæ voluntati tuæ, ope, &, si quid modo tale in me est, consilio meo. Interim feci, quod te non nolle animadverteram, & subsecivis horis eum scriptorem percurri. Quæ strictim attingenti omnia inciderunt, in capita aliquot *Verisimilium* meorum conjecta, ut vides, ad te mitto. de quibus judicium tuum exspecto. Si non displicuerint omnino hæc ablegmina nostra, plura tibi DEO faciente ociosus eruam. Nam nunc itineri Gallicano me accingebam. Et recta Lutetiam iturus videor mense proximo Martio. Tu, Humanissime CANTHERE, si ad V. Cl. VALENTEM PIMPONTIUM aut amicos veteres tuos alios scripturus es, curabuntur à me diligentissime omnia; sin vero etiam mihi isthic homini Cimbro & Galliæ imperito amicos commendatione tua dabis, erit quo me tibi obstrictum perpetuo arbitrer. Indiget enim adolescentia mea, tua, CANTHERE, tuique similium bona existimatione; &, ut nihil aliud, duo certe præstabo φιλουσθενίαν καὶ φιλοκαλίαν, quæ audacter de me & tibi & tuis pollicere.

Be-

Bene Vale, & me ama, amicitiamque noſtram teneram adhuc & ſoboleſcentem crebris literis, quod commodo tuo fiat, auge. Coloniæ. XII. Kal. Februarias. Feſtinatè.

EX IANI GULJELMI VERISIMILIUM VI. LIBRO.

CAPUT I.

Exponere, pro Ejicere. Hoc ſupererat. Arnobius libro primo, ſecundo, tertio, emendatus, explicatus.

RES tenuis videtur, & perquam levis, recte & loco interpungere; & eſt ita ſanè. Sed ſententiæ univerſæ lucem eripere, & tenebris ſenſum omnem ſcriptorum involvere peccatum non leve. Quod tamen à diſtinctione prava ortum, ita longe lateque ſæpe manavit, ut mihi veriſſime ſenſiſſe videatur, qui interpunctionem commentarii vicem eſſe dixit. Itaque ne hac quidem in parte facem litterarum ſtudioſis me præferre puduit, aut unquam pudebit. Eſt enim hic omnis noſter in tenui labor; at tenuis non gloria, ait ille. Et alias quidem alia, nunc Arnobii libro I. pauca proponam, velut in ſpecimine. Non procul à principio vulgo omnes malè ſcribunt, *Numquid ipſe ſiderum Sol princeps, cujus omnia luce veſtiuntur atque animantur, calore exarſit, intepuit, atque in contrarios ha-*

bitus moderaminis soliti temperamenta corrupit? cum distinguendum sit, *cujus omnia luce vestiuntur, atque animantur calore, exarsit.* Duo Soli munia à natura tributa; res procreare, & easdem illustrare: illud calore, unde animantium ortus; hoc lumine, unde certus rebus omnibus color. Utrumque hoc Christianorum quoque tempore perseverare, Arnobius contendit: quod tamen eum velle omnino non videas, nisi τῷ ὑποσιγμῷ perperam collocatam animadverteris. Quid illis; paucis post paginis, obscurius? *Veratrum venenum est hominibus. Numquid ob hanc caussam non debuit nasci? Ovilibus insidiatur lupus. Numquid in caussa est natura, quod lanitiis extulit importunissimam beluam? Morsu animam serpens tollit maledicam scilicet primordiis rerum, quo tam sæva prodigia genituris spirantibus addiderunt.* At distingue probe & levissime immuta; nihil iisdem facilius erit. *Morsu animam serpens tollit. Maledicam scilicet primordiis rerum, quod t.s.p.g.s. addiderunt?* Ne hæc quidem satis perspicua sub finem libri. *Qui cum pueris cubitant formosis lascivientibus nudis.* interpone ὑποσιγμὰς, *formosis, lascivientibus, nudis.* Et diluceseet illico, quam turpitudinem innuat, quamque id quod arguit oratorie & gradatim premat. Illud autem lib. II. *Et interire quæ possint, DEUM si ignoraverint, vitæ & ab exitio liberari.* nemo non videt, rectius distingui. *DEUM si ignoraverint vitæ.* DEUM *vitæ* dixit, ut Nonnus φερέσβιον καὶ βιοσσόον. Eodem libro sub finem, *Deponite has curas, & incognitas vobis relinquite quæstiones.* Multo malo, quod in ve-

vetere Romano repperit TH. CANTHERUS; cujus industriæ debet hic scriptor & debebit; *Exponite has curas*. *Exponere* enim ejicere est & vi summa exturbare, non modo ipsi Arnobio libro III. *Cur insanum mare tam frequentes expositi naufragiorum ruinas?* Verum etiam Plauto Casina. *Ut valentula est! pæne exposuit cubito.* & Rudente. *Urbanos amasios Hoc ictu exponam atque omnes ejiciam foras*. Pergamus ad librum III. in quo illo loco, *Illud vero quod sequitur quale est quod deos vobis inducitis alios fabros, alios medicos, alios lanarios, nautas, citharistas, aulædos, venatores, pastores, &, quod superat, rusticos.* malim legere, *& quod supererat.* Fontem mendi agnoscet, qui Pandectas Florentinas recordabitur. Sic autem solebant Romani, cum indigne commissa ab aliquo multa commemorassent, postremo adjicere, superesse ut hoc aut illud præterea in se admitteret. Exempla passim obvia, & notus, qui modo succurrit Virgilio mastigis versus,

Hordea qui dixit superest ut tritica dicat.

Finem faciam capitis, cum adjecero, hæc eodem libro, *Cæsius & ipse assequens Fortunam arbitratur & Cererem, Genium Iovialem & Palem*. videri corrigenda, *Cæsius* (nisi melius est, *Cælius*: quod non adfirmo) *& ipse eas sequens*. subandi ex superioribus, disciplinas Etruscas. Neque dubitabit de veritate hujus censuræ qui ad locum Arnobii eam comparabit; quod non hic tantum te facere velim. Iacent enim hæ observationes nostræ extra libros; tamquam in umbra & te-

tenebris; quæ compositæ ad ipsos Scriptores luce demum sua illustratæ & tamquam sole clarescunt.

CAPUT II.

Adon, pro Dite patre. Phaon à venere amatus. Fabulam referre. Litaniæ Christianæ, earum antiquitas. In eodem Arnobio correctiones aliquot libro quarto.

IDem Arnobius IV. libro flagitiosos deorum amores multis versibus exagitat, & delicias plerorumque suis nominibus sigillatim recenset. Postilla de deabus. *Nonne vestris*, ait, *proditum est literis, adamatum esse ab Aurora Tithonum, arsisse in Endymionem Lunam, Nereidem in Æacum, in Achillis genitorem Thetim, Proserpinam in Adonem, marem ejus, Cererem in Iasionem nescio quem rusticanum?* Ubi non capio quid sibi velint illa, *Adonem marem ejus*, & fortasse sum hebetior; præstare tamen audeo, ne alium quidem intelligere ullum; meque hinc turpissimas maculas expulisse. Lego enim, *Proserpinam in Adonem, matrem ejus Cererem in Iasionem.* Proserpinem ait in amorem incidisse Adonis, hoc est Τ ἄδω ἤ Τ πελάτων, Cererem in Iasionis. Quod utrumque ex fabulis notum est. Pergit Arnobius eodem loco. *Et post Vulcanum, Phœnem, Martem, in Anchisa nuptias ipsam illam Venerem Æneadum matrem & Romanæ dominationis auctorem,*

in

In quibus verbis quis ille sit Phœnes? nam ego nullus scio. Varias tuas, CANTHERE, nondum videre mihi contigit, quare de hoc interim amplio. Sed labor ut rescribam, *Phaonem*. Nam hunc à Venere amatum, & in lactucis abditum, omniumque mortalium formosissimum ejusdem Deæ beneficio fuisse Ælianus in varia historia tradit. Eodem libro, *Nec non & illa Iovis proles in Trachiniis Hercules, pestiferi tegminis circumpetitus indagine, miserabiles edere inducitur ejulatus.* Repono, *circumretitus*. atque hoc melius, quam quod in mentem mihi antea venerat, *circumpeditus*. Sequitur enim, *indagine*: cujus vocis propria sedes in venatu, & ad retia. Paullo post, *Cum omnes res eas quibus sunt involuta probra numinum, & maledictionis elogia & quottidie referatis & ediscatis quottidie*. Valde proprie dixit, *referatis*. nam eo verbo fabula acta in scænam iterum proferri significatur. Hecyre prologo.

Vetere in nova cæpi uti consuetudine
In experiundo ut essem, refero denuo.

Paucis interjectis. *Nam nostra quidem scripta cur ignibus meruerint dari? Cur conventicula diruí? in quibus summus orator DEUS, pax cunctis & venia postulatur Magistratibus, exercitibus, regibus, familiaribus, inimicis, adhuc vitam degentibus & resolutis corporum vinctionibus.* Pulcerrima & venustissima ἐκτύπωσις τῶν λιτανειῶν, sive obsecrationum & postulationum, quas etiam nunc DEO OPT. MAX. Ecclesia decantat. & nescio an alibi antiquior earum mentio: nisi quod Plinius

nius quoque Nepos eaſdem indicat, ut arbitror, cum ad Trajanum Imperatorem ſcribit, *Chriſtianos ſolitos ſtato die ante lucem convenire, carmenque* CHRISTO *quaſi* DEO *dicere.* Nam *Carmen* illud haud dubio λιτανείας & ſupplicationes publicæ ſunt. Sed in verbis Arnobii pro *orator*, emendo *oratur*, flagitante ſententia. Sequitur ſtatim, *In quibus aliud auditur nihil niſi quod humanos faciat, niſi quod mites, verecundos, pudicos, caſtos, familiares, communicatores rei cum omnibus quos ſolidet germanitatis neceſſitudine copulatio.* Sic paullo vetuſtiores editiones: ceterum corrigo, *familiaris communicatores rei.* mendi origo, quod ſcriptum reppererunt, familiareis ἀξιωματικῶς gignendi caſu, de quo Lucillius.

CAPUT III.

Pollubrum. Conventio, convenire, conventus, conventitii patres. Cætus. Fabulam diſcere, docere. Subrigere. Medicina Arnobio facta libro V.

A ſtute olim fenerator Alphius, & vere dicit; *bona nomina non apellando mala fieri*: ſed ego in re diſſimili non minus vere; bonas literas, ſi perverſe colas, fieri malas. Habet enim humanitas ut utilitates & oblectationes animi infinitas, ita permulta ſpecie honeſta & ſuavia, reapſe inania & periculoſa. Ad quæ, niſi caveris, adhereſcere, tanquam ad Sirenum ſaxa, & miſer-

ſerrimum naufragium facere neceſſe ſit. Cavendi autem una ratio, humanam ſapientiam divinæ poſthabere, & illius opiniones ad hujus ſcita, ceu lapidem Lydium, examinare. Quod quomodo recte fiat, jamdudum & præceptis & exemplo ſuo docuerunt divini homines pietatis noſtræ anteſignani Tertullianus, Arnobius, Cyprianus, Lactantius, Hieronymus, Ambroſius, Auguſtinus, alii. Illorum ego, ut de me fatear, mirifice capior cum religione literis ceu emblemate quodam ornata, tum literis ceu condimento ſaluberrimo temperatis. Itaque & lego, quod licet per aliorum ſtudiorum occupationes, libenter & ſentio indidem animum pietate, ingenium ſcientia non mediocriter augeri. Gratiam hanc pro beneficio unam refero beatis ſanctiſſimorum virorum manibus, ut maculas quæ ſeſe offerunt ultro (neque enim hæc minuta anquirere & rimari meum eſt) ex eruditiſſimis monumentis tollam. Cujuſmodi ex Arnobio aliquot modo ſuſtuli, & hoc capite pergam tollere, libro v. in quo primum heic ſubſtiti. *Per vinum deinde confitetur* [Atys] *et ab Acdeſti ſe diligi, et ab eo donis Silveſtribus honorari. Unde vinum quod ſilentium prodidit, in ejus nefas eſt ſanctuarium inferre pollutis.* Nam quos *pollutos* dicat vix videbam, niſi forte Gallos Cybeles, ob ea quæ faciunt in ſe quæque patiuntur nefanda. Pollubrum enim in ſacris vaſis genus eſt, puta aquale aut ſimile. Vetuum de hoc timidius; illud audacius confirmo vagina una alterave poſt iis verbis, *Colluctatus ergo*

ergo diu cum invita est, victus, fractus, superatusque discessit, & quem pietas dijugare ab infando matris non valuit appetitu, effusa libido devinxit. Nisi forte dicetis conventionis in hujusmodi captum genus vitat atque exsecratur humanum? apud deos incestæ sunt nulla. Ingens latere mendum, membro posteriori: neque de hoc dubitabit, ut opinor, quisquam. Quæ enim ex his verbis aut sententia elicietur idonea, aut saltem vocum, ut Grammatici loquuntur, constructio? Verum, confidenter hoc dico, præclare emendavi, *conventiones in hujusmodi cœtum genus vitat atque exsecratur humanum. Conventiones in cœtum* dicit τὰς συνόδους εἰς ἀφροδισιασμόν. *Convenire* enim liberis operam dare est huic nostro infra libro VII. *Amant suos fetus et gignendis conveniunt liberis.* & eidem *conventus* nihil aliud quam concubitus, supra libro II. *Ex conventu Iovis inseminati et nati sunt.* Hinc explicandus Plauti locus Cistellariæ principio. *Illa te*, inquit meretricula Lemniselene; *et ego hanc mihi educavi ex patribus conventitiis. Patres conventitii* videlicet adventores fuerant, & qui in unius scorti nidum conspiraverant amatores. Deinde scripsi *cœtum*; qua voce antiqui libenter usi; posteriores *coitum* in hac re usurpare maluerunt. Sic M. Tullius *cœtum Lunæ* dixit, sexto de Repub. & Lucretius III.

Nil tamen hoc ad nos, qui cœtu conjugioque
Corporis atque animæ consistimur unitur apti.

Hoc qui non ceperunt, scripserunt *cœptum*: iidem non viderunt *conventionis* ἀρχαϊσμὸν accusa-

di

di casum esse pro *conventiones*. Verum de hoc nimium multa. Sequitur non longe hinc. *O Abdera, Abdera! quantas vias mortalibus irridendi, talis si apud te esset fabula ita conflata! dicunt eam cuncti patres, & supercilios a perlegunt civitates, & esse tu fatua & stoliditatis frigidissimæ Iudicaveris.* Arbitror verius esse, *discunt eam*. *Fabulam* enim *discunt*, qui aut spectari vident aut recitari audiunt; ut in scæna Romæ patres. Qua eadem forma poëta docere fabulam dicitur, cum agendis partes histrionibus dividit. Postea eodem libro. *Pudor me habet alma illa proferre mysteria, quibus in Liberi honorem patris ithyphallos subrugit Græcia, & simulacris virilium fascinorum territoria cuncta floreſcant.* Emendo, *subrigit Græcia*. Quam mendam eo magis mirum huic loco herere potuisse, quod eadem hac pagina de ipsissima hac impuritate Arnobius iterum dicat: *quos per rura, per oppida mos subrigit & veneratur antiquis*. Est autem *subrigere* sive *surrigere*, extollere, arrigere, & erigere. Glossarium vetus, *Subrigit* ὑποφῦσι, ὑπαναπείζει. Subrigo, ἀναβιβάζω, ἀνορθῶ. Virgilius de fama, -- *tot surrigit aures*: significans idem quod Terentius, cum dicit: *Arrige aures Pamphile*. Eadem vox in mendo cubat libro VII. *Affuisse dicto fidem Nam subrepto culmine, conversoque ad solem signo, patuisse res abditas, & reserata in maleficia vindicatum.* Manifesto verum est, *subrecto culmine*: hoc est, altius elato. Atque hoc tum ex iis quæ antecedunt verbis, tum ex historia clarum, quam ex M. Tulli Invectivis huc transcribsit hic noster: ut me fine

causſa περισσολογειν nihil opus ſit. Tu ipſum Arnobii locum adi; tum noli Homeri κωφελιτης eſſe.

CAPUT IV.

Cinxia Iuno. Cædere, in ſacris. Coronæ ſertæ. Idem Arnobius lib. VI. *&* VII. *correctus, explicatus.*

APelles olim de Protogene, ni fallor; *manum tollere de tabula neſcit*: ita ego exagitandi Arnobii modum facere fortaſſe neſcio. Sed quoniam quidem orſus ſum ſemel, pertexam hanc telam, & ad VI. atque VII. librum ordine pergam, ut omne penſum meum abſolutum literarum amatoribus approbem. Quod ergo libro VI. publicatur, *Ridetis temporibus priſcis Perſas fluvios coluiſſe, nemoralia ut indicant ſcripta, informem Arabas lapidem, acinacem Scythiæ nationes, ramum Prognes Thespios.* in eo hæc, *ramum Prognes Theſpios*, à Gelenii conjectura ſunt. Nam in veterrima Romana editione CANTHERUS repperit, *ramum procinxi Atheſpios*. Scilicet diſſiluerunt perperam literæ, & malè coaluerunt ſyllabæ; quas dividens tantummodo veriſſime emendo, *ramum pro Cinxia Theſpios*. Iunonem enim hic ſignificari patet è loco Clementis, quem laudat idem ille diligentiſſimus amicus noſter. At eam Cinxiæ nomine Romam colebant, quod novæ nuptæ cingulo præeſſet. Feſti mutilator Paullus. *Cinxiæ Iunonis nomen ſanctum habebatur in nuptiis, quod initio conjugii ſolutio erat*

erat cinguli, quo nova nupta cingebatur. Ipse Arnobius libro VI. *Unctionibus*, inquit, *supereſt Unxia, cingulorum Cinxia replicationi.* Verum igitur hoc, tametsi de *Theſpiorum ramo* aut non legi alibi, aut legisse me non memini. Eodem Libro VI. *Erubescite ergo vel ſero atque ab animantibus mutis vias rationis accipite: doceantque vos eadem nihil numinis ineſſe ſimulacris, in quæ obſcœna facere neque metuunt, neque vitant.* Verius puto, *obſcœna jacere.* loquitur enim de alvi proluvie, quam in ſimulacra hirundines egerant: & ejus verbi gloſſema arbitror in Romano fuisse, *dicere.* Nisi tamen ex hoc facies, *dejicere.* quod non improbo: ſed utrum malis pluma non intereſt. Hæc leviora tamen; illud gravius vulnus quod libro VII. optimo Scriptori à malis librariis inflictum eſt. *Si hirundines garrulæ pariterque cum his porci ſenſu aliquo humanitatis accepto deos putarent atque exiſtimarent vos eſſe: ſacraque vobis intenderent, honores ergo facerent non ex materiis aliis, aliiſque de rebus, ſed quibus ali moris eſt illis et naturali appoſitione fulciri. Audire à vobis expoſcimus utrumne hunc honorem, an contumeliam potius eſſe judicaretis.* Quod perſanari poſſe ita cenſeo. *Sacraque vobis intenderent honoreis* (vel *honoris*) *ergo facere, non e. m. a. a. d. r. q. a. m. e. i. et n. a. fulciri; audire à vobis expeto*, &c. Honoreis hic quoque Arnobius ſcribſerat gignendi caſu: iſti muli accuſandi acceperunt: ideo immutarunt, ut convenirent, cetera. Nihil venuſtius hac formula, *honoris ergo ſacra facere* non item, *ſacra intendere honores facere*, ne Latinum quidem eſt. Pergit Arnobius,

bius, *Cum hirundines vobis muscas, motacillæ ederent consecrarentque formiculas.* Rescribo *cæderent.* Quod verbum victimariorum proprium esse norunt ii, qui quid sit inter cæsa & porrecta, sciunt. Paullo post in Arnobio est: *Quia superis diis atque hominum dexteritate pollentibus color lætus acceptus est.* Corrigo, *ominum dexteritati.* Opponit enim diis boni & dextri ominis deos lævos. Postremo hoc libro illis verbis, *Etiamne dii sertis coronis afficiuntur & floribus?* Pervenuste dixit *coronas sertas*, in seriem implexas. & illis respondent, sutiles. Eadem Lucani Musa laudat libro x. Pharsaliæ,

Accipiunt sertas nardo florente coronas

EPISTOLA LII.

IUSTUS LIPSIUS THEODORO CANTERO S. P. D.

GRatæ mihi prorsus tuæ literæ, mi CANTERE, quæ diuturno silentio quasi intercluſum aperuerunt iter amicitiæ. Dolebam enim in locis tam vicinis & conjunctis ita nos versari, quasi oceano aut toto cœlo, quod dici solet, divideremur. Nam ego post discessum meum à vobis, hic Lugduni hæsi: non alia causa, quam ut patriæ meæ procellas audirem potius, quam cum periculo meo spectarem. Professio mihi historica oblata est cum stipendio honesto, quam visum est non spernere, donec rebus nostris adfulsisset melior aliqua lux. Nam tur-

turbæ quomodo augeantur indies, vides. Lovanienſium ruinam (ita enim dicendum eſt) ſane doleo; unice mortem VALERII noſtri. Qui per ætatem poterat adhuc eſſe vitalis. Sed *Dis aliter* viſum, ait ille. De *eculeo*, quod me rogas, nihil habeo certum aut præter vulgus. De *conviviis tempeſtivis* ſic ſentio. Utrumque vitio apud antiquos fuiſſe, *tempeſtivum* & *intempeſtivum*. *Tempeſtivum convivium* dictum, quod ante horam cœnæ legitimam (ea ferè nona diei erat) aviditate præpropera iniretur, ut ille apud Satirycum, *Exul ab octava Marius bibit*. Sic dictum quia nimis tempori & præpropere iniretur. *Intempeſtivum* vero, quod ultra debitam horam protraheretur, puta in multam noctem. Utrumque complexus eſt Cicero in Piſonem illo joco, *Qui neque orientem ſolem neque occidentem unquam vidit*. De *Dialogis* meis quod quæris, ſcito *Dialogos de Spectaculis* Romanorum, jam propediem me abſolviſſe. Item *librum unum Succidaneorum*. In loco illo Horatii Lib. 1. Satyr.

Prætextam & latum clavum, prunæque batillum;

vellem doceres me, quid veteres Interpretes dicant: nam puto eos te habere; mihi non ſunt ad manum. Vale Amiciſſime CANTERE, IV. Kal. Novemb. CIↃ IↃ LXXVIII. CARRIO à nobis diſceſſit parum honeſte. De carmine PYTHÆI non magna res eſt. Sunt verſus trochaici antiqui, quos tamen deſcribi jubebo & mittam.

Ex animo tuus

IUSTUS LIPSIUS.

EPISTOLA LIII.

IUSTUS LIPSIUS THEODORO CANTERO *Suo* S. D.

LIbros quos commodo ſuo uſus eſt IANUS DOUSA, en, mi CANTERE, remitto. Devinxiſti illum & me pariter officio .... magno. Ipſe in *fragmentis* iis colligendis ſedulo perſeverat. Putat ſibi ad eam rem uſui fore præterea Terentianum & Cenſorinum de die natali, item Aruſianum meſſum; eos ſi miſeris gratum id nobis, & ſtatim remiſſurum iri mea id ego ſpondeo fide. *Electorum* librum (ita Plinii Senioris exemplo inſcripſi) jam miſi ad PLANTINUM. *Sophocles fratris* tui imprimitur, uti è PLANTINI literis cognovi. Novi in re literaria magnopere nihil, niſi STADIUM obiiſſe Lutetiæ, ſi id ſcire *laborat*, & CARIONEM nuperrime in Galliam profectum. Vale, mi Amiciſſime CANTERE, & inter nos cum fide amemus. Lugduni Batavorum, Kal. Septembribus CIↃ IↃ LXXIX. Uxori tuæ ſuaviſſimæ matronæ à me ſalutem.

EPIS-

EPISTOLA LIV.

IUSTUS LIPSIUS CANTERO *Suo*

S. D.

GRatum mihi feciſti, mi CANTERE, in benigna miſſione librorum, quibus egebam inſpectis. Sive tale, ſive quid aliud à me poſtulabis, reperies me pariter adfectum, promptumque. Eoſdem nunc remitto per homines, uti comperi, certos & cives veſtros. In *Tacito* pergere me prohibent immodici æſtus & ſalebræ in eo multæ, ad quas adhæreſco. DOUSA neſcio quid in *Svetonium* molitur. De Gallia aut Italia nihil mihi adhuc auditum. Et hercle in hoc ſtrepitu armorum jacent ſilentque noſtræ Deæ; quas eriget tamen aliquando melior DEUS. Vale. Lugduni VI. Kal. Sextil. CIↃ IↃ LXXX.

EPISTOLA LV.

IUSTVS LIPSIVS *THEODORO CANTERO*

S. Dico.

TRibus verbis, feſtinante patre DALII, ſalutatum te volui, Vir Amiciſſime, Nec enim aliud magnopere habebam, quod ſignificarem, niſi ut te hortarer ad *Arnobium* quam maturrime vulgandum. PLANTINI opera, ſcio,

hac in re parata tibi erit. Spero hac æstate me ad vos excursurum amicos visendi caussa. *Fabrum* mitto; Peto ut per hominem certum fidumque remittas. Liber enim est quem ego æstimo, & quo crebro utor. Vale, mi CANTERE. XII. April. CIↃ IↃ LXXXI.

EPISTOLA LVI.

IUSTUS LIPSIUS *THEODORO CANTERO*

S. Dico.

EDitionem tuam ut matures, CANTERE, prorsus sum auctor. Tempora vides & ancipites casus; ut si unquam, nunc certe verum est illud,

-- nocuit differre paratis.

Quod ad locum pertinet pag. edit. meæ LXVI. legebam *altius*; quia propius accedit ad *aliud*. Æque recte *altum*. Apud Minutium utrumvis rectum videtur; sive *cautum* sive *caulum*. *Crispatos clunes* non moverim loco: etsi *crissatos* mallem. Carmen meum tibi libens impartiar, simul plusculum otii mihi erit; nam nunc versabar serio in *Saturnalibus* meis concinnandis. Oblitus sum nuper à te quærere de *Chalcidicis* apud Arnobium, si quid notasti, velim impartias. Scio Festum mentionem facere, & ego aliquid notavi; sed nondum plane capio. Doctorem HEURNIUM brevi exspectamus, collegam exoptatum nobis. Vale, mi CANTERE,

RE, & me amantem tui ama. Lugd. Bat. VI. Kal. Octob. CIↃ IↃ LXXXI. Artemidorum tuum velim ad me paulisper mittas, mox remittendum. Intelligo Onirocritica. Si Græce habeas, adjunge; Si minus, Latine saltem mittas: est mihi opus inspecto; cum fide remittam.

EPISTOLA LVII.

IVSTVS LIPSIVS *THEODORO CANTERO*

S. Dico.

REmitto, mi CANTERE, Artemidorum tuum per eumpse hominem qui attulerat; & gratias agerem, nisi id genus sermonum jam ex amicitia nostra sublatum esset. Literas à te nuper accepi, non sine significatione prolixa amoris tui. Ita enim interpretor laudes, quas tribuis mihi supra meritum. Quia revera nec multum in his literis præstamus, & pro ratione tamen temporum, fortasse nimis. Iacent enim profecto honestissime artes; & ut alias à bello civili clades, sic hanc habemus; contemptum dico omnis laudis & virtutis. *Arnobium* tuum calere jam PLANTINI prælo suspicor, & tempus est. Nos otiamur. Eò magis, quod nescio quid turbarum hic nos exercet inter Ecclesiastas & Senatum ortarum; cujus rei contactus pervenit etiam ad scholam nostram. Et sunt è primariis Professoribus, qui discessum fere minentur. Ajunt à vobis jam vocatos esse,

Nominatim D. DANÆUM. quod nondum induxi animum ut credam ⌣. Si quid tale est, gratum mihi si per te cognoscam ⌣. Vale, Vir Amicissime, & uxorem tuam à me saluta. Lugd. Batav. Idib. Martiis. quo die in curia Pompei Cæsar. CIↃ IↃ LXXXII.

EPISTOLA LVIII.

IVSTVS LIPSIVS *THEODORO CANTERO*

S. Dico.

ET literas tuas accepi, & librum, quem antea ad te miseram: de quo tardius remisso nihil est, quod excuses: uti enim jure omnibus meis potes, cum voles, & quamdiu voles. *Arnobium* tuum serio seduloque imprimi gaudeo. &, nisi fallor, intra paucas eum septimanas habebimus; nisi quid tamen PLANTINI morbus impediat, quem nuntio tibi duas jam septimanas κομύειν καὶ μοχθηρῶς ἀλαπάζειν. ut quidem ex literis *Moreti* generi ejus cognovi. De *Agellio* meo abjeci cogitationem. Ecce enim tibi ex transverso CARRIO, qui Lutetiæ illum edit apud *Somnium*. Atqui nec ego in illum, nec PLANTINUS in istum incurrere volumus. Academiæ & Ecclesiæ nostræ res ex quo melius, quam ex VULCANIO nostro intellexeris? Quo licebit dies aliquot fruere ⌣. Vale, & amicos saluta; convictores etiam meos, si usuveniet, eorumque parentes. Lugduni Bat. VIII. Kal. Sext. CIↃ IↃ LXXXII.

EPISTOLA LIX.

IUSTUS LIPSIUS THEODORO CANTHERO

S. Dico.

EPistolam tuam accepi post longum intervallum; sed ignosco facile occupationibus tuis, quæ itidem & me sæpe arcent à scribendo. Amor interea non cessat, nec cessabit, quamdiu vigebit in me id, quo vivo. De BAUDIO quæsivi diligenter. Est ille quidem Apulei diligens, sed negat exemplar ullum se vidisse manuscriptum; ne notas quidem habere, præter paucas, quas non gravabitur in tempore ad te mittere. CARRIONIS *Emendationes* vidi. Iudicium quæris? Bona quædam in iis esse non nego: sed adfectata pleraque & emendicata. Novi hominem, & quid possit. Unde autem ille tam subito Græcus? Non fallit me bonus histrio quin ea sint ab aliena mente, imo manu. Nam ne scribere quidem Græce noverat. An Gallia homines sic immutat? In multis occasio mihi risus, velut cum me etiam laudat, & vocat *Nostrum*. Egone? Spretum me, rejectumque à bonis omnibus esse velim, si tuus. Sed pergat ille ludere & illudere suis pueris: me nec capiet nec fallet. Hæc apud te solum. At, quod oblitus; Idem illum etiam *Agellium* edit, & scio certò exemplar jam esse apud Typographum eundem. Ego stultus

cur

cur cessavi? GIPHANIO sanè hoc tribui, cujus labori intervenire nolui aut laudi; nam alioqui ante emittere, ut scis, paratus mihi ad editionem ille scriptor. Sed hæc mihi non tanti. Loca de quibus judicium meum quæris in *Arnobio* quæram & videbo. Nunc ignosce festinanti & occupato. Vale, mi CANTERE, Lugduni VI. Kal. Decemb. CIↃ IↃ LXXXIII.

EPISTOLA LX.

IUSTUS LIPSIUS THEODORO CANTHERO

S. Dico.

TU vero, mi CANTERE, sæpe velim & appelles me literis tuis, & interpelles. Quamquam enim distineor sæpe; tamen ut ille apud Comicum ait, *Nunquam sum occupatus amico operam dare.* Atque adeo non gravis mihi tua interventio; & recreet etiam & animum jacentem sæpe levet. IANI GULIELMII *Plautinas* vidisse te gaudeo. Quas valde me hercules probo. Pauca meliora prodisse credo his aliquot annis ex omni Criticorum officina. Acumen ejus in scribendo, in divinando, mirum; purum judicium, sublime ingenium, & adde nescio quem genium prisci & melioris ævi. De *Apuleio* auctor tibi sum pergendi, ero & adjutor; Nam quamquam premi Scriptorem eum scio judiciis vulgi; tamen aliter nos æstimamus, & hauriri ex eo non pauca posse fatemur,

mur, rebus electa aut verbis. Lasciviam deme & illud argumenti vitium, quid culpes? Cacozeliam in sermone aliquam, fateor: sed quæ in bonum cedat bonis. Cum judicio enim eligere ea possumus, cum judicio uti. *Agellium* à CARRIONE jam edi idque typis HENRICI STEPHANI Lutetia ad me scribunt. Nos nescio quid de *Magistratibus* molimur; an emoliar, viderint Musæ. Vale & in amore mei persevera. Lugduni Bat. VI. Kal. Mart. CIↃ IↃ LXXXIV.

EPISTOLA LXI.

IUSTUS LIPSIUS THEODORO CANTERO *Suo*

S. Dico.

ECce, Vir Amice, venit ad te HIERON. MISIGERUS Austriacus, Historicus CAROLI Archiducis, vir doctus, & ab amicis Antverpiensibus mihi commendatus. Cupit urbem vestram & te inprimis videre. Excipe illum uti meretur. De AND. SCHOTTO jampridem nihil audivi, non item de ejus scriptis. Per tempora tam funesta scis cessare commercia hæc omnia literarum ..... tuo tempore tibi spondeo & voveo. Vale & me ama: nam hæc subito cogor scribere, Latore jam in procinctu. VI. Augusti.

EPIS-

EPISTOLA LXII.

IVSTVS LIPSIVS THEODORO CANTERO

PAullo serius respondeo & scio ignoscis: qui scis quam sæpe & languor & occupatio varia me interpellet aut tardet. Nunc etiam Angli aliquot his diebus tenuerunt, quibus dandæ aures: iterumque redituri erunt intra paucos dies, atque hinc ad vos recta profecturi. De filio tuo quem ad studia mittere proximo vere istuc destinas, valde probo. Utinam & de domo adsentiri tibi possem, quod petis. Sed veteres rationes meas nosti. & ut eas in te neglegam (cujus unius caussa certe etiam cum incommodo meo quædam velim) tamen valetudo hæc mea tam infirma, tam anceps non admittit prorsus ut curam ullam admittam. Scio probum tuum illum, modestum & te patre dignum. Sed curandum tamen, aut non recipiendum. Itaque ut veniam mihi neganti des, peto. Consilio apud alium te juvabo, cum huc veneris, aut cum ad me scribes. Illum Italum, certum nuntium si nactus fuero, ad te mittam: hominem maledicentissimæ linguæ, tenuissimæ doctrinæ videbis, judicabis, valebis, nam nunc quoque abripior. Lugd. Bat. XVII. Kal Iun. CIↃ IↃ LXXXVI. D. Decanus amice mihi offert Florum manuscriptum: quæso fac ut primo nuntio accipiam; nunc mihi otium & oportunitas conferendi. Item

in

in *Valerium Maximum*, post PIGIUM *notulas* scribo. Si quid habes, juva.

EPISTOLA LXIII.

IVSTVS LIPSIVS *THEODORO CANTERO*

S. Dico.

GAudeo, Vir Amicissime, quod in strepitu negotiorum, quibus circumfundi te scio, memoriam nostri, non deponis. Quæ apud me quoque viget, sed minus eam sæpe literis daturo; sive occasio non est, aut materies, sive quia occupationibus tuis meisque parco. Nam me per hos menses valde exercuerunt atque etiamnum exercent *Politica* nostra, quæ ipsa quidem absolvi, sed *Notas* aliquot addo iis illustrandis. Tuam ego sortem profecto doleo, & non doleo, quia solvi ab ea tibi melius esse scio, at non Reipublicæ, quæ hoc tempore moderatis viris consiliisque maxime eget. Si valetudo & tempora favent, fortasse ad vos excurram, sed vix ante æstatem inclinantem. A nundinis magni nihil habemus: specioſi aliquot tituli sunt, in re haud multum. *Opus* Lutetiæ editum est *Historicorum* veterum Galliæ, sed id videre mihi nondum contigit. Intelligo emissum à PYTHÆO nec dubito, quin scrinii aliquid & illo dignum. Catalogum curabo, & jam nunc, ut spero, ad te mitti. Tu interea molestiam tui muneris, ô Amice, devora;

&

& cogita brevi te venturum ad metam. Vale & salve, una cum uxore tua & filiis, quos apud te adhuc esse puto. Leidæ XVI. Iunii. CIↃ IↃ LXXXIX.

EPISTOLA LXIV.

IVSTVS LIPSIVS *THEODORO CANTERO*

S. Dico.

EGo, mi Amice, ad iter me paro, quod valetudinis caussa susceпi: DEUM rogo ut succedat ex meo voto. Et filios tuos si comites mihi esse vis, libenter admittam & monebo ac juvabo consilio quæcunque potero. Parati igitur esse deberent intra paucos dies, quia cum ventus operam dabit, una cum mercatoribus statui abire. Te rogo, uti memoriam mei cum benevolentia serves, idemque meo nomine petas ab utroque D. BURCHIO, quos ex animo saluto. Catharri, qui valde me nunc affligunt, haud patiuntur scribere uberius. Ama me tuum & vale. Lugd. Bat. VI. Kal. Mart. CIↃ IↃ XCI.

EPISTOLA LXV.

IVSTVS LIPSIVS *THEODORO CANTERO*

S. Dico.

UT animus tibi devinctus hæret, mi CANTERE, sic jungi aliquando sermone vult, sed

sed iste literarum quò datur. Scripsi nuper ad TORRENTIUM Antistitem de ARNOBIO STEWICHII; & serio petii. Literas ab eo habui, sed ad eam rem nec verbum. Non tamen despero & in occasione movebitur. Filiis tuis in Italia bene esse spero & opto; si quid per me iis potest, dabo effectum. Ex usu illorum & tuo est, abesse eos paulisper ab his turbis, quarum exitus quis futurus sit nescio, & vereor tamen ut exitium inclinet ad illas partes. Nos brevi iterum ad fontes; nihil publicum scripturi, nisi bona fide firmatur nobis valetudo. Quid opus est? Famæ. Satis invidiæ & calumniarum plus satis, ex iis quæ jam scripta. Venit ad vos habitandi caussa GUIL. HESPELIUS, vir modestus & prudens, & mihi diu amicus. Filios habet egregria indole, ex iis unum Græcarum literarum apprime diligentem. Velim ut ipsi, quod in te erit, faveas & in publicis oneribus alleves, quantum potest. Vale, mi CANTERE, Salutem meo nomine dicito D. Prætori ZULENO Leodici. IV. Id. Apr. CIↃ IↃ XCII.

EPISTOLA LXVI.

IUSTUS LIPSIUS *THEODORO CANTERO*

S. D.

TUas accepi, amoris potius veteris monumentum, quam rei novæ aut argumenti in-

dices. Et vero quid serium per hæc tempora scribatur? Vix licet, vix libet; cum nil nisi triste, aut asperum, & factionum fructus aut turbarum. Quibus finem pace aliqua sermo magis quam res nuper spondebat. Ego video ἀπροσδόκητον hunc πόλεμον nec nisi victoria cum partis exitio terminabit aut componet. Sed nec in studiis valde est, quod equidem scribam. Non excitari ea valde, aut erigi per hæc tempora tute non ignoras: etsi quid facimus, vereor ut frigus habeat aut languorum. Te laudo, qui non intermittis. Et debes sane, qui post diuturnas occupationes cœpisti esse tui juris. Ut à fame cibi suaviores, sic studia post intervallum. *De Militia* intra dies tres aut quatuor prodibit. Lovanii. postrid. Kal. Iun. CIↃ IↃ XCV.

EPISTOLA LXVII.

Nob. & Erudito

LAMBERTO CANTERO
THEOD. FILIO ICto.

IUSTUS LIPSIUS
S. D.

SUave mihi fuit audire, te cum fratre incolumes ex longinqua, atque etiam satis longa peregrinatione rediisse: sed illud suavius, quod tuis literis accepi & credidi, mei memoriam & amorem apud te vigere. Equidem in cætera nostra juventute, cum Leidæ essemus, animum meum in te propendisse testari possum: sive

sive pater, sive patruus hoc faciebant, quem utrumque amavi, sive & tua alioqui indoles, & profectio, quæ visa id mereri. Gaudeo opinionis hujus me non falsum; tum etiam, quod in probitate & moribus bonis priscisque perseveras. Quod decoxisse multos æqualium tuorum videmus & dolemus. Tu vero mi LAMBERTE, majorum vestigia preme, hostis novitatis, id est pravitatis. Si tempora sic essent, ut peregrinari possis & nos videre, optem & te amplectar: illa nunc non suadent, nec item parens tuus, cui obtemperandum. Sustentemus nos spe, fore id aliquando: quid si opinione citius? ut Ille quidem ab alto potens est dejicere omnia aut componere, cum ei visum. Vale mi CANTERE, Lovanii postrid. Kal. Iun. CIↃ IↃ XCV. Fratri tuo S.

EPISTOLA LXVIII.

Doctissimo Viro

ADRIANO VANDER-BURCH

multum dilecto.

Ultrajectum.

IULIUS DEI *gratia, Episcopus Herbipolensis & Franconiæ Dux.*

PAucis abhinc mensibus tuam illam *piarum similitudinum* inspeximus *farraginem*, inspectam probavimus, quod in ea, quicquid esset, pium esset, & utile futurum, opinione nostra, Lecto-

ctori: acceſſit modo *Sylva* tua *piorum amorum* nobis inſcripta; in eam quam primum noſtros conjecimus oculos, deprehendimus in illius initio tuum in nos amorem, & in res divinas quoque, quas carmine complexus es, animum non vulgarem. Ludunt alii in obſcœnis amoribus, tu Chriſtianum Lectori proponis; alii ſuo labore quid promerentur laudis? Laudis nihil, vituperii vero plurimum. Vigiliæ ac operæ tuæ non erunt apud Iuventutem inanes. Ut viciſſim videas quis noſter in te ſit animus, literis hiſce noſtris exiguum ad te mittimus donum, illud ut benevolo animo capias, habeaſque noſtræ in te benevolentiæ tanquam teſtem, optamus. Vale, & uti feciſti hactenus, nos amare perge. Datum in caſtro noſtro Herbipolenſi. III. Idus Aprilis Anno XCV.

IULIUS Epiſcopus Wirceb.

EPISTOLA LXIX.

Ornatiſſimo Viro & fratri Chariſſimo

D. HENRICO CORPUTIO,

Fideli ac pio Eccleſiaſtæ in Eccleſia Dordracenſi.

S. *Dordracum.*

PUdet me profecto, pudet, mi frater non mediocriter quod tamdiu literarum tuarum argumento reſpondere diſtulerim; ſed in cauſa fuerunt duo in quæ pro humanitate tua rejicies culpam, tum quod ſero mihi à te fuerint, redi-

ditæ; tum quod plerumque tempus, ex quo ad me fuerunt allatæ, in migratione occupavi. Iam enim Neuſtadium ad Profeſſionem revertimus, cui adſit & benedicat DOMINUS. In poſterum ſpero Commodius & ſæpius alter alterum literis compellabimus. De Principis Auraſiorum reſtitutione tam libenter audivimus, quam dolenter acceperamus vulnus. Ego Principiſſæ ſcribo verbum unum aut alterum ad quam, ſi placet curabis perferri. Leidenſis negotii me miſeret; & graviter metuo ut amplius ſerpat malum, adeo diffido ingeniis dogmata falſa haurientibus avidiſſime & rapientibus omnia ad libertatem carnis. Id vero ſpectaculum eſt tum Satanæ, tum adverſariis omnibus gratiſſimum, quod hic bonos plurimum afficit & (ut cum Paulo dicam) me urit aſſidue. DEUS pro infinita ſua miſericordia tanto vulneri medeatur propter nomen ſuum. Ego & uxor, quid agatis, cupimus cognoſcere, & ſi quos ex tuis liberis huc ad nos placeret tranſmittere præſtaremus quicquid ad educationem & inſtitutionem liberalem putares pertinere. Tu cogitabis & ſi qua in re operam noſtram deſiderabis certiorem me facies. Quod mones, à nonnullis non bene accipi, quod ſcribo, SPIRITUM SANCTUM *eſſe communionis Illius auguſtiſſimæ* DEI *cum catholica Eccleſia inſtrumentum*, rem facis gratiſſimam. Itaque exponam paucis ſententiam meam, quam viris bonis ſpero facturam ſatis. Ac primum quidem ſtatuo, quid quomodo dicatur, cum in omnibus rebus vi-

dendum esse tum in hac maxime, in qua versatur tota Salutis nostræ ratio. Quamobrem Basilii verba ad Nasianzenum scribentis præmitti opus est; *Non eram nescius*, inquit, *cum scriberem humanitati tuæ omnem sermonem & vocem, quæ de* DEO *habetur, cum inferiorem esse dicentis cogitatione, tum exspectatione desiderioque ejus, qui quærit & consulit; quia nescio quomodo est à natura comparatum, ut sermo cogitatis verbis serviat infirmius. Si igitur infirma est nostra cogitatio; lingua vero cogitatione infirmior, quid nos sperare oportet in dicendo? nonne paupertatem orationis accusare? Non potuit tamen propterea silentio præteriri quæstio. Si enim prompte non exposueris de* DEO *responsa amantibus* DEI, *proditionis est periculum.* Hæc Basilius, quæ ad totum illud scriptionis genus, quod institui accommodare merito possumus. Iam ut ad rem veniamus? scimus & pariter credimus in Sancta Trinitate singularia esse Patris opera intus, alia Filii, alia Spiritus Sancti, Patrem gignere, Filium gigni à Patre, Spiritum Sanctum ab utroque procedere, illud præterea scimus quæcunque opera DEUS extra solet perficere, ea communiter à Sancta Trinitate perfici, id est, DEUM PATREM, FILIUM & SPIRITUM SANCTUM, DEUM unicum, creare, conservare, administrare, redimere, salutem dare, judicare, &c. Sed in hoc tamen operum genere, etsi proprie Personarum trium commune est, non improprie tamen diverso respectu, aliud Patri, aliud Filio, aliud Spiritui Sancto tribuitur; ut cum Pater Creator, Filius Redemptor,

tor, Spiritus Sanctificator appellatur. Nam Creator est quidem DEUS Pater, Filius & Spiritus Sanctus. Sed Pater suo & singulari modo Creator est, & sic de cæteris. Nempe discreto Causarum ordine, ad quas si attendamus, Pater est caussa efficientissima, Filius est materia, Spiritus Sanctus est instrumentum, sed ὑποδὲς seu essentiale. Finis est gloria DEI PATRIS, FILII & S. SPIRITUS. Instrumentum essentiale nomino quod non est adscitum aliunde, sed ipsum est essentia DEI; nam brachium aut manus est essentiæ hominis, sed tamen ab ipsis Philosophis ὄργανον τῆ ὀργάνου. appellatur. Cum autem Spiritui Sancto proprie illud tribuatur, quod est πλειωτὴς sive πλειστικὸς (ut à Nazianzeno & Chrysostomo persæpe dicitur) id est Perfector & Perfectificus (sic enim liceat loqui) hinc effectorem αὐτεξούσιον μεγαφορικῶς atque liberrimum à Patre & Filio procedentem voco Patris & Filii instrumentum, quia per illum Pater & Filius perficiunt suam communionem cum Ecclesia sua; essentiale, inquam, instrumentum, quo Pater & Filius, tanquam brachio aut manu perficiunt opus suum; nam in scriptura quoque manus dextera & brachium Domini (id autem instrumentum essentiale est) appellatur; quæ nomina amplitudini quidem Spiritus non satisfaciunt, sed tamen προσφυῶς enuntiari oportet & accipi. Ac manum quidem & dexteram & brachium DEI appellari viderunt omnes; Ambrosius in I. Corint. Au-

guſt. in Pſalmos. Baſilius in Apologia ad Cæſarienſes, & alii. Hæc autem κοσμικῶς, id eſt convenienter DEO oportere accipi, tum iidem docuerunt, in primis vero Baſilius ad Amphilochium; & contra Eunonium maxime, tum illa principia docent Dialecticæ, qua copioſè perſequitur Nazianzenus in oratione de Spiritu Sancto; *Nos*, inquit, *offenſam hanc tibi diluemus, philoſophantes paululum de rebus atque nominibus, idque maxime ex ſcripturæ conſuetudine. Rerum aliæ non ſunt & dicuntur tamen; aliæ ſunt, nec dicuntur; aliæ ſunt & dicuntur ſimul. Horum demonſtrationes à me deſideras? Paratus ſum exhibere. Dormit in Scriptura DEUS & vigilat, & iraſcitur & ambulat, & thronum habet Cherubinorum. Ecquando fuit infeſtus perturbationibus? Quando corpus DEO audiviſti tribui? Fingitur autem hoc quod non eſt: nam quoad ejus à nobis fieri potuit, à rebus noſtris divinas nominamus*, &c. Habes, mi frater, quæ ad argumentum iſtud videntur ſatis: non mihi qui per ænigma tantum res adeo celſas videre poſſum, ab omnibus peto condonari ſi per ænigma de iis loquutus ſum. Divinius quidem certe ſi poſſem loquuturo. Cæterum non diſſimulabo fratres Genevenſes & alios quoſdam iniquè tuliſſe quod de *Electionibus* ſcribens, videar Eccleſiis Gallicis quodammodo facere præjudicium, cum tamen Aureo Apoſtolorum Seculo rationem illam in uſu fuiſſe fateantur. Cauſam, quæ ipſos impellat video: ſed ea tantum apud me non poteſt, ut ab exemplis Apoſtolo-

rum

rum discedam. Omnino inter nos convenit, si bene expendatur Scriptum: Sed tamen ut ipsis satisfacerem cum secundò edetur liber, hæc statui adjicere. *Pag.* CXXXVII. post hæc verba, *Clara voce pronuntiarentur*, addo, *à præeunte Presbyterio, totove Conventu*: *Pag.* CL. post *in Ecclesiis omnibus*, addo, *Priscam illam Sanctimoniam & pacem colentibus*. *Pag.* CLII. post, *demonstravimus*; addo, *aut Presbyterio (prout non infeliciter Ecclesiæ DEI non paucæ fiunt) res tota permittatur integro Ecclesiæ jure*. Hæc satis ostendunt me non ordinem Ecclesiarum receptum, sed Principum ut Magistratuum auctoritatem in res Ecclesiasticas involantem oppugnare. Vides ut me raptim iis scribentem abripiunt. Et excurrit calamus festinanti. Plura ut scribam vetat acceleratio. Ego & uxor te, sororem, liberos, fratres, amicos communes nostros officiosissime & ex animo salutamus. Otterburgo discessi ante dies XV. Sed omnia sunt adhuc indigesta in ædibus. Liberis bene est. DEUM oro ut tibi, tuis & Ecclesiæ toti bene sit adversus tot tantasque impendentes procellas, quæ Christianitati non parum minitantur. Iterum Vale. Neustadio die Martis, XXII. Maji. CIↃ IↃ LXXXII.

Tuus

FR. IUNIUS.

EPISTOLA LXX.

Reverendo ac Venerabili Viro

M. BUCHONI MONTZIMA,

Præpoſito apud S. Ioannem Trajecti,
Domino ſuo honorando.

Lovanium.

CUm hodie eſſem apud D. Præſidem, Reverende Domine Præpoſite, allatæ ſunt ad eum literæ, quas abs te venire, ex ipſa ſtatim inſcriptione indicavit, nec ullam moram interpoſuit, (tametſi alias occupatus) quin eas reſignaret, & cum aviditate quadam, & animi alacritate legere inſtitueret. Inter legendum animadverti vultum immutari, & poſtquam perlegiſſet, plus quam credibile eſt, ipſum apud animum affligi. Hac re vehementer commotus (nam læta expectabam) nihil equidem percunctabar, nec ſanè is ſum, qui alienis rebus unquam me immiſceo; ſed tamen, ut verum tibi fatear non potui animo meo ſic imperare, quin pro ſumma mea obſervantia, quam D. Præſidi debeo, & pro amore, quem erga te gero, ſollicitus eſſe ceperim ecquid fortaſſe eſſet, quod non rectè ſe haberet. Hæc dum cogito, ultro mihi D. Præſes nec ſine magno dolore, tuas literas legit, de promotione excuſata, addens illis alias priores, de eadem acceptata, quod ſummam illi dedit non ſolum admirationem, ſed & animi ægritudinem, tum quidem propter inconſtantiam, & ſpem quam de te concepe-

rat,

rat, & in te uno collocarat deceptam, (sic enim dicebat) tum verò propter tot annorum in te formandò, instituendo, & omnibus denique rebus ornando, labores ac sumptus perditos ac consumptos. Cui & hoc adjecit non sine magno nominis sui detrimento, supradictam promotionem tuam omitti posse, propterea quod jam à multo tempore publice eam & privatim significarit, & amicos ad eam rem passim invitarit, neque non D. HORSTIUM futurum tibi collegam, ejus certiorem fecerit, cum pluribus aliis, ac maximè quidem de te tuisque omnibus abdicandis & à familia sua abalienandis, quæ nihil hic attinet commemorare. Hæc audiens repressi me à dolore quantum potui, & bono animo D. Præsidem esse jussi; orans insuper ut in meliorem partem accipere & interpretari velit, nec dubitandum, quin si tua tibi constet voluntas, in potestate ipsius sis futurus, & quantum tuam virtutem novi, quod jubeat, facturus. Quid multa? Ita discessi ab eo, ut post omnia ad leniendum ejus animum, à me tentata, tamen persisteret in sententia, nec quicquam admitteret, quod ad iram minuendam pertineret. Id videns cum STINA & aliis amicis, qui tibi bene volunt, & salutem tuam commendatam habent, rem contuli, qui nihilo, certè non multo plus opis se habere ostenderunt, nec videre, quid consilii, aut auxilii sit ineundum. Denique huc ab omnibus reditum est, ut non alia ratione D. Præsidem placari posse censeant (si tamen placari poterit)

quam

quam si continuò ad promotionem te pares; eique rei certus dies dicatur. Qua de causa visum est, ut D. CORNELIUS, STYNA & frater tuus, cui jam miserè & in summo mœrore jacenti, domus interdicta est, clam se subducerent & ad te excurrerent. Quorum optimis monitis & consiliis; & meis, si admittis, exhortationibus, uti acquiescere velis, te per optimi & sanctissimi avunculi tui erga te amorem & per tot annos susceptum laborem, curam & sollicitudinem, perque tuam ipsius salutem qua de sola agitur, & tuorum fratrum ac sororum prosperitatem, quæ in te uno periclitatur, majorem in modum etiam atque etiam oro, nec ut ullo modo omittas, iterum atque iterum & ter quaterque obtestor. Sic igitur facies & valebis, & me totum tuum esse tibi persuadeas. Bruxellæ VII. Maji. CIↃ IↃ LXIV.

T. D. deditissimus

IOACH. HOPPERUS.

EPISTOLA LXXI.

Clarissimo & Amplissimo Viro

D. OTTONI CHELIDONIO dict. SWALUE,

L. L. Doctori, Domino & Fratri suo in CHRISTO.

Leovardiam.

Gratia & pax a DOMINO IESU CHRISTO.

MOrem gessimus non necessitati, sed voluntati tuæ, optime in CHRISTO frater. Si ne-

necessitatem spectassemus, potuissemus te ad celeberrimos, cum Theologos; tum Iureconsultos ablegasse, qui & elegantius & copiosius ea de re scripserunt, cujus tu à nobis explicationem seu potius consensum postulabas. Proinde explicationem omittentes, putavimus nos satisfacturos & exspectationi tuæ & officio nostro, si testatum vobis faceremus, nos ea per omnia approbare, quæ à magnis viris & nostris præceptoribus in DOMINO observandis de iis rebus didicimus. Quod si locorum & temporum circumstantia isthic diversum flagitarit, hoc nos, qui istarum rerum ignari sumus, dijudicare non potuimus; ideoque veniam dabitis, si quid minus appositè à nobis sit scriptum. Confidimus quoque te, qui hæc extorsisti, & in cujus gratiam mittuntur, fore ea in nos benevolentia, ut nulli sis communicaturus responsionem nostram, nisi certo persuasum habeas, id utiliter fieri posse & absque detrimento Ecclesiæ & pacis. Synodum vobis salutarem opto à DOMINO. Video vobis incipientibus constituere regnum CHRISTI multa impedimenta passim objici: quæ si superare velitis, magna diligentia & consilio opus erit. Paucos habetis ministros, sed pauciores, qui vel theoriam vel praxin theologicam habent, qui nisi duces nanciscantur, qui ipsis præeant, & diligentibus visitationibus in officio retineant, metuendum certe est; ne sæpe plus destruant quam ædificent. Ergo ut anno superiore

riore hortabar ut ex Ecclesiis Reformatis & longam praxin habentibus accerseretis ad exemplum aliorum, viros pietate, scientia & autoritate præditos, qui fundamenta totius reformationis feliciter saltem jacerent, etiamsi vobiscum manere non possent, idem nunc repeto. Ipsi enim videtis, quanti intersit fundamenta firma & salutaria esse. Te quoque hortatum & rogatum velim, ut ad D. CALVINI sanctæ memoriæ & OLEVIANI nostri exempla à tuo jure civili ad jus cœleste progredi velis quò te DEUS, Ecclesiæ summa necessitas, & natura quodammodo ipsa invitant. OLEVIANUM CALVINUS in lecto decumbens pede cunctantem in messem DOMINI extrusit; patere ergo te extrudi meis precibus. Vides messem in agro quodammodo putrescere, & tu privatam vitam expetes, qui facultatem à DOMINO accepisti haud exiguam ad colligendum triticum? Vide igitur, mi Frater, quid tandem DOMINO exigenti rationem responsurus sis, si à vineæ cultura diutius abstinebis. HENRICUM illum Midwoldanum ad vos ablegabo, ubi primum potero. Adjunget se ei forte alius, qui hoc anno in *Oplewert* juventutem docuit, qui probatis moribus est, sed utrum in fundamentis Religionis satis institutus sit, ignoro. Faciemus tamen periculum, & qualem deprehenderimus, talem vobis commendabimus. Multum impedit studia Theologica, quod juniores isti ignorent, quos libros potissimum legere debeant, ut fundamenta fideliter jaciant. Ergo

quum

quum sis frequenter in agro, hortare juniores, ut ante omnia discant & ediscant *Catechismum Heidelb.* cum annotatis & descriptis in margine testimoniis. Eo absoluto conjungant OLEVIANI *libellum in Symbolum Apostolicum* qui & Germanice & Latine exstat; *Confessionem* BEZÆ, *quæstiones & responsiones. Sacra Biblia* singulis diebus statis horis legant & cum primis *Epistolas* PAULI. Tandem ad CALVINI *Institutiones* progrediantur, quam iis præmissis magno cum fructu legere possunt. Si hoc consilium sequantur, longis commentariis non indigebunt, sed unus CALVINUS cum *Annotationibus* BEZÆ *majoribus & minoribus* ad formandam concionem sufficient. Hæc quum inciderent adjicienda putavi, non ut te erudirem, Frater, sed incitarem potius ad formanda & dirigenda studia eorum, qui quum ad docendum vocati sint, vix satis tenent, quomodo utiliter discere possint. Intellexi fratrum quorundam animos valde alienatos propter RENNECHERUM pretum, quos per DOMINUM nostrum IESUM CHRISTUM rogo, ut si hominibus nolint, saltem miseræ patriæ & nascenti Ecclesiæ hanc culpam condonent, ne sathan occasione arrepta tandem magis Ecclesiam affligat. Eadem ratio me quoque movet, Chariss. Frater, ut vehementer dubitem, an expediat HERMANNUM, doctum alioqui virum, revocari. Habet, ut scis, quædam peculiaria in quotidiana conversatione, quæ nescio an teneris istis hominibus satis conventura sint. Vos, qui pru-

den-

dentiores & fortiores estis, tolerate quæso hac in parte infirmiores & ad Ecclesiæ ædificationem vestra consilia dirigite. Est Zutphaniæ, Vir Doctus, IOSUA LAGUS, qui Heidelbergæ Concionatorem & Rectorem pædagogii egit, is posset in erigendis scholis, in lectione catechistica vos multum juvare, si vocationem, quam nunc nullam, ut audio, habet, sequi vellet. Si is recusaret, aut minus idoneus judicaretur, quærendus esset alius, & forte inveniri posset, legitime requisitus. Gaudeo vestra comitia proxima feliciter cessisse patriæ. DEUS manum vobis porrigit, vestrum est porrectam amplecti. Vale & festinationi meæ ignosce. Fratres & communes amicos ex me officiose salutari cupio & inprimis D. ABELUM FRANCKENA, quem novis honoribus intelligo auctum. Embdæ pridie Kal. Aprilis. An. CIↃ IↃ LXXXI.

T. S. amantiss.

MENSO ALTING.

EPISTOLA LXXII.

Nobilissimo Doctissimoque Viro

D. THEODORO CANTERO,

Consuli Ultrajectensi, Domino & Amico plurimum Colendo,

FRANC. NANSIUS

S. D. *Ultrajectum.*

MIsso ad te, Vir Cl. quem petivisti BECICHEMI librum; quem non miror tibi nunquam

quam esse visum: quippe cum sit ratissimus, ut pote abhinc annos prope centum excusus. Eo uti poteris quamdiu voles. Voles autem, sat scio, tam diu, quoad totum diligenter (ut soles omnia) evolveris & perlegeris. Gaudeo te recte valere, & totum esse in studiis animo omnino libero ac tranquillo. Quod mihi (prò dolor) non licet. Sed ferendum est (ajunt) æquo animo, quod mutari non potest. Doleo tamen, me, hac senili ætate & valetudine imbecilla, ita debere jactari & cum fortuna veluti luctari. Ego (ut ingenue fatear) nihil nunc serii præ manibus habeo. Mea sunt hic adhuc omnia indigesta & confusa: adeo ut plus sæpe temporis ac laboris impendam libris meis quærendis quam perlustrandis, si quid in iis quærendum sit. Quod si liberè & securè studia hæc humaniora mihi tractare liceret, aliquid adhuc (ut spero) in lucem proferrem, quod rem litterariam promovere fortasse posset. Sed id optare magis quam consequi licet. Id unum me consolatur, quod videam mihi ex hac misera & tumultuosa vita esse brevi migrandum. Quod ut feliciter & beatè fiat, DEUM Omnipotentem quotidie precor. Bene Vale, Vir Maxime & animo meo longè charissime. Raptissimè, Dordraci, XXVIII. Octobr. CIↃ IↃ XCI. Stilo veteri; quo die tuas accepi. De D. LIPSIO nihil prorsus audivi ex quo huc veni. Ex D. RAPHELENGIO Professore & Typographo poteris (opinor) certi aliquid de eo intelligere. Resalutat te amantissimè D. Doct. BASTINGIUS.

Iterum Vale. Et NANSIUM tibi perpetuò addictissimum redamare perge.

EPISTOLA LXXIII.

Reverendo & eximio

D.M.N. HENRICO CVYKIO,

Lovaniensi Decano dignissimo.

Lovanium.

Admodum Reverende & eximie Domine M.N.

OFficium Recollectionis non est amplius apud me, sed apud Ill. D. Card. GESUALDUM. Dabo tamen operam, ut illud recipiam, & mittam vobis, vel per *Clementem Subbindium*, si ad me venerit, (ubi enim habitet nescio) vel certe per Patres nostros, qui brevi, Congregatione generali absoluta, in Belgium redibunt.

Reverendo D. CÆSARI BARONIO exponam, quæ cupitis, cum occasio se obtulerit. Nunc enim vix spatium respirandi habeo, cum quotidie per multas horas in conventu nostro generali sedere me oporteat, & redeuntem ad Collegium hoc nostrum obruant me domesticæ occupationes. Sunt enim in hoc collegio supra viginti Professores, & circiter duo millia auditores, ex nostris autem religiosis circiter ducenti.

Bulla Pii v. de censibus personalibus nunquam revocata fuit, & hic servatur ab omnibus. Existimant quidem nonnulli, non esse prohibitos e-

jus-

jusmodi census ex natura sua, quod etiam ego (ni fallor) Lovanii docui: tamen ob periculum, vel præsumptionem usuræ recte prohibitos à Pontifice nostri censent, & constitutionem omnino esse servandam, nisi forte alicubi ignoretur, vel recepta non fuerit, & Pontifice sciente & connivente contractus hujusmodi celebrentur. Opto Dominationem vestram in DOMINO bene valere, in sanctis precibus suis memorem esse. Romæ die 11. Decemb. CIↃ IↃ XCI.

Dom. V. Servus in Xº.

ROBERTUS BELLARMINUS.

EPISTOLA LXXIV.

Clarissimo Viro

D. THEODORO CANTERO,

Patricio & Senatori Ultrajectensi, amico summopere colendo.

S. *Ultrajectum.*

THeosophiæ octo qui citantur libri, non pervenerunt ad nos integri, sed tantum ἐκλογαί quædam ante aliquot annorum hecatontadas à nescio quo excerptæ; & à IOANNE PISTORIO per IOANNEM IACOBUM BEURERUM utriusque linguæ Professorem in Friburgensi Academia, nobis è vetere libro Ms. communicatæ, è quibus etiam in Maximi Planudis ἐκλογαῖς quædam etiam in nostra bibliotheca hic inveni. Collegit autem ille Theosophiæ auctor ea potissimum oracula, quæ ad Christi-

anam Religionem confirmandam à Gentilium numinibus edita perhibentur. Libellus erit paucorum foliorum. Etymologicum Ms. Iam aliquot annos ab H. STEPHANO magistro meo petii. Qui cum diutius me suspenderit, arripui quæ potui auxilia, eos scilicet qui extant Græcos lexicographos, Hesychium, Suidam, Eustathium, Stephani thesaurum; nonnunquam & veterum auctorum scholia, & si qui præterea juvare posse viderentur. A quibus sicubi destituerer, ad divinationes confugiendum fuit, in Notarum libello seorsum expositas. Textus quod supereſt intra sex hebdomadas, ut spero, absolvetur: Annotationes & indices exinde ad mercatum autumnalem se extendent. Seorsum deinde succedet tomus alter; in quo libri de Dialectis, Attici lexicographi, Harpocration; si DEUS institutum prosperaverit. Resalutat te MELISSUS, FREHERUS, OBSOPÆUS; COMMELINUS fortasse coram. Vale, Clarissime CANTERE, nosque amare perge. Heidelb. XXI. Maji. CIↃ IↃ XCIV.

F. SYLBURGIUS.

EPISTOLA LXXV.

Doctissimo Humanissimoque Viro

ADRIANO BURCHIO,

Amico singulari.

Lugdunum Batav.

THEODORUS CANTERUS ADRIANO BURCHIO S. Duplici nomine, Vir Doctissi-

ctiſſime pariter ac humaniſſime, gratiſſimæ mihi literæ tuæ, tum quod iis ad ſcribendi officium præter omnem expectationem ultro provocaveris, tum quod plurimarum rerum, quæ illic gerantur, certiorem feceris. Moleſtam tibi hanc moram eſſe, facile, etiam te tacente, ex meipſo conjecturam facio: quis enim ſanæ mentis hunc Reip. ſtatum, non moleſtè ferat, ubi homines probi tranquillitatiſque publicæ ſtudioſiſſimi, indictâ causâ, partim exulare, partim deliteſcere coguntur. Sed cum Poëta dicere poteris, *Habeo, quibus me ſoler elementis.* Cum enim memoria recolis, quotuſquiſque de Romana Rep. optime & præclariſſime meritus, non ad extremum, quorundam invidia, quorum infinita ſuperſunt exempla, aut vita, aut exitio multatus fuerit. Et quam multis perſecutionibus, damniſque primitivæ Eccleſiæ Proceres, ab Arrianis, affecti fuerint, facile animadvertis, novi nihil quod prioribus ſeculis inauditum fuerit, accidere. Quare æquiſſimo animo hanc moram feras oportet, dabit enim DEUS OPT. MAX. his quoque finem. Plura non addam, *ne ſus Minervam.* Nos hic in eodem adhuc luto hæremus, videntur tamen omnia ad mutationem tendere, nam qui ad clavum ſedent, indies ſe magis magiſque exoſos reddunt, & quantum conjecturâ aſſequi poſſum, nollent factum, ut cum Comico loquar, ſed quod factum eſt retractare non audent, verentur enim ac metuunt, ne alta mente repoſtum, ut poëta ait, maneat. Regina etiam ſerio, ut videtur,

negotium pacis urgere videtur; &, ut spero, ad felicem & optatum exitum perducet. Carmen illud NANSII, sane doctum & elegans à te missum, tam nobis gratum, quam quod gratissimum. Utinam alia etiam, quæ parata habet, lucem adspicere permittat. *Constantinum* VULCANII brevi proditurum gaudeo, ejus enim videndi & legendi magno teneor desiderio. *Apulei* etiam *Philosophica* ab eodem perpolita, haveo videre; quare hominem urgeas interdum velim, ut utrumque opus maturet, & eum meo nomine quam officiosissime salutes, velim. Miror equidem quod longo tempore nihil literarum à COLVIO acceperim, si tamen publicis commodis inservit, facile hanc culpam condono. His Vale Amicorum Optime, & uxori lectissimæ fœminæ salutem à me dicito, meque tui amantissimum amare perge. Si interdum ad me scripseris, pergratum erit, & si qua in re tibi opera mea prodesse potero, promptum & paratum invenies. Iterum Vale, & quam officiosissime meo nomine salutes velim fratrem tuum D. Decanum; nec non & D. NANSIUM, LIPSIUM, COLVIUM, & omnes communes amicos, Raptim Ultrajecti IX. Ianuarii.

EPISTOLA LXXVI.

Nobili Clarissimoque Viro

D. THEODORO CANTERO &c.

Domino & Amico unicè colendo.

S. P. *Ultrajectum.*

VIr Clarissime. It ad te tandem RONSARDUS

Dus quem petiisti. Moræ causa fuit, quod per quem commodè mitterem non habebam. Neque nautis pluvioso hoc cœlo committere volui, ut nec debui. Interea ego succisivas aliquot hebdomadarum horas ei perlegendo impendi. Idque majore nescio an voluptate, an fructu. Ita mihi accurata in eo feliciſſimaque Poëtarum tam Græcorum quam Latinorum imitatio placuit. Atque ita quidem placuit, ut nisi ætas mea & erumpentes paulatim cani id suo quodam jure prohiberent, darem operam, ut tale aliquod exemplum nostratibus etiam hominibus proponerem. Neque enim lingua nostra, ita est aut sterilis aut barbara, quin parem in compositione vocabulorum dexteritatem, & easdem Veneres, si quis in eo non invita planè, quod ajunt, Minerva allaboret, admittat. Atque utinam HAUTENUS noster, qui *Plauti Comœdias* aliquot nostro idiomate eleganter admodum, vel LIPSIO judice transtulit, publici aliquando juris faciat. Sed fit ferè, ut homines imperitos scribendi edendique libros cacoëthes exerceat; periti nunquam sibi ipsis satisfaciant, & quo sunt doctiores, eò magis doctorum hominum judicia & obeliscos extimescant. In illorum numero, nescio, an ponam novum hunc Parœmiographum, quem ad te mitto, de quo tute melius judicabis. Sed heus tu? neque enim possum quin tibi ut amico consilii institutique mei rationem communem faciam. Versor & ego in non absimili imo eâdem arenâ, utinam verò magis, favente

Minerva, ἐυσόχως. Confusa illa Chiliadum ERASMI congeries (absit verbo invidia) nunquam mihi placuit. Mallem Græca, ita ut apud Paræmiographos Græcos exstant uno volumine, adjecta interpretatione sua fuisset complexus. & Proverbia merè Latina volumine altero. In Græcis congerendis usus est Suida; Zenobio, Apostolio, Diogeniano; & Collectaneis quibusdam Græcorum, titulo Plutarchi editis. Hos omnes, excepto Diogeniano, Græcè habeo, & præter hoc Proverbia ex Tarrhæo & Didymo ac Suida collecta, apud ALDUM edita anno CIↃ IↃ V. Zenodotus Didymi & Tarrhæi Epitymographum titulo ipso se profitetur. Apostolius multa ex Suida, quæ Proverbii speciem aliquam habere videntur, miscet. Operæ pretium itaque mihi facturus videor, si Græcos omnes, qui Proverbia ex professo collegerunt conjungam; Latina separatim edam. Iisque Proverbia Italica, Hispanica, Gallica, Germanica, Flandrica, ac fortassis etiam Anglica adjungam. Habes consilii institutique mei rationem, de quo sententiam tuam exspectabo. RONSARDI pretium est Sol. VII. X. Proverbiorum.

Tu velim mihi à Bibliopola quodam sene circumforaneo, qui istic agit, *Eusebium* ex ultima editione Birckmannia, *cum castigationibus* SUFFRIDI PETRI ad calcem adjectis coëmas, & primo quoque tempore, quod commodo tuo fiat, transmitti cures. Lugduni Batavorum XVII. Novembris CIↃ IↃ LXXX V.

LIP-

LIPSII *Epistolæ centum* ad amicos propediem, uti spero, in publicum prodibunt. Catalogus Francf. nondum allatus est. Libros ipsos quotidie exspectamus. PLANTINUS Antverpiæ est, & reditum ad nos parat. Iterum vale & ignosce festinationi.

Tuus tuo merito

B. VULCANIUS.

EPISTOLA LXXVII.

Clarissimo & Nobilissimo Viro

D. THEODORICO CANTHERO,

Senatori Trajectensi, Domino & Amico magnopere observando.

S. D. *Ultrajectum.*

INtelligo te, mi CANTHERE, oportunitatem habere scribendi ad me, esse enim tabellarios, qui ultro citroque Coloniam & Trajectum cursitent. Quare velim ut posthac sæpius inter nos scribamus. Mittam ego meas ad te literas D. Licentiato IORDANO LOUFFIO, ut & tuas eidem mittas, has autem Francofurtum misi, si forte illic aliquis sit Trajectensis. Spero te cum tuis bene valere. Ego correptus pituita mense Decembri pæne extinctus fui, nunc pæne convalui, infirmior tamen, ut nihil de reliquiis dolorum capitis, unde prima origo mali & morbi, dicam. Memini te mihi scribere Anno LXXVIII. CAUCHIOS habere duo exemplaria Manusc. Lucretii, quid iis evenerit, aut ubi jam ea sint, ut vel unum tuo beneficio ad tres menses inspiciendum habere possim, tu

optimè scire potes: utque me certiorem ea de re facias, vehementer te rogo. Quod Lucretius lib. II. pag. LV. meæ editionis scribit de *Comitibus Cybeles*:

Telaque reportant violenti signa furoris,

nondum alibi reperi, tu ut spero mihi alium Scriptorem indicabis. Haberem plura in eundem Poëtam, de quibus te consulem, sed nolo tibi esse molestus, si autem ultro miseris, quæ in eum observasti, erit eo gratius officium, idem & de Prudentio poëta rogatum te velim, si quid contra apud me erit, quod tibi usui esse poterit, scias tibi prumptum ac paratum esse. Scis ne WOUWEREN esse Romæ? cum illo GASPERO ut se vocat, quos intelligo multa conari, utinam ut sunt adolescentes, intra modestiæ finem se continerent, & prius discere quam alios docere vellent. De meis scriptis in jure multi à me contendunt, ut ea patiar divulgari, sed nondum est otium. Tua autem quando tandem proferes? Vale Amicorum optime & salve. Pragæ XXV. Martii. CIↃ IↃ CII. Aliena manu hæc scripsi propter imbecillitatem.

Clariss. D. V. studiosiss.

HUB. GIPHANIUS.

Unum etiam magnopere te rogatum velim. Habeo jam Buræ Curatorem rerum mearum, WILHELMUM TEGNAGLIUM olim ibi Parochum, ejusve generum GERARDUM sive GERRIT IANSSEN, poteris tu mihi gra-

gratum in eo officium præstare, ut literæ quas tibi mittent ad me curandas, à te dentur Tabellario illi de quo supra facta mentio, & contra si quæ à me ad illos tibi ab eodem Tabellario dentur, ut eas cures dari alicui Burano, vix enim ulla est hebdomada, qua non aliquis ex Bura Trajectum veniat, de quo facile inquiri poterit.

EPISTOLA LXXVIII.

Nob. Doctissimoque Viro

D. IOANNI CANTERO.

Ultrajectum.

IOANNES MEURSIUS IOANNI CANTERO S. D. Ergo, quod promisimus nuper, juvenis Nobilissime, communicemus inter nos literas. Et ecce initium à me esto. Sermo autem nobis trivialis non erit, ut vulgo solet, sed de literis, & Musis nostris. Nihil eo utrique nostrum gratius, nihil etiam dignius. Ergo habe. Quæro quid sentias de isto Manilii loco lib. IV.

Nec sunt immensis opibus venalia fata,
Sed rapit ex sceptro funus Fortuna superbo,
Indicitque rogum summis, statuitque sepulcrum.

Quid hoc, quæso, est? *Fortuna rapit funus ex sceptro.* Quis sic unquam loquutus est? Ego vero sic corrigendum censeo.

Sed rapit & sceptro funus Fortuna superbum.

Et eleganter dixit, *funus superbum sceptro*, in quo

quo sceptrum Libitinæ impositum effertur: Idque ex more suæ Romæ Poëta, nam in Magistratuum funere fasces etiam, Magistratus insignia, lecto impositos efferebant. Haurias illud ex Pediano ad Orat. pro Mil. *Fasces ex lecto Libitinæ raptos attulit ad domum Scipionis & Hypsæi.* Livius ab V. C. Lib. II. *Consulares fasces, prætextam, sellamque curulem, nihil aliud quam pompam funeris putent.* Ecce, quam clatus ritus: & ex eo Manilianus versus restaurandus est. Vide mihi alterum Suetonii locum in Vespasiano Cap. XIX. ubi de ejus funere. *Interrogatis palam procuratoribus, quanti funus & pompa constaret, ut audiit sestertium centies, exclamavit, centum sibi sestertia darent, ac se vel in Tiberim projicerent.* Mendum necessario est. Quid enim? ut Imperatoris funus non pluris constiterit quingentis millibus florenorum? Apage. Tantum impendebant cives plurimi, quibus res lauta. Atque adeo apud Plinium Lib. XXXIII. Cap. X. Isidorus aliquis ex ima plebe homo, *Funerari se jussit Hs. undecim millibus.* Id est, quingentis quinquaginta millibus florenorum. Ergo rescribo. *Ut audiit sestertium millies.* Ortum mendum ex confusione notarum numeralium c & cxɔ. Ea summa autem faciet quinque milliones. Atque recte quidem me emendasse fidem faciet ipse Suetonius, qui in Nerone Cap. L. narrat de eo *Funeratus est impensa ducentorum millium.* Id est, decem millionum. Vides jam proportionem funerum Imperatoris alicujus, & civium. Sed pluribus hæc in libro singulari, quem

quem jam edimus. Tuum judicium de his censuris expecto. Iuvenis Nob. Vale. & me amare perge. Hagæ Comitis XIV. Kl. Iun. CIↃ IↃ CIV. D. Fratri tuo salutem officiosam dico.

EPISTOLA LXXIX.

Clarissimo Viro

THEODORO CANTERO,

Viro Consulari

S. D. *Ultrajectum.*

ACcepi pridem, Doctissime CANTERE, per tabellarium Chrysostomi Decadem illam, una cum litteris tuis, mihi & interpreti illi FRONTONI DUCÆO juxta gratis. Scripsi interea semel iterumque, sed vereor ut sint redditæ, quod non responderis. Habet DUCÆUS mihi gratiam, quod fores ad tuam amicitiam, veluti pararius, aperuerim. Ego vero id libenter præstiti, quod tua ille, mihi crede, & benevolentia & ope, idoneus videatur, moliens nunc omnes Chrysostomi Orationes bilingues notisque illustratas evulgare. Nactus enim nuper è Britannia est Homilias ad populum Antiochenum typis excusas, quod hactenus ignorabamus. Scribit porro: *Ad* CANTERUM, inquit, *mittenda quadam nuper Amphilochii Iambica ex Nomocanone Photii Ms. exscripseram, & doctissimo CASAUBONO mittenda obtuleram, sed comperi postea edita illa fuisse nomine Gregorii Nazianzeni, ac reperiri Latinis versibus expres-*

pressa in secunda Billiana editione Pag. cio ccc lxiii. idque velim ei significes, nec ullo me officio vinci ab illo permissurum, qui tam honorificè de me sentiat ac loquatur. Homiliam de Circumcisione integram jam fuisse Latinitate donatam & utraque lingua editam Coloniæ, didici nuper ex libro Clarissimi FABRI *cum Theophylacto in Acta. De Panegyricis nostris sollicitus ne sit; eos enim subjiciam τοῖς εἰς Ἰουδ. ἀνθρωπ. recognitos & cum aliis codicibus collatos, adjungam & Homilias ix. de pœnitentia, sexque de providentia, seu de fato: nam libri tres de providentia nusquam Græcè reperiuntur in manuscriptis. Reliquæ omnes Homiliæ sunt ἀπαθῆ quarum loco paginas notabimus librorum, ex quibus sunt decerptæ. Supersunt libri in eodem Tomo* V. *ut de Sacerdotio, contra Judæos, & cæteri, qui facile occurrunt in Bibliothecis excepto illo in Eutropium aram tenentem.* Hæc FRONTO: cui si gratificari, mi CANTERE, libet, impetra quæso à D. CAUCHIO Canonico istic Pontium Paulinum cum Ms. collatum, & si operæ pretium est variantes Lectiones descriptas ab aliquo, muneri mitte DUCÆO, qui ut Burdigalensis, eum auctorem illustratum edere parat. Audivi & hic è quodam Doctore CAUCHIO haberi quoque istic Sospatrum Carisium edito illo à FABRITIO & meliorem & auctiorem. Edidit nuper ELIAS PUTSCHIUS uno volumine Grammaticos omnes emendatos in his & CARISIUM: si cui vacabit comparare cum illa Wecheliana editione & quæ desiderari videbuntur, communicare nobiscum non gravabitur, fiet cum

ho-

honorifica ejus mentione. PUTSCHIUS enim qui Notas moliebatur juvenis admodum fato ereptus hinc abiit, quo fere tempore heu LIPSIUS noſter Martio menſe aſpero ac duro. Hic enim ut inaudiſti XXIII. Martii ad plures migravit, ſibique vivus Epitaphium dictavit: quod è tumulo, ſi voles, deſcriptum alias mittam. Tu nos interim amare perge ac juvare, priuſquam aliquid humanitus accidat utriſque, pereantque folia recteque cogitata. Indicem in Photium pridem miſi Auguſtam vindelicorum & ſpero integer jam apparebit: de quo cum legeris amabo nos moneas candide & doceas. Sic tibi eveniant liberiſque quæ opto. Antverpiæ X. Cal. Auguſti CIↃ IↃ CVI.

AND. SCHOTTUS tuus.

EPISTOLA LXXX.

Ornatiſſimo & Doctiſſimo Viro

SIBRANDO LUBBERTO

Theologiæ apud Franekerenſes Profeſſori.

Franekeram Friſonum.

IOSEPHUS SCALIGER SIBRANDO LUBBERTO ſuo S. Quamvis vellem ſemper mihi ſuppetere argumenta ad te ſcribendi, tamen mallem aliam potius cauſſam eſſe ſcribendi quam hanc, quæ à me hoc epiſtolium expreſſit. CUNEUS, qui tibi has reddet, convenit me paulo ante tempus, quo feſſus ſcribendo nihil aliud quam de quiete & ſomnio cogitabam.

Quia

Quia tamen à me commendatitias ad te postulavit, tametsi angustiis temporis excludebar, nolui tamen ejus desiderio deesse tum propter amicitiam, quæ mihi cum eo intercedit, tum ejus caussa. Dignus est enim, quem non solum in tuorum auditorum numero videas, sed etiam quem in gregem amicorum recipias. Eum ita tibi commendo, ut neque ego quicquam à te majore opera contendere possim, neque tu quicquam gratius facere possis. Vale. raptim, sub ipsum tempus dormiendi. Lugduni Batavorum. Nonis Augusti Iuliani. Natali meo LXVII. CIↃ IↃ CVI.

EPISTOLA LXXXI.

Viro Clarissimo

SIBRANDO LUBBERTO

Sacrarum literarum doctori in Academia Frankerensi, Amico plurimum colendo.

Frankeram.

V. Cl. SIBRANDO LUBBERTO Is. CASAUBONUS S. D. Næ tu, Vir Clarissime, qui ad illustrandas res veteres Ecclesiæ me vocas, surdo fabulam non narrares, si voluntati par suppeteret facultas. Scito enim, tibique ita persuade, quod hactenus in aliis studiis fecerim, casu quodam id factum potius, quam judicio aut voluntate mea. Nunquam enim ita desipui, aut mei oblitus sum, ut in amœnioribus istis literis putarem mihi esse acquiescendum.

dum.* Quam cupio ſperoque vigiliarum mearum fructum, is profecto alius longe eſt ab ea jucunditate & voluptate, quam ſolum ſpondent ſuis cultoribus novem iſtæ Sorores. Sed mihi cum admodum adoleſcenti prope invito impoſita hæc provincia fuiſſet, ad Sirenum Scopulos obdormiſcere iiſque adhærere contigit. Sic mihi vitæ pars melior in aliis quam volueram atque ſemper optaveram ſtudiis tranſacta. Eſt enim, ut noſti, βραχὺς ὁ βίος: ut ſerum ſit, cum XXXVIII jam prope exceſſerim annum, ſpes inchoare longas, aut novas. Grata mihi tamen tua, SIBRANDE Doctiſſime, χειλίυραφτα, ſi me ad illa ſtudia maturius amici & familiares varii eſſent hortati, pridem factum eſſet, ut extaret in eo genere induſtriæ noſtræ (ſi qua ea eſt in nobis) aliquod ſpecimen. Nunc in editione Athenæi toti occupamur: ea cura ſi DEUS voluerit nos defungi, & reliquis cæptis faverit, ea paramus ac pridem cogitamus, quæ tibi cæteriſque bonis omnibus non ingrata fore ſperamus. Sed de nobis nimis multa. Tu, Vir Doctiſſime, cui DEUS dedit & velle & poſſe, perge de ejus Eccleſia, deque omnibus piis bene mereri. Hic vero illud licet uſurpare, *Sic itur ad aſtra*. DEUM OPT. MAX. quæſo oroque ſervet te nobis quam diutiſſime ſalvum & incolumem. Vale Vir Clariſſime, & me ama. Gen. A. D. VII. Kal. Sept. CIↃ IↃ XCIV.

EPISTOLA LXXXII.

Reverendo Viro & Insigni Theologo ac Strenuo Veritatis assertori

SIBRANDO LUBBERTO,

S. P. D. *Franekeram.*

LArgiter à me peccatum esse fateor, Vir Reverende, quod quum essem à Benignitate tua literis humanissimis provocatus, ad præclarum amicitiæ certamen, & insigni munere donatus, tam diu nihil ex parte mea rependerim unde animum munem ac memorem accepti beneficii perspicere posses. Ac ne quidem per literas interpretes tralaticia gratiarum actione sum defunctus. Malo itaque ingenua culpæ confessione veniam deprecari, quam ad ἀχαριστίας crimen impudentiam defensionis adjungere. Ne tamen sic abeat tam supinæ negligentiæ labes, hanc ultro mihi mulctam indico, ut in posterum assiduitate ac frequentia literarum suppleatur quod præteriti temporis ignavia cessatum est, si quidem vestra humanitas nostrum inscribendo studium atque officium non adpernabitur. Quod tam erudite ac fortiter unicum Ecclesiæ caput defendisti contra sacrilegum usurpatorum majestatis Filii DEI, & quod eumdem Servatorem generis humani vindicas ab impuris Socini argutiis, infinitum est, quod ab omnibus pacis & veritatis amantibus, industriæ tuæ, pietati, doctrinæque debetur. Egomet

&

& publico nomine tibi devinctum esse pro virili parte præ me fero, & privatim gratias immortales habeo, quod me inter præcipuos virtutum tuarum æstimatores recensere non dedignaris. Efficiam omni ope consilioque, ne te unquam hujus animi ac judicii pœnitere possit, & ut in eodem benevolentiæ proposito constanter perseveres, vehementer te oro ac obtestor. Vale, Vir Reverende, DEUS te quam diutissime salvum & incolumen conservet ad propagandam nominis sui gloriam & ad Ecclesiæ exædificationem. Datum Lugduni Batavorum. Kal. Maji. CIↃ IↃ CXI.

Tuæ reverendæ dignitatis Observantissimus

D. BAUDIUS.

EPISTOLA LXXXIII.

Illustrissimo Principi ac Domino

D. AMBROSIO SPINOLÆ,

Marchioni, Catholicæ Regiæ Majestatis, Serenissimique Domini Archiducis Supremo Belgici Exercitus Duci, nec non in moderno Pacificationis negocio Commissario Primario, &c.

Domino suo clementi & honorandissimo.

POsteaquam, Illustrissime Princeps, Domine Clementissime & Honorandissime, misera est conditio commendarum Ordinis S. Ioannis Baptistæ Hierosolimitani in Malta, maxime in hisce partibus inferioris Germaniæ, Vestræ vero Illust. Celsitud. cognati, propinqui & affines or-

dinis noſtri militaris non ſolum membra ſed etiam fautores ſingulares ſemper exſtiterunt, ac etiam nunc exiſtunt. Ipſe etiam Rex Hiſpaniarum noſtri ordinis & Inſulæ Malta ſummus Patronus & Defenſor, nos, dictamque Inſulam (tanquam propugnaculum Chriſtianitatis, ipſarumque Regiarum provinciarum) omni commeatu & victualiis continuo providet, & quando ab infeſtiſſimo Chriſtianorum hoſte Turca opprimimur aut obſidione cingimur, nobis ſuccurrit, ab oppreſſione nos liberat, omneque auxilium præbet: prout ante aliquot annos per Andream Dorium, tunc temporis Generalem Regiæ ſuæ Majeſtatis Maritimum Ducem heroicè factum eſſe, neminem fugit.

Hiſce de cauſis, & potiſſimum, quod Ill.ma V.ra Celſ.do in moderno pacificationis negocio perſonam Regis Hiſpaniarum repræſentat, ejuſdemque Regiæ Majeſt. primarius Commiſſarius, nec non Belgici negocii jam ſupremus Præſes exiſtit, gravamina noſtri ordinis commendarum inferioris Germaniæ Ill.mæ Vræ. Celſit.ni in particulari exponere non ſum veritus, Submiſſe & devote ſupplicans quod Ill.ma V.ra Celſ.do pro innata ſua Illuſtriſſima beneficentia, dignetur bona & commendas Ordinis noſtri moderno pacificationis negocio ſimul includere & porro ita nobis patrocinari, ut in integrum reſtituamur, boniſque ordinis quiete gaudere poſſimus, attento quod etiam nos omnes neutrales ſimus, ordoque noſter militaris in totius Chriſtianiſmi commodum militet. Hoc ipſum Omnipotens

Deus

DEUS Ill.mæ V.ræ Celſ.ni cui me, totumque noſtrum ordinem humiliter commendo, infinitis retribuet modis: Ego quoque Illuſt.mam iſtam V.ræ Celſit.nis beneficentiam & gratiam toti Equeſtri noſtro ordini ſummis prædicare laudibus non deſinam.

Subjicio nunc breviter, gravamina quædam Commendarum inferioris Germaniæ.

In Balivatu Ultrajectino ordinis S. Ioannis Ordines Ultrajectinæ Provinciæ, poſt obitum ultimi Balivi, qui è vivis exceſſit Anno CIↃ IↃC II. electionem alterius de more ſolito in ejus locum prohibuerunt, omnia in domo ordinis ſigillis Civitatis occluſerunt, menſam communem conventualium ſuſtulerunt, ſingulis pro alimentatione certam pecuniæ ſummam conſtituerunt, Oeconomum, qui ipſis ordinibus expenſi & accepti rationem reddat, & in quos ipſi mandant, uſus annuos cenſus convertat, deſignarunt, in locum morientium Commendatorum alios ſola auctoritate ſua ſubſtituunt, & eadem etiam novos præbendatos ſuos creant, maximam tamen vel certè magnam cenſuum partem ſuo ærario adjiciunt.

Ex membris dicti Balivatus Ordines Friſiæ Commendam in *Snëckh*, cum ſuis Paſtoratibus adjunctis communi ærario adjecerunt.

Ordines Geldriæ de bonis Commendæ Hardewicenſis in Geldria ſitis idem ſtatuerunt.

Ordines Zelandiæ Commendam in *Kerckwerff* divendiderunt.

Civitas Harlemensis bona Commendæ Harlemensis tanquam cætera suæ Civitatis bona Ecclesiastica sibi in reparationem damni in Obsidione perpessi ab ordinibus donata vendicat, sed paucorum, qui ex ejus domus quondam professis religiosis adhuc supersunt, mortem expectat, & propterea etiam novos conventuales assumi non sustinet.

Ex membris Balivatus Westphaliæ de Steinfurt mihi demandatæ, Commendam *Osterwehrum* Groningensis provinciæ, nuper Anno CIↃ IↃC VII. per mortem Commendatoris Antonii ab *Utrecht* vacantem, Civitas Groninga, ordines & deputati ibidem vi invaserunt, me tum temporis præsentem cum servis meis, ex domo & commenda ejecerunt. In mea præsentia omnia in domo Ordinis ibidem Sigillis Civitatis Groningæ occluserunt, Sigillum, Pitzetumque ordinis & conventus, in maximum ordinis præjudicium armata manu & coadunatis hominibus vi extorserunt & abstulerunt. OEconomum à me constitutum abire compulerunt, & alium OEconomum militem Ordinum Hollandiæ vagabundum & quasi insanum constituerunt, electionemque novi Commendatoris prohibuerunt.

Quæ omnia, quemadmodum & illud quod ubilibet Catholicæ religionis exercitium illis sit prohibitum, tum contra omnes rationes ordinis, tum contra jura communia militant.

Cum bona militaris ordinis S. Ioannis sint bello Turcico consecrata, à Christianis in damnum

num Christiani nominis minimè violari deberent sub prætextu religionis, quasi eadem de ipsis quæ de cæteris bonis Ecclesiasticis ratio esset.

Quamvis enim in diversis provinciis eadem sint sita, tamen constat, quod non tam ad usum earum, quam ad sacrum bellum contra Turcas fovendum sint donata; cum quasi unum corpus, cujus caput Magnus Magister Melitensis est (qui ab omnibus inter Principes Christianos censetur) conficiant: unde etiam penes magnum Magistrum potestas est, ut ex ejusdem bonis, cum ratio & necessitas exegerit, partem in dicti belli usus sumat, & Commendatores & reliquas ordinis personas ex quacunque orbis parte ad se evocet.

Qua de causa etiam moti multi Pii Imperatores, Reges & Principes Christiani, plurimis ac variis eundem ordinem privilegiis, gratiis & exemptionibus donarunt. Eademque de novo sæpius confirmarunt: probe intelligentes, omnes ordinis vires, quas una cum sanguine proprio contra Turcas pro defendenda Christiana republica insumit, necessario ex particularum domorum sive Commendarum subsidiis colligi oportere, & illis cessantibus aditum in Christianæ reipublicæ viscera, cruento hosti Turcæ aperiri: dum sic necessario deficientibus viribus, firmissimum Christiani orbis propugnaculum Insula Malta, nec milite satis instrui, nec necessariis rebus fulciri aut defendi posset.

Quod etiam considerantes Illustrissimus Co-

mes Palatinus. Reſpublica Baſilienſis & Argentinenſis, Landtgravius Haſſiæ, plurimique alii, quamvis ob mutationem religionis reliquos Eccleſiaſticos ejecerint, tamen Iohannitarum domos & privilegia intacta reliquerunt, & etiamnum relinquunt.

Quinimo in ipſis his confæderatis provinciis multo etiam tempore ſalva conſtiterunt, præſertim cum ille ordo nullis Chriſtianorum Principum bellis aut quæſtionibus ſe immiſceat, ac ideo etiam eorum exſors cenſeri debeat: Et multò magis, ſi forte bello ſæviente cladem aliquam accepit, eo ceſſante, quemadmodum alii Principes belli exſortes ſuis antiquis privilegiis, gratiis & exemptionibus reſtitui debeat; quo felicius pium Chriſtianæ religionis defendendæ exercitium, DEO & toti mundo exſolvat.

DEUS, omnis boni Auctor Illuſt.mam Celſitud.nem V.ram totius Chriſtianiſmi bono, perdiu incolumem animique & corporis bonis florentem diu tueatur & conſervet.

Datum Steinfurti in Weſtphalia, Anno partus Virginei CIↃ IↃC VIII. die XII. menſis Iulii.

Illuſtriſſimæ Veſtræ Celſitudinis

Humillimus Cliens

FRA. EBERHERDO GALEN,

Cavaglier di Malta, Comandatore di Steinfort, Baleii di Weſtphalen.

EPISTOLA LXXXIV.

Reverendissimi Amplisf. & doctisf. Viris

Dom. PASTORIBUS ECCLESIARUM GALLICARUM,

Iis qui nuper Gapinci Delphinatum in Synodo Nationali congregati fuerunt.

REverendi, Amplisf. & Doctissimi Viri, Fratres in Christo dilecti, intellexi ex vestrâ epistolâ vos ægrè ferre, quod nonnulli apud vos concordiam apud vos turbent, dum docent *Obedientiam perfectam à Christo Legi præstitam nobis non imputari, nec ejus justitiam atque puritatem nobis cedere in pretium salutis æternæ*, quodque hi me auctorem perhibent istius sententiæ, & pugnent meâ auctoritate. Cognovi etiam vos hanc doctrinam vehementer improbare & damnare, quippe quam appellatis, contagionem, errorem & dogma non probum, pugnans cum Euangelio, denique opinionem. Quamobrem petitis à me, ne post hac instillem in teneros discentium animos talia dogmata.

Ego vero vobis concordiam inter vos opto, sed per omnia fundatam in veritatis cœlestis consensu. Doctrinæ vero illius, quam isti fratres apud vos docuerunt me Auctorem esse nego, & ægre fero, si illi meâ auctoritate pugnent; pugnare enim debent solius S. Scripturæ auctoritate nec me Auctorem perhibere ejus

doctrinæ, cujus auctor est Spiritus Sanctus in Scriptis Prophetarum & Apostolorum, quam doctrinam à vobis Ecclesiæ pastoribus tantopore improbari & damnari vehementer doleo. Et quia crimina illa quibus eam damnatis non agnosco, conscientia mea non patitur, ut petitioni vestræ respondeam & satisfaciam, abjiciendo eam doctrinam, quam ego pro Orthodoxa & verbo DEI consentanea habeo. Quin potius officii mei esse duco, ut secundum præceptionem Apostoli Petri, apologiam ejus apud vos instituam, ejusque quæ in me est spei rationem vobis exponam, idque cum mansuetudine & in timore DOMINI. Et si enim vos id à me non petitis, tamen id postulat gloria DEI & ædificatio Ecclesiæ, quæ utraque hic agitur. Et certe non solum petere à me hujus meæ doctrinæ rationem debuissetis, verum etiam operam dare, ut me erroris (qui vobis in doctrina mea inesse videtur) ex verbo DEI convinceretis. Neque enim officii hujus omissionem excusat, quod scribitis, vos illa mea documenta potuisse quidem prolatis ex S. Scriptura testimoniis & rationibus convellere; sed putavisse, cum viro pio & docto agendum esse monendo potius, quam differendo, & plus apud me valituras preces cætus istius amplissimi, quam cujusquam argumentationes. Imo vero si vobis Vir pius & doctus videor, debuistis cogitare, me & argumentis meæ doctrinæ instructum esse, & eam bonâ conscientiâ ad gloriam DEI & ædificationem Ecclesiæ hactenus pro officii mei ratione

tione tradidisse, ac proinde eam in nullius hominis gratiam abjicere posse. Utut autem mecum à vobis sit actum, ego tamen meum non negligam officium, sed quantum DEUS dederit gratiæ rationem doctrinæ meæ vobis reddam. Vos, Reverendi viri & Fratres in Christo dilecti, oro atque obsecro, ut hanc meam disputationem patienter & attente perlegatis, & in timore DOMINI sepositio omni præjudicio perpendatis. Quum autem quæstio inter nos controvertatur *de imputatione obedientiæ* CHRISTI, de utroque prius aliquid dicendum est, videlicet tum *de Obedientia* CHRISTI, tum de verbo *imputandi*. Igitur ut ὑστέρου πρότερον progrediar, *imputandi* verbum proprie intellectum significat aliquem pro eo habere, qui aliquid fecerit, quod tamen ille non fecit; ac proinde si, quod imputatur, malum est, pœna eum dignum judicare, atque etiam eâ, si ejus rei potestatem habet, afficere: si vero id, quod ei imputatur, bonum est, judicare eum dignum præmio, eodemque si potest afficere. Ita DEUS CHRISTO imputavit nostra peccata, habendo eum pro eo qui peccata nostra fecerit, ac proinde pœnis meritis (nempe quas nos meriti eramus) illum afficiendo, de qua imputatione loquitur Jesaias, cum ait, IEHOVA *facit, ut occurrat in eum omnium nostrûm iniquitas.* Et Paulus cum dicit: *Fecit* (nimirum DEUS) *ut is, qui non novit peccatum pro nobis peccatum esset.* Vicissim nobis, qui in CHRISTUM credimus, imputat DEUS justitiam, habendo nos pro justis.

stis, id est, pro iis, qui perfectam legi ipsius præstiterimus obedientiam, ac proinde præmio vitæ æternæ nos afficiendo. De hac imputatione loquitur Apostolus, Rom. IV. VI. Sicut etiam David dicit, *Beatificationem esse hominis, cui DEUS imputat justitiam.* Atque hæc de verbo imputandi. Iam ad *Obedientiam CHRISTI* quod attinet, ea in scripturis traditur duplex: una quam præstitit Legi DEI communi, sancte secundum eam (citra passiones) vivendo: altera, quam præstitit speciali mandato PATRIS de patiendo ac moriendo pro electis: quarum illam docendi gratiâ obedientiam vitæ, hanc vero obedientiam mortis κατ' ἐξοχὴν nominare soleo, quia mors passionum DOMINI velut κολοφὼν fuit. Ad obedientiam vitæ pertinet, quod nullus dolus fuit repertus in ore ejus, & id genus alia. Ad obedientiam vero mortis pertinet, quod ipse CHRISTUS de anima sua loquens dicit: *Nemo tollit eam à me, sed ego pono eam à me ipso. Potestatem habeo ponendi eam & potestatem habeo rursus assumendi eam. Hoc mandatum accepi à PATRE meo.* Item illud ejusdem: *Non loquar amplius multa vobiscum: venit enim princeps mundi hujus, & in me non habet quicquam: sed hæc fiunt ut cognoscat mundus, me diligere PATREM, &, prout mandavit mihi PATER ita facere.* De hac obedientia insignis est locus, Hebr. x. ex Psal. XL. recitatus, ubi sic ait Apostolus: *Quapropter ingrediens* (CHRISTUS) *mundum dicit, sacrificium & oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi: holocautomata & hostiam pro peccato non ap-*

pro-

probasti: Tunc dixi: *Ecce adsum (in volumine Legis scriptum est de me) ut faciam, ô DEUS, voluntatem tuam.* Et paucis interjectis: *qua voluntate sanctificati sumus per oblationem corporis IESU CHRISTI semel factam.* Hæ duæ, ut ita loquar, obedientiæ IESU CHRISTI accuratissime distinguendæ sunt: quippe diversæ. Etenim obedientiam vitæ habuit CHRISTUS nobiscum communem, quatenus obligatus ad eam erat, ut verus homo; ad obedientiam vero mortis pro electis obeundæ ipse solus obligatus fuit, idque per voluntariam sponsionem, quam sponsionem significat in loco recitato ex Epist. ad Hebr. ubi dicit, *Ecce adsum, ô DEUS, ut faciam voluntatem tuam*, nempe mandatum illud de offerendo me pro electis. Porro utraque hæc obedientia ad justificationem nostri facit tanquam necessarium requisitum ad hoc, ut CHRISTUS esset & sanctus Sacerdos, qui pro nobis sese oblaturus aditum ad DEUM haberet; Et sancta victima, quæ DEO accepta esse posset: Et sanctitatem in CHRISTO ut summo nostro Sacerdote requisitam fuisse affirmat Apostolus his verbis: *Talis enim nos decebat Pontifex pius, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus*, &c. Sanctitatem vero victimæ indicat Petrus, ubi dicit, *Fideles redemtos esse pretioso sanguine tanquam immaculati & incontaminati*, nempe CHRISTI. Imo ut hic sanguis satis esset pretiosus ad redimendum nos, oportuit eum esse sanguinem FILII DEI, ac proinde ipsius DEI, quam pretiositatem (ut ita loquar) significat Ioannes, quum

quum ait; *Sanguis* IESU CHRISTI FILII *ejus purgat nos ab omni peccato*; & Paulus cum dicit, DEUM *Ecclesiam acquisivisse proprio sanguine.* Atque sic obedientia vitæ CHRISTI, id est, quam præstitit Legi sanctè secundum eam vivendo, à justificatione nostri non excluditur, sed ei includitur conveniente loco, tanquam requisitum necessarium ad hoc, ut CHRISTUS nobis justificationem per obedientiam mortis mereri posset. Obedientia igitur mortis CHRISTI ad justificationem nostri facit tanquam caussa meritoria, quia per illam justificationem nobis est meritus, ut scripturâ abunde tractatur, & apud vos in confesso est. In hoc autem à me dissentitis, quod ego doceo; CHRISTUM per solam obedientiam mortis remissionem peccatorum meritum esse nobis, proque illis DEO satisfeciisse; ac proinde illam solam, non etiam obedientiam vitæ nobis à DEO imputari. Hanc igitur sententiam nunc demonstrare aggrediar. Et quoniam mihi cum viris doctis res est, argumenta mea syllogisticè proponam, ut facilius possint rectiusque judicari & veritas magis eluceseat. Igitur primum meum argumentum sic propono. Propter quam rem DEUS nobis remittit peccata, propter eam ipsam rem nobis imputat justitiam. Atqui propter solam obedientiam mortis CHRISTI (quo nomine etiam cæteras passiones per Synecdochen comprehendo) DEUS nobis remittit peccata. Ergo propter solam obedientiam mortis CHRISTI DEUS nobis imputat justitiam, seu (ut vulgo loqui so-

ſolemus) ſolam obedientiam mortis CHRISTI nobis ad juſtitiam imputatæ. Propoſitionem hujus ſyllogiſmi probo ex æquipollentia harum phraſium remittere peccata, & imputare juſtitiam: quæ æquipollentia manifeſta eſt ex verbis Pauli Rom. IV. VI. VII. ubi ſic legimus: *Sicut etiam David dicit beatificationem eſſe hominis, cui* DEUS *imputat juſtitiam abſque operibus, dicens, Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum obtecta ſunt peccata. Beatus vir, cui non imputavit* DOMINUS *peccatum.* Hic probaturus Apoſtolus teſtimonio Davidis, juſtificationem nihil aliud eſſe, quam juſtitiæ imputationem, offert locum in quo nulla fit mentio (ſi verba ſpectemus) imputationis juſtitiæ, ſed tantum remiſſionis peccatorum. Ergo aut nihil probat ipſis verbis (id quod diceret blaſphemum eſſet) aut neceſſe eſt fateri, phraſes illas, imputare juſtitiam & remittere peccata, (quarum altera habetur in quæſtione, altera in teſtimonio ad probandum adducto) Apoſtolo æquipollere. Aſſumptionem vero ſyllogiſmi probo ex eo, quod Scriptura nullam aliam rem tradit, per quam nobis expiata ſunt peccata, eorumque parta remiſſio præter obedientiam mortis CHRISTI. Iam autem dubitare nefas eſt, quum Scriptura doctrinam tradat de cauſſa meritoria remiſſionis peccatorum, ſalutiſque noſtræ æternæ perfectam. Nam S. litteræ, ut Paulus ait, poſſunt nos reddere ſapientes ad ſalutem. Sed hic vos occurretis afferetiſque in medium teſtimonia quædam S. Scripturæ, quæ vobis diverſum

teſtari

testari videntur. Et sane vester legatus tria mihi hujusmodi testimonia objecit, ad quæ, quod illi coram respondi, idem nunc apud vos per litteras respondebo. Primum testimonium habetur apud Rom. v. XIX. *Sicut per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi, ita per unius obedientiam justi constituentur multi.* Respondeo, cum duplex sit obedientia CHRISTI, una vitæ, altera mortis, ut supra demonstravi, non est consequens, si hoc loco obedientiam CHRISTI nominet Apostolus, eum utramque intelligere; potest etenim fieri, ut intelligat alteram tantum. Quod autem intelligat alteram tantum, videlicet obedientiam mortis CHRISTI, ex eo probo, quod alibi, quoties de caussâ meritoriâ remissionis peccatorum loquitur, nusquam obedientiam vitæ indicat, sed ubique obedientiam mortis. Secundum testimonium habetur Philipp. II. VIII. *Ipse* (nimirum CHRISTUS) *se submisit, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.* Respondeo, hinc non sequitur, obedientiam CHRISTI utramque nobis ad justitiam imputari. Nec Apostolus ibi de justificatione quicquam agit, ac proinde nec de obedientia CHRISTI tanquam justificationis caussâ meritoriâ, de qua nunc controvertitur; sed tantum hortatur Philippenses ad modestiam & animi submissionem τὴν ταπεινοφροσύνην idque exemplo CHRISTI ex *vers.* III. IV. V. ubi ait, *nihil gerite per contentionem aut per inanem gloriam, sed ex modestia alium quisque se præstantiorem existimet, nec sua quisque spectetis,*

tis, sed unusquisque etiam quæ sunt aliorum. Hic enim sit affectus in vobis, qui fuit in CHRISTO, *qui, quum esset in formâ* DEI, *non duxit rapinam, esse æqualem* DEO, *sed se ipse exinanivit, servi formâ assumptâ, similis hominibus factus & habitu compertus, ut homo, ipse se submisit, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.* Hic nulla prorsus justificationis mentio. Tertium testimonium habetur *Rom.* IV. *vers. ult.* Ubi de CHRISTO sic loquitur Apostolus: *Qui traditus est propter lapsus nostros, & excitatus est propter justificationem nostri.* Respondeo; Traditus est CHRISTUS in mortem propter lapsus nostros (qui caussam mortis ei attulerunt) expiandos, idem excitatus est propter justificationem nostri testificandam. Nam CHRISTUM nihil nobis resurrectione sua meruisse ex eo intelligi potest, quod merendi tempus fuit in statu humiliationis, at resurrectio primus est gradus exaltationis. Exaltationis autem status non facit ad merendum, sed ad testificandum, quod CHRISTUS nobis sit meritus omnia bona, & satisfecerit pro omnibus malis, itemque ad applicandum beneficia merenda & satisfaciendo acquisita. Quæ applicatio nihil ad propositam quæstionem concludendam agit, valetve ista ex verbis illis Pauli argumentatio: CHRISTUS resurrexit ad nostri justificationem: At resurrectio est actio quædam: Nam quid hinc sequitur? nempe hoc, Ergo actio quædam CHRISTI ad justificationem nostri facit. At hîc abberratur à quæstione. Non enim quæritur, an actio quædam

CHRISTI ad justificationem valeat. Nam extra controversiam est, obedientiam mortis CHRISTI (quæ certe actio quædam est, nim: animi motus ad faciendum quod pater mandaverat, videlicet, ad offerendum se pro peccatis electorum) ad justificationem nostri plurimum facere. Sed quæstio est, an obedientia vitæ CHRISTI legi præstita, sic faciat ad nostri justificationem, ut CHRISTUS hanc per illam meruerit. At resurrectio CHRISTI ad actiones à CHRISTO Legi præstitas referri non potest. Hactenus sententiæ meæ primum argumentum, una cum responsionibus ad quasdam objectiones. Secundum sequitur hoc modo: Si peccata nostra expiata sunt per obedientiam vitæ CHRISTI, expiata sunt aut omnia & perfectè, aut quædam tantum & imperfectè. At neutrum eorum vere dici potest: Non prius, quia sequeretur CHRISTUM frustra esse mortuum, quippe quum mortuus sit, ut expiaret nostra peccata, quæ utique expiare non habuisset necesse, si ea per obedientiam vitæ fuerunt expiata. Non posterius; quia CHRISTUS obedientiam Legi DEI præstitit perfectè; quare si illam præstitit ad expiandum nostra peccata, necesse est, ut per eam expiarit omnia & perfectè. Hinc jam intelligitur peccata nostra non esse expiata per obedientiam vitæ CHRISTI, ac proinde illam nobis ad justitiam non imputari. Sequitur tertium argumentum: Si CHRISTUS obedientiâ vitæ satisfeciset DEO pro nostris peccatis; sequeretur DEUM esse injustum,

tum, qui insuper postulaverit sibi satisfieri per obedientiam mortis, atque ita idem debitum sibi bis persolvi voluerit; Atqui DEUS non est injustus; Ergo CHRISTUS obedientia vitæ suæ non satisfecit pro peccatis nostris. Quod si quis dicat, obedientiâ Legi præstitâ CHRISTUM satisfeciſſe pro peccatis nostris ex parte tantum, pro reliquâ satisfeciſſe obedientia suæ mortis; is hoc ipso imperfectionis argueret utramque illam obedientiam, quum tamen utraque fuerit perfecta. Quartum argumentum hoc est. Si CHRISTUS satisfecerit pro nostris peccatis per obedientiam præstitam Legi, ita ut illa nobis imputetur à DEO, ac si nos eam præstitiſſemus; sequitur nos ab obedientia Legis esse liberatos; quippe cum CHRISTUS ex hypothesi pro nobis seu vice nostra eam præstiterit, sicut recte dicimus cum Apostolo, nos esse liberatos à maledictione Legis, quia CHRISTUS pro nobis factus sit maledictio. Atqui nos non sumus liberati ab obedientia Legis, sed eam præstare in æternum tenemur; Ergo CHRISTUS per obedientiam Legi præstitam pro peccatis nostris non satisfecit. Quis igitur illius obedientiæ finis & usus? Nimirum is quem initio indicavi, ut scilicet CHRISTUS esset idoneus ad fungendum efficaciter Sacerdotio suo, & ad expiandum peccata nostra sacrificio mortis suæ. Quintum argumentum. Si CHRISTUS per obedientiam Legi præstitam nobis meritus est remissionem peccatorum, sequitur remissionem peccatorum absque sanguinis effusi-

one nimirum tali, quæ afferat mortem, fieri. Neque enim in Lege cuiquam mandatum est, ut ad remissionem peccatorum impetrandam sinat sanguinem suum effundi, seseque occidi; at absque sanguinis effusione non fit remissio. *Hebr.* IX. *vers.* XXII. Ergo CHRISTUS non est meritus nobis remissionem peccatorum, per obedientiam Legi præstitam. Iam habetis Reverendi & Amplissimi Viri, dilecti in CHRISTO Fratres, argumenta sententiæ meæ, quæ si vobis satisfacient, oro, ut me prima occasione testificatione vestræ approbationis exhilaretis; sin minus, peto, ut quid in eis desideretis, certiorem faciatis. Verum enimvero illud, quod dissimulare non debeo, quod immerito me insimulatis φιλονεικίας quod scribitis nobis, qui in tranquilla regione degimus; facile esse invenire decertandi materiam. Ego vero DEUM testor, me proponendo hanc de justificatione doctrinam nunquam hunc scopum habuisse, ut invenirem decertandi materiam; sed tantum ut pro ratione muneris mei ea docerem, quæ judicabam vera esse & certa; & tum ad gloriam DEI & ad ædificationem Ecclesiæ & solidam consolationem facere. Et me non esse φιλόνεικον testabuntur omnes viri boni, quotquot me familiariter norunt. Atque adeo ipsa hæc controversia meam in hac parte innocentiam defendit. Nam si certandi cupidus essem, refutationem meam disputationis Basileensis, quæ meis quibusdam manuscriptis thesibus ante annos XIV. fuit opposita in lucem edidissem; non au-

autem schismatis evitandi caussa privatim ad auctorem illius disputationis misissem. Idem dico de aliis disputationibus & scriptis, quæ in eodem loco contra hanc doctrinam meam proximis annis exierunt. Hæc habui Reverendi & Amplissimi Viri, Fratres in CHRISTO honorandi, quæ rescriberem ad epistolam vestram. Præterea autem intellexi ex D. REINALDO vestro, vos desiderare etiam aliquid in doctrinâ meâ de pœnitentia & fide, videlicet, quod pœnitentiam fide priorem statuam. Unde periculum sit, ne hæc doctrina à Iesuitis accipiatur, quasi sentiam, bona opera una cum ..... justificatione nostri coram DEO concurrere. Sed ego non video, quomodo illud possit ex verbis illis colligi. In volumine Thesium loco XIV. thesis prima sic habet; *Quum sine pœnitentia nemo fidem ex consequenti nec remissionem peccatorum, vitamque æternam possit adipisci, operæ pretium est considerare, quænam illa & quotuplex sit*, &c. Thesis vero secunda hæc est; *Pœnitentia est factorum admissorum, factive admissi improbatio dolorifica, seu animum excrucians ex consideratione offensionis DEI orta*. Ex his verbis planum est, me loqui de pœnitentiâ propriè sic dictâ, quæ græcis μεταμέλεια nominatur. Iam μεταμέλειαν esse fide priorem, vel ex eo percipi potest, quod nisi ad eam accesserit fides exitialis est, ut exemplum IUDÆ demonstrat. Si vero accesserit fides, redditur salutaris, ut apparet in exemplo PETRI. Quam ipsam pœnitentiæ distinctionem in illis meis thesibus expresse posui. Deinde ip-

sa natura rei hanc anteceſſionem per ſe oſtendit. Fieri enim non poteſt, ut quis fide amplectatur promiſſionem gratiæ, niſi prius gratiam expetiverit; Gratiam autem expetere non poteſt, niſi qui judicium DEI metuit; judicium DEI metuere non poteſt, niſi qui ſe peccatis ſuis DEUM tanquam juſtum judicem offendiſſe agnoſcit ac dolet; quæ nimirum eſt pœnitentia propriè dicta, videlicet μετάμελεια. Μετάνοιαν vero ex qua demum bona opera oriuntur, eſſe fide poſteriorem tanquam illius fructum, id equidem non nego, ſed una vobiſcum profiteor. Quod reſtat, DEUM rogo, ut vos Spiritu Suo, ſicut in aliis, ita in hoc quoque negotio regat, ut ſepoſita omni auctoritatis humanæ conſideratione ſolam veritatis cæleſtis illuſtrationem atque gloriam DEI & ædificationem Eccleſiæ propoſitam habeatis. Valete in DOMINO. Ex arce Dillenburgo. XXIV. Ianv. CIↃ IↃC IV.

Veſtri in DOMINO *obſervans frater*

IOANNES PISCATOR.

EPISTOLA LXXXV.

PETRUS MOLINEUS. FESTO HOMMIO.

AD tuas bene longas literas, quibus ARMINII opiniones prolixe exponis, dudum reſpondi. Oportet mira ſit in homine diſſentiendi libido; ſiquidem quæ recenſes capita, ipſa fi-

fidei fundamenta oblique convellunt. Non est, ut video, certamen de lana caprina, sed de rebus maximis, quæ in defensoribus veritatis postulant ingenium acre cum pari vigilantia. Non defuerunt nostrâ & patrum nostrorum memoriâ exempla hominum qui motis longe levioribus controversiis, sciderunt Ecclesiam; ex minoribus, quam hæ sunt scintillis, maxima incendia Satan sæpe suscitavit. Quo majori cura debetis anniti, ne novatorum perversa industria fidelium veritatis assertorum superet diligentiam. Unus es meo judicio & omnium qui te norunt testimonio, qui plurimum potes sustentare veritatem, utpote qui multum potes ingenio, multum polles doctrina, & quem periculum præsens & assiduus adversarii conspectus quotidianis aculeis suscitat. Labor vero quem nobis imponis scribendi in tertium tomum Bellarmini, non est mearum virium, nec hujus otii, quod intercurrentia mille negotia abrumpunt: Nos certe hic πελομαχέμεν, & CHRISTI ad instar concionamur ex lintre inter fluctus, & strepitum earum aquarum quibus insidet magna meretrix. *Apocal.* XVII. ℣. XV. Non est facilis inter scloporum displosionem meditatio: neque si supereſſet otium, vellem ordiri τὸ κεφαλαιωδέστερον ἐν πίδῃ & primulos conatus à re gravissima indipisci. Venio nunc ad alterum caput tuarum epistolarum, de capessenda apud vos Theologica professione. Cupis nosse quid hic sentiam, quid cupiam; & arcanum animi mei deponi in amici sinum. Profecto nihil est, quod

à me non eliciat tam amica & familiaris interpellatio; Sed ipse me nondum satis hic excussi, variisque cogitationibus distrahor; nam ut aspernari tantum honorem oblatum esset superbiæ, ita vicissim testari suum desiderium manifestæ esset futilitatis, maxime vero in re in qua nescio, quomodo sint affecti Domini Ordines: qui si aliquem alterum me digniorem animo designarant, nec me putant satis idoneum, ineptus essem si proderem meam cupiditatem adipiscendi honoris, qui mihi non offertur; præcipue cum videam in ipsa Leyda FESTUM HOMMIUM, hominem me meliorum & doctiorem, sine cujus fraude & injuria non possum rem tantam adipisci. Quod si meo unius testimonio res transigeretur, nunquam diffugeres istam provinciam; nec procul peteretur, quod habetis ad manum. Hæc ad te scripsi per honestissimum juvenem PINETTUM pædagogum filii D. ARSENII Ordinum apud nos Legati, quem si in amicitiam admiseris, invenies probum & cordatum nec ingenii mali. Fac obsecro sentiat meam apud te commendationem ei non inutilem fuisse. DEUS det tibi, quæ optas, Vir Ornatissime, & sanctos tuos labores sua cura & favore prosequatur. Vale A. D. XII. Calend. Quintilium. CIↃ IↃC IX.

EPIS-

EPISTOLA LXXXVI.

Reverendis & Ornatissimis Viris

D. PETRO PLANCIO AMSTELREDAMENSIS,

&

D. IOHANNI BECIO DORDRECHTANÆ ECCLESIÆ

Pastoribus fidelissimis, Dominis & Fratribus suis pl. honorandis,

SAlutem. Petitis, fratres Reverendi, à nobis, Theologorum in Germania recte sentientium, & nostrum quoque *de D. VORSTII tractatu de DEO*, judicium. De aliis nihildum habemus. Recens enim liber prodiit. Nundinæ forte, quid alii sentiant, docebunt. Nos editum dolemus. Utinam vero autor cogitasset illud Tertulliani: *De DEO etiam vera dicere, periculosum esse*. Hoc agere videtur, ne quid cum aliis commune sentiat *de Majestate* DEI. Non dubitat ergo veterum & recentium Theologorum convellere doctrinam; sola ea placent, quæ forte in lacunis Scoti, & Athei illius Medici Taurelli, invenit portenta. DEUM essentia magnum, finitum, compositum ex essentia & accidentibus, mutabilem voluntate, passivæ potentiæ obnoxium esse, & similia trecenta. Metuimus sane, ne ex omnibus angulis Jesuitæ & Lutherani nunc tandem Ecclesiis

noſtris capitaliter hoc intentent, quod DEUM ipſum abnegent, atheismum inducant aperte. Quid enim intereſt, DEUM eſſentia immenſum, an DEUM eſſe, neges? Certe Ariſtoteles Philoſophus Ethnicus vidit, DEUM, ſi eſſentiâ immenſus non ſit, ne potentiâ quidem eſſe infinitum poſſe. οὐδὲν γὰρ ἔχει δύναμιν ἄπειρον πεπερασμένον, dicit Metaph. lib. XII. cap. VII. Eſt ergo hæc nova Metaphyſica, quam etiam ſana philoſophia redarguere poteſt. Rogavit ipſe à quodam noſtrum ſententiam, de hoc ſuo fœtu; à quo reſponſum tulit: an & quomodo acceperit, nobis incertum. Nos quidem alienum ſervum judicare nolumus; monitus vero eſt, quod cauſſam ejus noſtram aut aliorum orthodoxorum fieri, non ſimus commiſſuri. Ut vero quod etiam cupitis, refutationem libri inſtituamus, operæ pretium non videtur, (vindices enim alios pares inveniet) neque, ſi videretur, nobis vacaret. Illud magis nos perturbat, quod eo vocando, ad Academiam Leidenſem cogitari innuitis. Dotes viri agnoſcimus. Sed tam periculoſe habitare dolemus. Decennium eſt, quando à Comite defuncto, D. Arnoldo, hujus parente, huc miſſus, ſe coram facultate noſtra, præſente etiam D. Pezelio p. m. à Socinianiſmo purgare debuit. Et purgavit ſe tandem, relicta hic ſyngrapha, quæ in Actis Facultatis habetur. Utinam verò interim magis ratam feciſſet; ac non ſæpius varie ſuſpectum ſe reddidiſſet, quod nidum portentorum gerat in capite; quibus ſcholam & juven-

ventutem ejus loci, in quo est, hactenus inquinari (experti loquimur; non enim Socinus dexterius hæresin suam tueretur, quam aliquot ejus discipulos, hic eam tueri audivimus) plus satis est. Ad illustrissimam Academiam Leydensem, si vestri vocarent, tam suspectæ fidei hominem, quid nisi incendium oleo restinguerent? Ardet ea intus diffidiis Pelagianis & Socinianis, neque amplius omnino clam res est in Germania. Tergiversando diu flammam comprimere potuit author; post mortem non potuit. Condolent vobis omnes Ecclesiæ Orthodoxæ. Quid Academia sine Theologiâ? Silent jam diu ejus professiones. An nullus inter tot vestros Theologos Orthodoxus, tali Sparta dignus? Metuimus, ne unguem quæratis ulceri. Pulchre is differit in Præfatione Anti-Bellarmin. Contracti, de libertate prophetandi, neque hanc vult in novandi licentiam converti. Utinam non in utramque ipse impingeret. Speciose urget illud Apostoli, *Omnia probate*. Libere ergo prophetandum, neque ferendum vult novum Papatum, ut in hominem juretur verba. Sed præterit alterum Apostoli, *quod bonum est, tenete*: quo nec novatoris esse permittit, qui subinde nova portenta excogitent, nec Pyrrhonios, qui nullam fidei formulam probatum & ratum esse velint; sed jubet limites Religionis Orthodoxæ, semel bene positos, sacrosanctos haberi atque teneri; Hæc facere, nequaquam est novum Papatum invehere, aut in hominum verba jurare, sed est in fide veritatis ra-

radicatim permanere, vanitatem ingeniorum cohercere. Quod si Illustrissimi D. D. Ordines fecerint & formulam doctrinæ Orthodoxæ, plurimo Majorum & suo labore ac sanguine hactenus defensæ, cum Orthodoxis Germaniæ, Galliæ, Britanniæ, Poloniæ, Bohemiæ, Ungariæ, Daniæ, Sveciæ, &c. Ecclesiis, sartum tectum retinuerint, neque Pelagianis aut Socinianis opinionibus locum dederint; utique rebus Belgii, à Domino DEO bene ominabimur atque precabimur. In quam curam cum & vos, fratres, totos incumbere intelligamus, utique vestra causa plurimum gaudemus, ac DEUM OPT. MAX. toto pectore rogamus, uti in sancto proposito, vos omnes confirmet, vestrisque ministris gratia SPIRITUS SUI copiose benedicat. Heidelbergæ. XXVI. Augusti. CIↃ IↃC X.

Vestri in Domino

DECANUS & PROFESSORES
Facultatis Theologicæ in Academia Archi-palatina.

EPISTOLA LXXXVII.

PHILIPPUS MORNATUS SIBRANDO LUBBERTO.

CL. Vir; Labores nostros piis & bonis apud vos probari, est quod DEO gratias agam. Tibi præsertim, cujus mihi judicium multorum instar; Sed tempus jam missionem petere, ne ætatis immemor, inter hæc stipendia fathiscam. At

At tu interim macte animi, & in proposito perge, dum Bellarminum undique confossum nobis tradas; quem in tam necessario certamine occupatum his intestinis velitationibus avocatum vehementer doleo, quas saltem quiescere oportuerat, donec hostis ille tibi debellatus foret. Gratulor tamen, Vir Clarissime, prosperos hos tuos, adversus novatores vestros, dicam, an veteratores, successus. DEUMQUE obsecro, det nobis pacis & concordiæ Spiritum, unde antiqua Ecclesiæ vulnera conglutinentur; tantum absit ut nova recrudescant. Apud nos sane, nil antiquius, quam ut inutilibus & curiosis quæstionibus via omnis præscindatur; quod ex contentione ante aliquot menses hîc extincta non dubito quin perspexeris. Cæterum Phocæus tuus, & tuo, & suo parentumque nomine mihi commendatus, omnia benevolentiæ officia, sicubi opus, experietur. Tu verò, Clarissime Vir, quem ex animo colo, liberè & familiariter me in omnibus utere. Vale. Salumri die XXIII. Iulii. CIↃ IↃC XV.

EPISTOLA LXXXVIII.

PHILIP. MORNAYUS PLESS. FESTO HOMMIO.

CL. Vir, & mihi plurimum observande. Pergratum mihi fuit ex tuis literis tam diserte intelligere, celebris illius Synodi vestræ quis ordo, quæ series hactenus fuerit; haud du-

dubiè, in exemplis olim in Ecclesiis purioribus futuræ. In qua quidem uti video incertum, pietas in disquirenda veritate, an prudentia in præscindendis vitilitigationibus clarius enituerit. Et vero non dubito quin bonis conscientiis fiat satis, quæ solo veri & recti studio ducuntur, reluctantibus tantum illis quorum mentem convincere, quam animum vincere facilius est. Precor igitur DEUM OPT. MAX. ut vobis magis ac magis Spiritu suo adsit, intersit, præsit, quo sincera doctrina non internoscatur modo, sed diffulgeat, pax Ecclesiis reddatur, cæteris authoritate vestra firmetur, & Resp. porro vestra pristinam ex concordia, & gloriam & potentiam recuperet: Nos sane omnes in eventum tanti negotii cernui, avide expetimus & progressum & finem ejus nosse, quare te enixe rogo, ut qua erga me benevolentia cæpisti, eadem prosequi digneris, non me solum hoc beneficio sed plerosque apud nos non parum divincturus. Vale. Vir Clarissime, mihique tui studiosissimo, amicitiæ tuæ favorem impertire. Sicubi mea opera tibi usui esse possit, nihil non in tui gratiam præstituro. Salmurii XXII. Martii. Anno CIↃ IↃC XIX.

EPISTOLA LXXXIX.

Reverendo

D. VOLFGANGO MAYERO,

Ecclesiæ Basileensis Pastori doctissimo.

Dordracum.

REverende ac Doctissime Domine, Synodum ve-

veſtram multa morari, ex literis, quas ad me officioſiſſimè ſcripſiſti, non lubenter intelligo. Optarem potius illa diſſidia ocyus tolli, quæ pietati officiunt & Remp. maximè lædunt. Comitate & benevolentia cum iis, de quorum doctrina expendenda agitur, certandum puto, ut omiſſis comperendinationibus mentem ſuam candidè aperire & verbo DEI fratrumque ſuorum judicio, ſeſe permittere velint. Tunc veſtrum erit ſententiam de re tota tam dilucidè & moderatè ferre, ut pax Eccleſiarum & ſecuritas harum provinciarum ſtabiliatur. Sic vos DEUS Suo Spiritu regat, teque, Vir doctiſſime, ſanum & incolumem diu ſervet. Vale & deinceps, quid iſthic agetur, ſi vacat, perſcribe. Hagæ Comitis VII. Id. Ianuarii CIↃ IↃC XIX.

Tui Amantiſſimus

IO. TUMERIUS BOSSISIUS.

EPISTOLA XC.

P. PAULUS VENETUS D. DANIELI HEINSIO V. CL. S.

Reverende Domine;

FUit proculdubio Apoſtolorum Iohannis & Pauli ſententia, quam in tua homilia enarraſti, eamque orthodoxam eſſe ſoli non credunt, qui

qui cæcitate mentis damnati sunt ; nam ut Divinæ gratiæ, & adoptionis soli electi participes sunt, ita quæ sit ejus vis & efficacitas soli cognoscere possunt. Non enim Mundus, aut caro, vel nycticorax lucem ferre valent, quibus denegata est ea oculorum acies, qua lux perspici potest. Meo judicio nedum fides divinum beneficium est, verum & recta de ea, ac de illius causis, & effectibus existimatio mundanis sapientibus est denegata. Vos felices, quibus cælitus divina mysteria detecta sunt. Christiana ista Synodus Apostolicam sententiam à carnali discrevit, & hac damnata illam pie amplexa est. Et prudenter amplissimi Ordines adversarios vestros linguam coërcere jusserunt, defuncti munere, quod principis proprium est in Ecclesia. Quod verò illi hostibus se adjunxerint nihil mirum. Errores invicem maximè pugnantes & extremum diffidentes, facilius inter se conveniunt, quam cum media veritate. Ego summa alacritate literas tuas Kal. Ian. his de rebus recepi, & legi, quem Divinarum rerum scientem ex homiliæ lectione cognovi, & intelligentem humanarum ex aliis, quæ circumferuntur scriptis politicis adverti. Te diu incolumem servari maximè exopto idque à Deo, & Patre precibus exorare nunquam cessabo. Venetiis IV. Kal. Iun. CIↃ IↃC XXX.

EPIS-

EPISTOLA XCI.

CYRILLUS

Patriarcha Constantinopolitanus,

FESTO HOMMIO.

Doctissime ac Reverend. Vir, Domine FESTE HOMMI Frater in CHRISTO observandissime, post osculum Christianum & fraternum, Salutem.

RECtè admodum scribit Prudentia tua scribendo superare difficultatem, quam regionum parit distantia, missis ad nos literis charitatem Christianam undiquaque spirantibus. Læti nos illas & legimus & amplexi sumus. Nec à vestro proposito diversi, mutua promtitudine animi rescribimus. Et quamvis nostrum scribere ad te tantum virum, omni genere virtutum refertum, balbutire sit: quia tamen certi sumus tuam Prudentiam ad spiritus paupertatem & animi sinceritatem, non ad voces fucosas respicere: non recusamus cum nostra simplicitate & idiotismo adsistere. Præsertim cum & R. T. & Ecclesiæ vestræ tantum de me conceptum habeant, quantum offert sua epistola, & si constet, mobilis famæ culpam esse excessum. Præter enim fidei Orthodoxæ veritatem, quam serio, per DEI gratiam, profitemur, pro quaque in hoc seculo militamus, nil ultra nobis præsumimus. At reservo in corde Christiani vestri animi benevolentiam, quamque de

me parum merito habere dignamini existimationem, cui si comites exhibebitis preces in DOMINUM IESUM CHRISTUM pro vestra erga fratres charitate, compotes eritis, ut quales esse existimamur, in veritate, tales si sumus, perseveremus, si non sumus, efficiamur. Interim, Vir Celeberrime, cum adhuc in Ægypto essem Præses Alexandrinæ Ecclesiæ, familiaritatem cum Nobili DAVID de WILLEM contraxi; amabam vehementer virum ob selectos mores & non vulgarem doctrinam; maximè cum se veritatis Catholicæ Propugnatorem, Oppugnatorem falsæ doctrinæ profiteretur. Ille mihi de statu Ecclesiarum V. V. plura referebat, & ego jucundè audiebam: mentionem illustrem de Reverendissima D. V. fecerat, ea occasione, quod in Collatione Hagensi in fine semper uniuscujusque discursus Contra-remonstrantium inter alios Doctores, FESTUS HOMMIUS subscribebatur; inde mihi apprimè notum fieri nomen tuum incepit. Hic postea in Constantinopoli Venerabilis Concionator IOANNES PISCATOR reliqua addidit, uberrimè singulares Personæ tuæ dotes prædicans: imo & se huc missum fassus operâ vestrâ. Notior ergo facta mihi est Prudentia Tua. Sed nunc jure optimo jactare possum, quod vivam viderim imaginem tuam, ex quo literas vestras habui. Beati vos, qui Sal & Lumina estis in Ecclesia CHRISTI, quique toto vitæ vestræ curriculo desudatis, agrum colentes cum maximo fructu Dominicum: quod si ob id hostes vos per-

perſequuntur, magis magiſque Beati eritis; prætereà quid vobis & puſillanimitati? non latent nos dira & diuturna, quæ ſuſtinetis, bella, non labores ex parte, & reliquæ difficultates. Sed eadem fide, qua PAULUS, dicere debetis; ὁ κύριος ἐρύσατο ἡμᾶς ἐκ παντὸς ἔργου πονηροῦ. ὃς σπεύδει ὑμᾶς, καὶ φυλάξει ἀπὸ τοῦ πονηροῦ. Res eſt pernicioſa & intolerabilis, diſcretioni Papiſtarum ſubjicere conſcientias, & nos hîc ſub infideli jugo, non ab infidelibus, ſed ab Hypocritis Ieſuitis perſecutionem patimur. Cauſſa? Quia errores Romanos non admittimus, Idololatriam non probamus, hinc nobis omnia mala, calumniæ, inſidiæ, minæ. Boni Ieſuitæ non ceſſant ἀκαιρίως ἡμᾶς διαβάλλειν, ἔργον διάβολε πονηρεύεσθαι, ut excitent Romanam Aulam adverſus nos, adverſus noſtram Eccleſiam. Teſtis eſt, poſt DEUM, Illuſtriſſimus & Excellentiſſimus Orator Potentiſſimorum D. D. Statuum CORNELIUS HAGA, cujus prudentiæ & dexteritatis vigiles oculi multas inſidias, multa pericula ab Eccleſia noſtra ſæpius arcent. Miſſa facio varia conſilia Romæ in congregatione de propaganda fide, habita, varios modos excogitatos, vel me bonum Chriſtianum, ut ipſi eſſe jactant, efficiant, ſibique σώσασθαι vel crucifigant. At nos confidimus in DOMINUM, ὃς σπεύδει ἡμᾶς, καὶ φυλάξει ἀπὸ τοῦ πονηροῦ. Concludere debemus ergo, quòd iſta ſint Anti-Chriſti tempora; & à DEI miſericordia non aliunde exſpectanda libertas. Multas gratias R. D. V. refero ob miſſam mihi Belgicam Confeſſionem, quæ ſum-

mopere placuit; & quia jam Typographus ille, de quo mihi scripserat Vestra Prudentia, suam jam hic incepit exercere artem, spero post breve tempus par pari me relaturum R. D. V. cui pro fine à DOMINO IESU CHRISTO optimum statum ex corde precor & sanctam suam benedictionem. Optime valeat. Datæ Constantinopoli, III. Novembr. Stylo Veteri. CIↃ IↃC XXVII.

EPISTOLA XCII.

IO. DAVENANTIUS

Episcopus Sarisberiensis

FESTO HOMMIO.

LÆtus lubensque audio, Vir Cl. te in iis esse, qui valde favent huic pacificationis & unionis negotio, quod DURÆUS noster invicti animi robore prosequitur: qua in re non possum non laudare prudentiam & pietatem tuam; nam cum nulla spes sit, Disputando aut Digladiando hoc negotium confici posse; aut pacificorum Theologorum, interventu & consilio hæc pugna sedanda est, aut Bellum hoc inter Ecclesias Germanicas ἀσπονδον erit & malint mutata velificatione portum concordiæ assequi, quam eum summo periculo cursum tenere, quem hactenus tenuerunt. Nam quod de Civilibus bellis, id de hisce Theologicis dici potest, omnia sunt in illis misera, sed nihil miserius ipsa victoria; insolente scilicet illa & superbâ, quam tumultuosi

tuosi Theologi exoptant; quæ fratres vi & metu cogat in ejus sententiæ professionem, à qua animo & corde sunt adhuc alieni. Sed ratio non est habenda istorum (si qui sunt) qui nihil pejus metuere videntur, quam Euangelicorum inter se fælicem & fraternam unionem. Proverbialis ille versus fortasse tales solatur aliquantulum Ἐν ὑ δικοστασίη, nosti quæ sequuntur: at quanto satius esset audire Phocyllidem sapienter monentem, φεῦγε δικοστασίλω καὶ ἐν πολεμω ασοσίοντος. Si quis autem à me quærat qua via progredi oportet hasce Ecclesias dissidentes, ut in fraternitatis Christianæ fœdus quamprimum conveniant. Mihi sic videtur. Primo in loco inter primarios utriusque partis Theologos conciliatio animorum & redintegratio fraterni amoris est procuranda: etiam gravissimæ injuriæ hinc inde factæ, sunt communis concordiæ caussa, voluntaria quadam oblivione conterendæ. Nam quales sunt in singulis Ecclesiis Doctores & Rectores, tales plerunque esse solent reliqui Christiani. Si qui Principes fuerunt in hoc bello gerendo se ipsos vincere & animos suos ad pacem & concordiam inflectere velint, de Ecclesiarum inter se fraterna communione rem factam protinus sumus habituri. Minutos etenim controversiarum apices, de quibus Docti acerrimè dimicant populus plerumque nec intelligit nec tenetur intelligere: at perspicuum mandatum Charitatis & pacis retinendæ cognoscit, agnoscit, tenetur observare. Si quis autem pertendat non posse aut oportere Theologos inter

quos certamen est de obscuris & arduis quæstionibus bona fide in gratiam & fraternam communionem redire, dum alienam malitiam coarguit, suam indicat aut perfidiam aut inscitiam. Apud bonos siquidem & æquos hujus rei arbitros, nunquam tanti erunt quæ inter Germanicarum Ecclesiarum Theologos ventilantur controversiæ, ut jure videantur posse aut debere iter Christiani amoris interrumpere, & vincula fraternæ communionis inter ipsas Ecclesias dissecare. Si hoc itaque ab utriusque partis Theologis obtineatur, ut vicissim fraterno amore sese complectantur, tum proximo in loco, depositis inimicitiis, accingant se ad doctrinas Ecclesiarum suarum pacatis animis ponderandas. Quæ fundamentalia sunt Christanæ fidei dogmata & ad salutem plane necessaria, cum pauca sint & clara, ab utrisque admitti, stabiliri, & Ecclesiis suis commendari oportet. Quæ autem fundamento ita adhærent tantummodo & contigua sunt, ut sine iis fundamentalis & salutifera fides bene subsistat; si conciliari nequeant, sive aurea sint, sive fænea, nec Ecclesias divellere debent, nec divulsas impedire, quo minus in fraternam communionem redeant Recte quidem fecerint qui præsunt Ecclesiis, si minime sinant suos implicari erroribus alienis; modo ne cogant interim Ecclesias sibi minime subjectas aut pedibus ire in sententiam suam, aut extra ostium & limen fraternæ suæ communionis perpetuo manere. Quod nunc suademus faciendum, fructuosum magis est, quam difficile: non est enim posi-

positum in labore aliquo magno aut acumine, sed solummodo in inductione quadam animi, & propensa Doctorum in hanc Ecclesiarum unionem voluntate. Postremò hoc unum addo (quod in omnibus controversæ Theologiæ capitulis universè observandum sentio) ut quod nondum unanimi consensu Euangelicarum Ecclesiarum stabilitum aut receptum est, in eo nulla particularis Ecclesia tam arroganter aliis præjudicet, ut secus sentientibus, quasi hominibus impiis aut obstinatis hæreticis omnem sacrosanctæ communionis societatem renuncient. Si hæc omnium Euangelicorum animis insiderent, non propter dissensionem aliquam in rebus minime fundamentalibus, Ecclesiis sibi minimè subjectis fraternitatis dextras denegarent; sed potius propter plenam in ipso fundamento consensionem, tanquam fratres suos suavissime exoscularentur, diligentissimeque colerent. Hæc ad te pluribus scripsi, Doctissime FESTE, non quod te indigere sentiam aut excitatione, aut explicatione mea, sed ut vestris hoc exemplo præire possem ad consilia vestra & auxilia huic DURÆO nostro impertienda. Habuit jam pridem meam de toto hoc negotio sententiam, habeat jam quæso & vestram; quo beneficio & illum & me & laborantes Germanicas Ecclesias eadem opera obstrictos habebitis & vobis obligatos. Vale, dilectissime Frater. DOMINUS te vestrosque omnes Spiritu prudentiæ & æquitatis gubernet, ut incolumitati & paci Euangelicarum Ecclesiarum consulere ac prospicere possitis & velitis. Sarisburiæ XIII. Apr. CIↃ IↃC XXXV.

EPISTOLA XCIII.

Clarissimo Consultissimoque Viro

REMBERTO ACKEMA,

I. V. Doctori, Domino & Amico suo honorando.

S. *Leram Frisiorum.*

HAs literas inclusas, una cum adjunctis instrumentis, incontinenti quæso ad Olderszum procurato. Isque nuncium salarium suum solvat. Facile animadvertes cur tibi illas inscripserim. Peregrinando lassus sum nihilque malim quam certam semel sedem constituere. Sed hæreo ubi DOMINUS velit mihi suam voluntatem impartiri. Amen. In Suevia amicos inviſi. Multumque eorum consuetudine ad dies aliquot recreatus sum. Crastino die ad Aciduam proficiscar in *Lange Zwalbach*. Curâ Valetudinis meæ absolutâ ad nundinas ibo. Atque ibi deliberaturus sum an præstet me diutius hîc manere an vero descendere. Si descendo nec Belgium adhuc placeat potius Duysburgum quam Coloniam commigrabo. Nuper Rheno hac transierunt Gascones. Hodie Zuitzeri. Circa *Ursel* & *Konigstein* conveniunt equites Casimiriani paulo post descensuri. Qualis eventus futurus sit DOMINUS novit. Miror nihil me à te literarum accipere. Bene Vale, Vir Amantissime, in Eo, qui nos dilexit CHRISTO DOMINO & DEO nostro. Uxori & liberis omnem à me salu-

lutem & amorem. Spiræ IV. Auguſt. CIↃ IↃ LXXXIII.

Tuus ex animo

A. A.

Ne omittas in nundinis ad me ſcribere & aliquid de bono famulo indices. Simul etiam tuum mihi de domicilio conſilium impartias.

EPISTOLA XCIV.

Clariſſimo Conſultiſimoque Viro

REMBERTO ACKEMA

I. V. Doctori, Domino & Amico ſuo honorando.

S. *Leram Friſiorum.*

QUaternas tuas literas diverſis temporibus ſcriptas hic primum in nundinis accepi. Ad quas breviter, aliis negotiis occupatus, ordine reſpondebo. Primæ quæ ſunt de dato XXVIII. Iun. conatum quendam indicant. Sed cujus effectus non tam facilis erit. De eo nihil aliud reſpondere poſſum, quam optare me ut placeat tandem DEO ad concordiam nos ſine cæde & ſanguine perducere. Quod ad me attinet ſeriò tandem eò redeo. Quod ſemper animo meo ante Pacificationis tractatum impreſſum fuit: Tu populo mi ingredere cubiculum tuum & claude oſtium tuum poſt te, ac quieſce paululum, donec tranſeat ira DEI. Prophetæ ubique hoc tempore piis tenuitatem prædicunt, ſed non e-

geſtatem. Idem video tibi accidere. Pro quo DEO maximæ gratiæ agendæ ſunt. De Filio tuo ſuo tempore videbimus. Pro Filia vero tua non ſcio *Catechiſmum* meliorem quam qui eſt *Werneri*. Quem ſi non habes libenter tibi eum tranſmiſſurus ſum. Literas tuas, ut vides, ſerius accepi. Medio tempore M. BUCHO WIARDA mihi ſuum Filium commendavit. Cui ob amicitiam & affinitatem noſtram petitionem ſuam denegare non potui. Illum ergo ad me recepi: talemque eum inveni, qualem ego poſtulo. Excuſabis ergo me apud utrumque COENDERS. Item apud D. ALBERDA, cui nunc non reſpondeo, propter occupationes meas. Similiter apud HOERNGES, qui jam ſecundo mihi ſuum Filium commendavit. Malum omen quod ſcribis de exuſtis illis ædibus. Novum illud de Principum Proteſt: Spiræ conventu non eſt verum. Epiſtolas meas curabo ut habeas. Scripſi modo BURMANIÆ ut eas ad te tranſmittat. Quod ad Filium UBBENÆ attinet ſcias me ſalvâ conſcientiâ neminem amplius commendare audere, propter morum corruptelas, quæ ſunt in aulis Germanicis. Deinde cum ſe pro nobilibus gerere velint, ut Patriciorum veſtrorum mos eſt, plus ibi conſumunt, quam ſi honeſtè alicubi in libertate vivant. Tertio ejuſmodi commendationes cogor ego multis ſevitiis compenſare, quibus præſtandis in hac ſenectute mea impar ſum. Tui, credè mihi, ſi occaſio ſeſe obtulerit, non obliviſcar.

Se-

Secundæ tuæ literæ ſcriptæ ſunt XIV. Iulii. * *Is vir* ad me venit, eumque ego motus veſtris literis antequam doctrinam ejus cognovi in hoſpitium meum & ad menſam meam recepi. Sed poſt primam & alteram collationem plus differre nos intellexi quam cœlum & terram. Nolo illum gravare hujus aut illius hæreſeos nomine. Sed ſcias opiniones ejus prorſus ſpiritui meo adverſas, præter ſpem quam de Eccleſiæ reformatione vel reædificatione habet. Zelum illius video & amplector. Sed is non eſt ex vera DEI PATRIS ac æterni FILII ejus ſcientia. Literas illas quas Emdano nuncio *Iohanni* tradidiſti nondum accepi. Pergo ergo ad alias.

Tertiæ ſcriptæ ſunt XVI. Aug. in his mentio fit earum literarum, quas EUSSUMANI ad me dederunt. Has unà cum prioribus meis literis à viro illo accepi. Quid illis reſpondeam ex literis adjunctis cognoſces. Ultrà aliquid conſentire non videtur mihi conſultum eſſe. Alioquin gratificari illis cuperem, ſi ſine damno meo fieri poſſit. Hæc confeſſio eorum, ſpero efficiet ut de ſorte nihil amplius mihi metuendum ſit. An eodem etiam jure intereſſe habebitur, quod apud eos ſevetur, ſcire ex te cupio. Reditus non patiar mihi ſolvi niſi in gravi moneta. Id enim juris eſt, & in Imperio obſervatur. Malum tamen principium faciunt, quod contra tam firmam promiſſionem ab ipſis fa-

* Erat is. Franciſcus Puccius Filidinus, Italus, ex Anglia in Germaniam tendens.

ctam,

ctam, pecuniam mihi non transmiserint, quâ admodum nunc indigeo. De immatriculatione illa te absente, cogitabo ubi Spiram rediero. Comprehendant Concionatores doctrinam nostram aut non, manet illa semper in se verissima Veritas.

Ultimæ tuæ literæ sunt de dato XXVI. Aug. In iis mentionem facis priorum literarum. Quas vides me accepisse. Statui hac hyeme Spiræ vel Vormatiæ permanere, ubi Medicus habitat cujus consilio me aliquamdiu uti oportet. Circa æstatem cum DOMINO, consilium capiam. Ubi aliquando ex ipsius voluntate fixas sedes constituere potero. Habes breve responsum ad omnes partes epistolarum tuarum. Pro novis communicatis habeo tibi gratias. Sed nulla nunc habeo, quæ vicissim tibi communicare possum. Nam jam res in eum statum devenit quem hactenus expectavimus. Quis exitus futurus sit, DOMINUS novit. Sed valde metuo nondum nos Cyrum habere. Bene Vale, Amice Amantissime & Fidelissime, in eo qui nos dilexit CHRISTO DOMINO & DEO nostro. Uxori & Liberis omnem à me salutem & amorem. Sumptus quos facitis mea causa illos rogo de reditibus illis, si exsolvantur detrahatis, & filiolo & filiolæ tuæ unicuique coronatum munusculi loco à me ex iisdem nummis tradito. Francofurti XV. Sep. CIↃ IↃ LXXXIII. FEIKONI quæso omnem à me quoque salutem. Quid valet soror mea HARINCXSMANA? Quid Filia? Item quid Filii?

His

His ſcripſi bis terve ſed nihil reſpondent. Præcipue quid Uxor?

Tuus ex animo

A. A.

EPISTOLA XCV.

Clariſſimo Conſultiſſimoque Viro

REMBARTO ACKEMA

I. V. Doctori, Domino & Amico ſuo honorando.

S.

LIteræ tuæ, Vir Clariſſime, quæ ſcriptæ ſunt VI. Novem. eas ego hîc Wormatiæ VIII. Dec. primum accepi. Atque ut hoc ante alia tibi ſignificem. In hac civitate habitationem meam elegi, donec ſine periculo Coloniam redire potero. Spiræ à nimis multis inviſebar, & de nimis multis quæ hujus mundi ſunt agere & loqui me oportebat, adeo ut ne ipſe quidem Princeps Cas. per ſuos Conſiliarios, cum ad Celſit. ejus ipſemet in perſona venire detrectarem, quieti me mea reliquerit, quibus conſcientia mea ſæpius gravabatur, & pietatis ſtudium, cui me totum tradere deſiderabam, impediebatur. Verum hic ſolus omnino ſum, nec cum quoquam ulla mihi notitia nec conſuetudo eſt. Sic ut liceat mihi omne meum tempus precibus ſanctiſque meditationibus tranſigere, ac ne neſcius ſis quæ nunc ſint meditationes meæ, *omnes tranſlationes Novi Teſtamenti confero, ac errores, qui*

qui à singulis commissi sunt, annotare cœpi, & quomodo corrigendi sunt indico. Hic labor pro majori parte absolutus est. Sed incessit majus adhuc desiderium, nempe ut *Annotationibus* quoque *ex doctrina veritatis petitis & collectis idem Testamentum illustrem.* Spero enim tempus instare, quo DOMINUS nos majori gratia & luce inviset, nec ante etiam quam id fiat à malis nostris liberabimur. Si forte his *Annotationibus* meis quosdam commovere potero, ut Scripturam Paulò sublimius & profundius inspicere incipiant; ac idcirco proposui quoque si DOMINUS permiserit, *singula Euangelia & Epistolas correcta à me & explicata* ad Ministros Embdanæ Ecclesiæ, quæ mihi primum ad conversionem meam servivit, transmittere, ut super his judicent; vel una mecum conferant, utrum intellectus noster an aliorum veritati & scripturæ magis consonet. Spero illis hanc collationem non ingratam futuram. Quos judico viros esse bonos & veritatis amantes. *Incepi* vero *à Divo Iohanne*, qui mysteriorum, in quibus hodie gravissimæ sunt aberrationes, præ cæteris plenus est, ac jam pridem *Annotationes in Epistolam* ipsius *primam absolvi*, quas Doctori SAMUELI probandas tradidi. Et *nunc in Euangelio* ejus *sum*, easque *Annotationes* spero me intra duos menses per gratiam DEI similiter absoluturum esse. In proximis nundinis, ut ambas *Annotationes* habeas, DEO volente, procurabo. Si modo tantum otii nobis fuerit, ut perfecte describantur. Interea meis Epistolis, quas non omittet BUR-

MA-

MANIA ad te transmittere, si ullam transmittendi oportunitatem nactus fuerit, vel tu eam ipsi ostenderis, uti poteritis. Hæc hactenus.

De solutione redituum quid sentiam & de tota nostra controversia cognosces ex adjunctis literis, & si in arbitrium consenserint, plenam tibi do potestatem arbitros unà cum iis eligendi & constituendi, utque confirmes & ratum habeas, quodcunque illi arbitrati fuerint, sive per amicabilem compositionem, sive per sententiam. Instructionis satis habes ex duabus epistolis, quas ad HULDERICUM ab EUSSUM dedi, prioris copiam ex nundinis ad te transmisi, alterius nunc mitto. Nihil postulationes meas continere video, quam quod justum & æquum est. Nuncio pro salario suo solvi duos florenos aureos cum dimidiato. Dicit enim pro C. cujuscunque monetæ nummos quos portat, VIII. sibi deberi pro salario. Hoc sumptu carere potuissem, si in nundinis pecunia procurata fuisset, sed majus damnum sentio in ipsis florenis, si sic mihi accipiendi erunt, ad quod me teneri omnino non existimo.

De statu rerum qualis adhuc apud nos appareat non habeo quicquam melius, quam quod jam pridem ad BURMANIAM scripsi. Quarum literarum exemplar hic quoque adjunctum habes. Si velis partem earundem literarum Domino Præsidi AYSMA communicare, ut ibi incipias. *Quid optarem à nostris fieri*, &c. Hoc licet tibi: priora non intelliget, nec ferre poterit. CASIMIRI expeditio in speciem finem habe-

habere videtur, suspicor tamen aliud aliquid subesse, quæri & parari per hoc firmiora præsidia, dum altera pars arma non deponat, cum utrique armorum depositio per Imp. & Electores injuncta sit. Qua de re brevi fortassis certius aliquid. Bene vale, Vir Amantissime. Amitæ & Uxori una cum liberis omnem à me salutem & amorem. Pro strenulis unicuique liberorum Fl. mitto. Tecum vero & cum FRED. nostro sic agam, ubi, si DEO placet, convenerimus, quod fortassis proxima æstate fieri poterit, ne gratis vestro labore uti videar. De immatriculatione scribam proximè certius aliquid. Wormatiæ XVIII. Dec. CIↃ IↃ LXXXIII.

Huc Posta attulit Dominum de NIENOORT cum exercitu suo cæsum. Id quod magnum mihi dolorem attulit. Et si verum est, tum fortassis præstat nihil Præsidi scribere. De CASIMIRO inanis spes est. Nisi hoc negotium ab omnibus Protestantibus suscipiatur, ut cognosces ex literis cujusdam Consiliarii ipsius, quas post has scriptas accepi.

Tuus ex animo

A. A.

EPISTOLA XCVI.

Ex literis

ad BURMANIAM scriptis.

QUæ de rebus Belgicis scribis graviter animum meum afficiunt, sed quid potest spera-

rari ibi aliud, ubi ex justo DEI Iudicio Antichristi in se mutuo insurrexerunt. Regnum Satanæ sub Papatu externam quandam speciem pacis & concordiæ habuit, latenter vero & internè plenum fuit discordiis & contentionibus. Hoc regnum quia non perpetuo stare debuit, necesse fuit ista quæ ibi latuerunt in lucem venire. Hinc variæ istæ opiniones, quæ nunc in mundo vigent, pleræque CHRISTO contrariæ. In quo simul etiam cogitabis si potestas papana non passa fuisset immunitionem aliquam, omnes istæ opiniones oppressæ & conculcatæ permansissent; oportuit ergo esse tales, qui & potuerunt & voluerunt se illi opponere. Nam miserorum aliquot confessiones & cædes quæ ab initio in domo DEI factæ sunt, & adhuc fiunt, non sunt satis vehementes ad monstrum illud detegendum, ut omnes ipsius fæditates & mendacia cognoscantur; Vult enim DOMINUS non solum veritatem suam in lucem venire, sed vult etiam nobis Antichristum præ oculis ponere, ut qualis hactenus fuerit & adhuc sit omnes sancti intelligant & admirentur, utque major gloria DOMINI sit, ubi non armis & cædibus, sed spiritu oris sui illum sit confecturus. Nunc arma & cædes permittit; primo ut liberè prædictæ opiniones in lucem veniant. Secundo ut nefanda illius regni crudelitas & turpitudo manifesta fiat. Tertio ut vindicta sumatur de iis qui sanguinem innocentium effuderunt. Quarto ut per calamitates & miserias quæ hinc inde accidunt frangantur tan-

dem vires eorum, ut locus esse possit veris DEI ministris; simul etiam ut electi istis malis contriti apud DEUM ardenter instent, quò ab Antichristis illis liberentur. In summa quocunque te vertis non invenis nisi hoc hominum genus, non publice tantum sed etiam privatim. [*Talis etiam fuit Italus ille PUCIUS. Nec inter minimos licet per ignorantiam.*] Non solum Bestia illa quæ è mari ascendit, cui Draco omnem suam potestatem dedit Antichristi loco censeri debet, sed etiam altera illa bestia, quæ è terra ascendit, habens cornua duo similia Agni, sub qua omnes falsi Prophetæ nostri temporis comprehenduntur. Est ubique Antichristus, qui se quoque in tria effudit, ad sanctiss. divinæ Trinitatis imitationem. Latiorem de his explicationem tuæ meditationi relinquo. Sed hæc ad nostram consolationem adferre volui, ut divinæ ordinationi cogitationes & sollicitudines nostras subjiciamus, postquam nolunt omnino verioribus & sanioribus consiliis acquiescere, & forte tempus nondum advenit, quod DEUS ad clariorem Antichristi patefactionem & confectionem prædestinavit. Interea tamen certo mihi persuasum habeo, utcunque erigantur subinde in novam spem Pontificii, eos pristinam suam potentiam non esse recuperaturos, filius ille Draconis, Bestia marina, ut non inferior sit suo Cancellario, qui est Bestia terrena, seu falsus Propheta, quia tamen unus est cum eo, atque hic ab utroque profectus sit, æquales partes & pœnas ambas perferre necesse est, donec tota hæc infernalis

lis Trinitas pateſiet & Spiritu oris DEI conficietur. Sed hæc ſatis. Quid optarim à noſtris fieri ſignificavi jam ante tibi, [*Quæ autem ſignificavi hæc erant. Patriæ calamitates me graviter afficiunt, nec illæ aliunde ſuum habent ortum, excepta illa cauſa communi, quam ex diſſenſione noſtrorum. Cur non efficitis quod vobis una cum amicis veſtris facile eſt, ut aliquot viri boni patriæ amantes ad numerum xx. vel plurium ordinentur, qui de ſummis rerum in hac ἀπάξιω inter ſe deliberent, & certi aliquid ſtatuant, quod communi conſenſu omnes probent & ſequantur! Si rem eo deducere poteritis, ſpero DOMINUM DEUM aliquid boni daturum, alioquin peribimus antequam Ordines in commune remedium ullum quæſierint. Nam non ignoras quo capita inclinant, Sed id DEI voluntati repugnare omnino exiſtimo, & in quo nunc aliqua ſpes eſſe videtur, propter ſtudium quod ſequitur, niſi illud corrigat, potius pœna quoque quam paci ſerviet. Quare præſtat ut qualibet provincia ſibi ipſi conſulat, & inprimis operam det, quo DEO reconcilietur, &c.*] Et ſane expediret primo tempore talem convocationem & conventum fieri, præſertim nunc ubi ab omnibus ad ſuum bonum ſi rem recte perpendunt, derelicti ſunt. Quid ſi in religione convenerint, ut ſtatuant aliquid quod DEUM offendere nequit? de quo jam ſæpius audiviſti meam ſententiam. Quid ſi Senatui ſuam authoritatem reſtituant? cum cautione quam ſimiliter olim expoſui. Quid ſi reformationem aliquam juſtitiæ concipiant, & pro viribus ſervare eam conentur? Quid ſi in cæteris omnibus, quæ nunc

corruptelis & vitiis inquinata sunt, si non tolli omnia statim possunt, saltem ostendantur & declarentur, ac remedium iis aliquod conquiratur & decernatur, sed hæc essent viris illis committenda. Quoniam autem præcipuum est, & in quo nunc patriam nostram laborare video, ut de novo sibi capite provideant, non possum probare quod rursus de extraneo aliquo cogitent, & præsertim de illo, quem tu mihi significas. Causas habeo graves quas literis committere non audeo. Cur non hoc rerum statu, quo ipsi omnia onera soli sustinere coguntur, ad veteres suas POTESTATES redeunt? Quid si sub hoc quasi interregno unum militarem, & unum togatum ex suis in POTESTATES suas eligant? Ex suis dico, quibus patriæ salus sua est & sua patriæ. Quid si pro hac vice & ad tempus Dominum de NIENORTH, cui nostra salus ipsius quoque est, unum ex illis duobus ordinaverint. Sane longe melius mihi facturi videntur, quam si ullum alium extraneum asciverint, qui sua non nostra quærunt. Utinam DOMINUS DEUS dare velit, ut à nostratibus principium aliquod fiat, quia hoc nulli Provinciæ facilius est, quam nostræ, si recte animos nostrorum novi, talis reformationis, qua ira DEI adversus nos nonnihil leniatur & mitigetur. Nescio quomodo inter scribendum in hanc materiam inciderim, quam patri tuo una tecum considerandam committo. Desiderium meum bonum est ac tale etiam est consilium istud. Sed quid effici apud nostrates hoc tempore possit vos me-

melius intelligitis, &c. Cal. Nov. CIↃ IↃ LXXXIII.

EPISTOLA XCVII.

Clarissimo Consultissimoque Viro

REMBERTO ACKEMA,

I. V. Doctori, Domino & Amico suo honorando.

S.

NUllas ad me dedisti literas ab eo tempore quo separati sumus, quin semper iis responderim. Nec solum ex nundinis, sed etiam hinc binas ad te dedi literas, unas Cal. Nov. alteras IV. Dec. in quibus de variis rebus scripsi, quas dolerem ab aliis cognosci. Tuas omnes accepisse videor, quarum ultimæ scriptæ sunt XXVII. Nov. Ad eas pauca nunc respondebo. Infirmiore sum valetudine, quam ut multa nunc scribere queam. Si id quod scribis progressum suum accipiat, expectabimus iterum cum patientia eventum quem DEUS OPT. MAX. daturus est, fieri enim vix aliter posse videtur, ob causas, quas in prioribus literis meis exposui. Interim aliunde intellexi secundum hoc inceptum per Legatum Regis Navarræ & confœderatorum ipsius perturbatum esse. Quod an verum sit, tu optime nosti. Nostri non injuria videntur isti incepto se opposuisse. Sed quod ipsi seorsum de Germania cogitant, æque incertum & malum est, ut taceam neminem in Germania futurum, qui fœdus aliquod nobiscum contractu-

rus sit. Principem aliquem Germaniæ in dominum accipere longa opus habet deliberatione. Suaserim nostris, ut cum hoc consilio tamdiu quiescant, donec intellexerint, an conventus in *Mulhausen* successum habeat, deinde quid ibi concludetur. Si Ordines Generales ejusdem animi fuissent, quo nostri, & simul liberam aliquam formam Reip. instituere voluissent, omissis Monarchicis istis imperiis, donec DOMINUS DEUS regimen quod sibi placeret demonstrasset, tum ejusmodi fœderis multæ causæ, occasiones, & media, partim præ oculis sunt, partim præ foribus, sed hoc consilium diversum est à consiliis nostrorum capitum, quæ utinam non tandem sibi ipsis primum, deinde miseris subditis extremam perniciem adferant. Sed quid potest accidere aliud in tantis tenebris, & tam multiplicium opinionum perversitate, imo in illo Libertinismo & Antichristianismo vulgari. DOMINUS IESUS misereatur nostri. Illud unum optarem apud nostros effici posse, ut crederent se sibi solis derelictos esse, & ab omni præsidio extraneo animos avocarent, DEO vero ex toto animo sese committerent. Concordiam inter se foverent, & ad ipsius voluntatem omnia reformarent ac dirigerent, ad eum modum quem antea tibi binis meis literis exposui & significavi. Suis propriis POTESTATIBUS, quas in DEI timore eligant, contenti sint, & alias POTESTATES, sive Gallicas sive Germanicas, quæ utrobique non tales sunt, quales esse debent, valere sinant, longe melius pa-

patria noſtra paulatim ſe habitura eſt. Hoc mihi certo perſuaſum habeo, præſertim DOMINO cupiente malis noſtris finem imponere, niſi Satanica illa, Libertinica, & Antichriſtiana progenies, quæ nunc ubique rerum potitur, obſiſteret, ſed vincet tandem LEO de tribu Iuda, & conteret ac pudefaciet omnes ſuos hoſtes. &c. Wormatiæ Cal. Ian. CIↃ IↃ LXXXIV. Has literas una cum literis prioribus ad BURM. item literas Conſiliarii C. ad Præſ. AYSMA tranſmittere poteris. Erunt credo gratæ illi. Nec nuncius gratis deferet cui eas commiſeris. Si etiam SIXTO à DEKAMA eaſdem literas Bremæ communicare poteris, forte utile erit. Eidem totas priores tutò tranſmittere licet. XIX. Ianv. CIↃ IↃ LXXXIV. Tamdiu moratus eſt nuncius. Quæſo tibi cauſa mea cum EUSS. commendata ſit.

EPISTOLA XCVIII.

Clariſſimo Conſultiſſimoque Viro

REMBERTO ACKEMA

I. V. Doctori, Domino & Amico ſuo honorando.

S.

LIteras quas ex nundinis, Vir Clariſſime, ſcripſi, eas jampridem te accepiſſe arbitror. In iis quæ mea ſententia ſit circa cauſam EUSSUMANAM, ſatis ex epiſtola, quam ad filium dedi cognoviſti. Rogo ut plenum reſponſum, & ultimam ipſorum reſolutionem ad eam epiſto-

lam urgeas. Si non fecerint omnino statui in jure progredi, ac tantum nunc fundamenti habemus per confessionem de pignorum alienatione factam, ut Gen. Comes non possit mihi ullo modo justitiam denegare. Cum & hoc factum in Comitis præjudicium cedat. Accedit quod brevi ad vos D. HOLTMANNUS descensurus sit, qui non gravabitur omnem mihi operam præstare, ut jus mihi quod solum petò administretur. Cum animadvertam corda eorum, sed nec matris rectum esse, non sinam me nudis verbis diutius extrahi. Quapropter & te & FRIDERICUM nostrum amanter rogo, ut pergatis me in hac causa, ut hactenus fecistis, adjuvare. De labore meo quem hac hyeme habui, jam ante tibi significavi, operam in describendo, ne uni nimis grave sit, partiri mihi visum est. Itaque tibi hic mitto *examinationem Annotationum* THEOD. BEZÆ describendam, & BURMANIÆ quasdam Epistolas, quas conjunget cum aliis ante à me missis. Vide quæso, ut omnia recte describantur: nec omittantur ea quæ in margine, à me & Doctore SAMUELE nostro annotata sunt. Quæ verba sub se lineam habent, ea majusculis literis scribi debent. Non putamus meliorem rationem esse, qua plæraque scripta viri DEI in lucem veniant, quam si doctrinæ aliorum opponantur, & maxime si hanc collationem cum BEZA, qui præcipuus inter eos est, instituamus, quapropter quod hic me feciſſe vides, id *continuaba contra ipsum per totum Testamentum*. DOMINUS adsit mihi sua

luce

luce & gratia. Amen. Cogitare debes, an non ibi aliquis Typographus inveniri possit, qui hæc imprimere velit. In contextu aberrare non poteris, si ad numeros modo respexeris. Bene vale, Vir Amantissime, in eo qui nos dilexit CHRISTO DOMINO & DEO nostro. Uxori & liberis omnem à me salutem & amorem. Col., XX. Maji, CIↃ IↃ LXXXIV. styl. vet.

Tuus ex animo

A. A.

EPISTOLA XCIX.

Clarissimo Consultissimoque Viro

REMBARTO ACKEMA

I. V. Doctori, Domino & Amico suo honorando.

S. *Leram Frisiorum.*

EX sceda, Vir Clariss. quam M. BUCHO WIARDA ad me transmisit, intelligo, EUSZUMANOS declarationem aliquam fecisse ad proximas meas literas, quas ad ipsos dedi: sed scire te velim, me nihil literarum ab illis accepisse. Voluntatem autem meam satis tibi aperui, literis quas D. HOLTMANNO una cum *Annot.* meis *in Divum Iohannem* tradidi. Nunc nihil habeo, quod illis addam. Sed amanter te rogo, ne patiaris prædictum HOLTMANNUM inde discedere, quin illud negotium confectum mihi reddatis. Quomodocunque egeritis id mihi gratum & acceptum erit. Scripta mea om-

nia accepisse te omnino spero. Si quid ex iis descripseris. Id quæso revidendum mihi cum D. HOLT. remittas. Authenticum vero apud te serva. donec tuum receperis. Ubi & abs te & à BUR. omnia descripta fuerint; significabo tibi, quid iis factum cupiam. Nunc in manu habeo præclarum *Commentarium in ..... artic. Fidei*, quem ex Germanica lingua in Latinam transfero. Bene vale, Fr. Amantissime, in Eo, qui nos diligit CHRISTO DOMINO & DEO nostro. Uxori & lib. omnem à me salutem & amorem. Coloniæ, IX. Iul. CIↃ IↃ LXXXIV. styl. vet.

Tuus ex animo

A. A.

EPISTOLA C.

Clarissimo Consultissimoque Viro

REMBERTO ACKEMA,

I.V. Doctori, Domino & Amico suo honorando.

S. *Leram Frisiorum.*

LIteras tuas, Vir Amantissime, cum Doctore HOLTMANNO scriptas accepi. Inprimis gaudeo *Collectanea* illa mea ad manus vestras illæsa perveniisse: dico *Collectanea*, quoniam pro majori parte ex *Annotationibus* VAL. CR. & *libris* C. S. desumpta sunt; quibus ille honor à nobis debetur, ut eorum testimonia graviora habeamus, quam propria nostra. Sunt enim revera

vera duo illi testes, duæ illæ olivæ, quarum in *Apoc.* Cap. XI. mentio fit, si spiritualiter verba ibi posita, ut debent, accipiantur. Imo, si aures ad intelligendum habeas, est C. S. Helias SPIRITUS SANCTI, sicut DEUS PATER suum Heliam, & FILIUS ejus DOMINUS noster suum habuit. Sed hoc mundus nondum ferre potest; nos DEI gratia id scimus, & propterea nos nominis ipsius [scil. S.] non pudet, nec pudere debet. B. noster me rogavit, si quid translatum haberem ex illius libris, id ei communicarem propter nostros; multa habeo, sed nunc misi ei tantum aureum illum *libellum de novo homine* à me olim translatum. Item *Medicinam cœlestem* olim quoque Latine editam, sed à me postea revisam, & in paucis locis emendatam. Addidi *Epistolam ad Ministros Ecclesiarum*, qui sunt *in Frisia*. Tum quædam ipsi singulariter scripsi, quæ communicabo per pr. nuncium: nam aliis scribendis nunc nimis occupati sumus. In describendis meis accipe tantum temporis, quantum ipse desideres, & communica illa quibuscunque velis, nam nihil iis quæro, quam ut per ea aliis ad majorem veritatis cognitionem serviatur: de nomine meo, quæso, tace. Unum tamen semper exemplar apud te retine, & alterum quod transmittis, da quæso operam ut correctum sit. Tempus instare puto, ut his meis exercitiis non admodum opus sit futurum, sed ut scripta tantum præcursorum illorum ad secundam Ecclesiæ DEI ædificationem desiderentur. Utinam parum tantum ad hoc hominibus

bus noſtris ſervire queam. Sed hæc hactenus.

In privatis negotiis noſtris, primum quod ad tuum attinet CHRISTO DOMINO immenſas gratias habeo, quod inter tot calamitates tam benignè tibi neceſſaria tua procuret, & ita in Prophetis promiſit DEUS, ſe extremo hoc tempore in medio malorum ſuos alere & conſervare velle. Munus ſi quod offeratur cum gratiarum actione ſuſcipe, in eo juſte verſare. Formulæ quibus in conficiendis inſtrumentis uti poteris, ſatis multæ in lucem editæ ſunt, ſicut etiam judiciaria. Summa juris totius probe tibi cognita eſt, & ad eam retinendam ſufficient *Paratitla Wenſenbecii* ſubinde repetita. Ad cognitionem Actorum, ne aberres in requiſitis earum, utere Oldendorpio & præcipue practica Ferrarienſi. Quæro Epiſtolam aliquam, quam ſcripſi olim in gratiam amici cujuſdam, cui oſtendi quomodo in praxi verſari deberet. Hanc ſi invenero tibi communicabo. Si quid quod conſcientiam attingat inciderit, modeſte te ſemper excuſare poteris, ſi pietatis ullus ibi reſpectus eſt, non propter conſcientiam rejicieris, rejectus patere, & erit tibi iſtud lucri loco.

In meo negotio grave mihi eſt cum iſta matrona, ſi talis eſt, qualis eſſe ſolet, vel cum liberis ejus principium facere, ut bona eorum ibi quoque diſtrahantur, & jam novas literas ad eos confeceram, quibus negotium adhuc iſtud extrahere volui: ſed iis lectis à Doctore HOLTMANNO cœpit is ita mecum agere, eaſque rationes adferre, ut à lenitate naturæ meæ coactu

ctus fuerim recedere; habes ergo supplicationem meam hanc quæso vel ipse vel FRIDERICUS noster exhibeat, & quoniam ego ipse subscribo, non arbitror alio mandato, quam quod olim vobis dedi opus esse, alioquin utrique etiam nunc hac epistola mea omnem persequendi, agendi, transigendi, recipiendi pecuniam authoritatem, non aliter ac si res propria vestra esset. do & attribuo. Quicquid in summa agendum incidat, judicialiter vel extra judicium per amicabilem compositionem, vel rigorem juris in eo & tibi & FRIDERICO WEMHOFF plenam potestatem do, quicquid actum, transactum, conclusum & receptum fuerit; hoc mihi gratum, acceptum, & ratum omni tempore erit. De publicis cognosces ex proximis literis, nam jam plura non possum, lassus variis scribendis, & male ex calculo habens. Bene vale, Fr. in CHRISTO IESU charissime. Uxori & liberis, una cum FRIDERICO nostro omnem à me salutem & amorem. Eundem rogo ut pergat hoc negotium ad finem una tecum perducere experiemini me gratissimum esse futurum. Habes hic adjunctam copiam literarum quas ad HULD. ab EUSZUM dedi. Iterum vale. Coloniæ, XIX. August. CIↃ IↃ LXXXIV. styl. vet.

Tuus ex animo,

AGGÆUS ALBADA. D.

HARLINGÆ,

Excudebat HERO GALAMA, Typographus & Bybliopola.

WR